












Archaeology - (Classical)

TRACTATUS

VARII LATINI

A CREVIER, BROTIER, AUGER,

ALIISQUE

CLARISSIMIS VIRIS

CONSCRIPTI;

Et ad rem, cùm Criticam, tùm Antiquariam,

PERTINENTES.

Quibus accesserunt Notæ quamplurimæ

AD LIBRUM


DE MORIBUS GERMANORUM

EX

UTRAQUE C. TACITI

EDITIONE BROTIERIANA

EXCERPTÆ.



LONDINI.

1788.

VIRO REVERENDO

SAMUELI PARR L. L. D.

Qui, non modò hujuſce ſæculi penè omnes

ſuperavit ingenio et doctrina;

Sed, quod longè majus et præclarius eſt,

Cùm juſtitiam erga homines et benevolentiam

ſingularem coluit,

Tùm, veræ pietatis erga Deum officia,

Sanctiſſimamque de operibus ejus et verbo

revelato opinionem,

Nunquam non conſervavit,

Hoſce Tractatus ſumma, qua par eſt,

Reverentia D. D. D.

H. E.

INDEX Tractatuum, qui in prima parte hujus voluminis continentur.

De

13

De Voluntariâ Morte, vulgò le Suicide.

14

De Ludis Sæcularibus.

15

De Literarum Origine.

16

De Literis à Claudio repertis.

17

De Jure Latii, Civitate Romanâ, jure Quiritium, jure Italico, Coloniis, Municipiis, populis liberis, fœderatis, immunibus, stipendiariis.

18

De Censu Lustroque Romanorum.

19

De Urbis Romæ Pomerio & Magnitudine, Incolarumque numero.

20

De Populi frequentiâ apud Sinas, hujusque tantæ frequentiæ causis.

21

De Exsilio, Relegatione & Deportatione.

22

De Testudine Romanâ.

23

De Pestilentia, quæ Romæ grassata est anno U. C. DCCCXVIII, *J. C.* 65. *& de peste, quæ ibidem, Tito Principe, sæviit.*

24

De Milliario Aureo.

25

De Venere Paphiâ.

26

De Numero & Nominibus Legionum.

De

De

DISPUTATIO BREVIS

DE PONDERIBUS, PECUNIA, MENSURIS

A LIVIO IDENTIDEM MEMORATIS.

IMMENSA extant de ponderibus, pecunia, menſuris apud veteres uſitatis volumina: &, qui rem univerſam complecti differendo velit, latiſſimus ei ſubjicietur explicandae doctrinae campus. Nos eam delibabimus tantum, & quatenus illa ad intelligendum Livium neceſſaria eſt.

Atque, ut a ponderibus incipiamus, caput rei totius, & certiſſimam ejus expediendae viam aperuit vir magni in Philoſophia nominis, nec minus eruditione multiplici clarus, Petrus Gaſſendus. Hic, quum impetratus eſſet a Peireſkio illo, quem vere dixerimus litterarum & litteratorum nutriculam, [1] modulus accurate expreſſus ex congio; qui hodie in aedibus Farneſianis Romae aſſervatur, poſitus olim in Capitolio Veſpaſiani temporibus, tanquam forma & exemplar omnium congiorum, non dubitavit quin certo exploraturus eſſet Romanae librae pondus. Quum enim conſtet, ut infra dicemus, congium decem pondo vini, vel aquae, (idem enim ferme utriuſque liquoris pondus eſt) fuiſſe, hic idem congius, ſi vino, vel aqua plenus ponderibus noſtratibus appendatur, neceſſario daturus eſt verum librarum Romanae noſtratiſque diſcrimen. DE PONDERIBUS. Gaſſend. de vita Peireſkii. l. II.

Sed hac in re magnus primo verſatus eſt error, quem nobis ingenioſe deprehendiſſe, &, eruto ex ambagibus obſcurae vetuſtatis vero, feliciter correxiſſe viſus eſt clariſſimus Labarreus, e Regia inſcriptionum & litterarum Academia, edita ſuper hoc negotio doctiſſima diſputatione, tom. VIII. Commentariorum Academicorum, p. 372.

Nimirum, quum Congius Farneſianus inſcriptas praeferat has notas P. X. id eſt, *pondo decem*, & praeterea conſtet ex Feſto lege ſancitum eſſe, ut *congius vini decem pondo ſiet*, idemque doceat vetus Scriptor Fannius; quod primo venit in mentem, id omnes ſtatim pro certo arripuere, decem libras pondo vini contineri congio, ſive centum & viginti uncias pondo: duodecim enim unciis libra Romana cenſebatur. Nec cuiquam facile ſuſpicio oriretur, rem aliter ſe habere potuiſſe. Id tamen falſum eſſe evidenter probatur invictis veterum teſtimoniis. Atque hoc non minimum documentum eſſe poteſt, quam non temere primae rerum fronti credendum ſit, quamque facile ſub doloſa veri ſpecie fallere queat occultus error, caeciſque inſidiis ſecuras mentes ſubiturus. Sed ut illum arguere quis poſſit, prius *Congius vini decem pondo.* *Super ea re error.*

(1. Hunc modulum e congio Farneſiano expreſſum poſſidet Bibliotheca Sangenoveſiana Pariſiis.

quaedam obſervanda ſunt. Ducem ſequemur eruditiſſimum virum, quem modo honoris cauſa nominavimus.

Duae apud Rom. librae, libra menſoria, & libram pondo.

1°. Duae apud Romanos librae in uſu fuere, liquidorum altera, altera aridorum; illa praeſertim ad [2] molem, haec ad pondus rerum definiendum uſurpata. Illam appellabimus libram menſoriam, hanc libram pondo. Utraque in duodecim uncias dividebatur: utriuſque unciae in Octo [3] drachmas. Hoc diſcrimen librarum quum ex Fannio clare adſtruitur, tum praecipue ex Galeno, qui paſſim diſtinguit λίτραν μετρικήν, & λίτραν σταθμικήν imo & eas inter ſe comparavit, ut modo exponemus.

Ex libra menſoria, non ſolum moles, ſed & pondus liquoris noſcebatur.

2°. Quum diverſum ſit diverſorum liquorum pondus, vas idem eo majorem vim hujus illiuſve liquoris capiet, quo hic illo gravior erit. Itaque menſura ejuſmodi, ex qua ſola liquoris in ea contenti moles, non etiam pondus, cognoſceretur, facile poſſet in errorem inducere. Utrumque praeſtabat libra menſoria: atque hinc recte & *libra* dicebatur, quod illa pondus liquorum cognoſcendum dabat, & *menſoria libra*, quod illud pondus exprimebat per rationem ad vas quoddam definitum, quo certi cujuſdam liquoris certum pondus continebatur.

Oleum, proprius librae menſoriae liquor.

3°. Ob eamdem illam ponderis pro liquorum varietate varietatem, unum aliquem liquorem eligi oportuit, cujus in libra menſoria contenti cognitum ſemel pondus uſui eſſet ad definienda ceterorum liquorum, quos illa libra metiretur, pondera. Vinum & aqua eo commodius viderentur eligenda fuiſſe, quod eorum & maximus eſt uſus, & par fere in pari mole pondus. At Romanis oleum magis placuit, & libram menſoriam oleo plenum voluerunt normam eſſe ceteris liquoribus aeſtimandis propoſitam. Hinc ſaepe Galenus nominat τὴν τοῦ ἐλαίου καλουμένην λίτραν, & μέτρον ᾧ τὸ ἔλαιον μετροῦσι. Idem colligitur & ex Fannio.

Librae olei menſoriae ratio ad libram pondo.

4°. Pondus olei libra menſoria contenti ſe habebat ad libram pondo, ut 10. ad 12. Hoc diſerte docet Galenus, qui a ſe diligenter exploratum eſſe affirmat libralis menſurae oleo plenae pondus, & duodecim uncias menſorias olei inventas eſſe pares decem unciis pondo. Nec minus clare id probant Galeni & Fannii collata inter ſe de cyatho teſtimonia. Galeno auctore cyathus capiebat duodecim olei drachmas: eumdem cyathum aeſtimat decem drachmis pondo Fannius.

Pondus vini libra menſoria contentum.

5°. Jam igitur ſi cognoſcatur ratio ponderis olei ad vini in pari utrimque mole pondus, quam *gravitatem ſpecificam* mechanici appellant, cognoſcetur quoque quodnam vini pondus libra menſoria contineatur. Hanc rationem Romani ſtatuerant eſſe [4] ut 9. ad 10. quae

2. *Molem* tota hac in diſputatione intelligimus, non quam Phyſici dicunt *maſſam*, ſed amplitudinem, magnitudinem, id denique quod Gallica dicimus *la volume d'un corps*.

3. *Drachma* Graecum ab origine nomen eſt, ſed quod ex aſſiduo Graecorum cum Romanis commercio, in pervulgatum uſum apud Romanos tranſierit.

4 Apud Galenum Cotyle eſt unciarum olei 9. vini decem. apud Dioſcoridem & Fannium ſextarius capit libram olei cum ſemiſſe, ſive uncias 18. libram vini cum beſſe, ſive uncias 20. Haec ratio olei ad vinum non omnino accurate definita eſt. Pollex enim cubicus olei aequat pondere 331. grana; pollex autem cubicus vini, grana 365. quae deberet habere $367\frac{7}{9}$, ſi oleum & vinum ad ſeſe mutuo ſe haberent, ut 9. ad 10. ſed error leviſſimus eſt.

ſane.

sane haud multum aberrat a vero, &. ad publicum illum & forensem usum commode se habet. Quum ergo libra olei mensoria decem unciis pondo aequalis sit, haec instituatur proportio : ut 9. quae est gravitas specifica olei, ad 10. quae est gravitas specifica vini, ita 10. numerus unciarum pondo librae olei mensoriae, ad 11. $\frac{1}{9}$ qui erit numerus unciarum pondo vini libra mensoria contenti.

6°. Ut jam ad congium accingamur, constat ex Fannio congium capacem fuisse novem librarum mensoriarum olei. Etenim ille diserte docet sextarium, qui sexta pars est congii, cepisse libram olei cum semisse. Unde clare patet novem libras olei congio contineri. Libras autem illas mensorias fuisse, non libras pondo, ex eo intelligitur, quod idem sextarius, qui a Fannio dicitur capere libram olei cum semisse, sive uncias 18. [5] ex eodem Fannio quindecim unciis pondo aestimandus est. Haec enim ipsa ratio est librae mensoriae oleo plenae ad libram pondo. Illas libras diximus ad sese invicem ita se habere, ut 12. ad 10. Eodem autem modo se habent 18. ad 15. quo 12. ad 10. Ergo & ubi dicitur sextarius esse quindecim unciarum pondo, intelligendus est oleo plenus ; & unciae decem & octo olei, quae sextario continentur, sunt unciae mensoriae, non unciae pondo. Ergo congius, qui sex capit sextarios, novem libras mensorias olei capere dicendus est. *Congius novem libras mensorias olei capiebat.*

Praeterea idem Fannius comparans inter se vinum & oleum sextario contenta, eum dicit capacem fuisse olei quidem unciarum 18. vini vero 20. At viginti illae vini unciae non possunt esse unciae pondo. Si quidem ex eodem Fannio sextarius aequat pondere uncias quindecim. Sive autem oleo plenus, sive vino, dicitur par esse quindecim unciis pondo, nunquam dare poterit viginti uncias vini pondo. Ergo unciae illae vini viginti, quas capit, non sunt unciae pondo. Ergo nec 18. olei unciae, quas idem sextarius continet. Superest igitur, ut unciae illae olei 18. sint unciae mensoriae.

Hinc necessario colligitur congium capacem fuisse novem tantummodo librarum mensoriarum olei, quae efficiunt septem libras & sex uncias pondo. Quum ergo gravitas specifica olei sit ad gravitatem specificam vini, ut 9. ad 10. sequitur pondus vini congio contenti fuisse octo librarum & quatuor unciarum, sive centum unciarum pondo, non centum & viginti, ut antea creditum fuerat. *Vini octo libras pondo & quatuor uncias.*

Quonam modo igitur congius dici potest *decem pondo* esse ? Necesse est enim, ut huic formae loquendi, quam indubitata antiquitatis monumenta testantur, sua constet veritas. *Quo sensu congius dicatur esse vini decem pondo.*

Primo observabimus nec mensorias decem libras, nec decem libras pondo vini contentas congio fuisse. Non mensorias decem libras. Nam libras olei mensorias novem capiebat congius, ut vidimus. Liquores autem mutati non mutant vasis capacitatem. Non decem libras vini pondo. Etenim septem olei libras pondo cum semisse continebat.

5. Ex Fannio cyathus est decem drachmarum pondo. Cotyle autem capit sex cyathos : sextarius duas cotylas. Ergo sextarius capit duodecim cyathos, ac proinde aequat pondere drachmas centum & viginti, sive quindecim uncias. Octo enim drachmae, ut jam observavimus, unciam constituunt.

 Ergo

Ergo ut decem libras pondo vini contineret, necesse esset, ut gravitas olei, specifica esset ad gravitatem vini, ut 3. ad 4. quod aperte falsum est.

Hoc ergo sensu dicebatur congius esse decem vini pondo, quod ejusmodi pondus vini caperet, quod par esset ponderi decem librarum olei mensoriarum. Libra olei mensoria est unciarum pondo decem. Decem igitur librae mensoriae, sive centum & viginti unciae mensoriae olei aequant centum uncias pondo : quod ipsum est vini congio contenti pondus.

Ratio librae Romanae pondo ad libram Parisiensem. Nunc jam facile est rationem librae Romanae pondo ad libram Parisiensem cognoscere. Congius centum uncias pondo vini continebat. Idem congius aqua fontana plenus diligentissime appensus ab clarissimo Auzutio, inventus est centum & octo uncias Parisienses illius aquae continere cum septem, ut vocant, *grossis*, & granis octo supra quadraginta. Hinc statim apparet unciam Romanam graviorem fuisse uncia Parisiensi.

Sed observat idem vir clarissimus, quem hic auctorem sequimur, Labarreus, aliquantum ex illo pondere quod deprehendit accuratissimus Auzutius detrahendum esse, ut verum inveniatur. Etenim, si res ad summam diligentiam exigatur, & omnis aqua vinum pondere superat, & aqua fontana flumineam aquam : & praeterea congius Farnesianus ob nimiam vetustatem quibusdam sinuosis amfractibus excavatus, capacior jam aliquanto factus est, quam primitus fuerat.

Hae omnes causae in unum congruentes non levem visae sunt imminutionem postulare. Itaque libra Romana, quae, si nihil discederetur ab pondere Auzutiano, esset unciarum nostrarum tredecim cum granis 43. a doctissimo Labarreo aestimatur unciis Parisiensibus duodecim tantum cum semuncia, sive granis 288. ita ut uncia Romana par fuerit granis nostratibus 600. quae 576. unciam nostratem efficiunt. Atque hac aestimatione contenti fuimus, ut quae nihil, aut parum admodum a vero abeat.

Ut igitur pondera Romana ad nostratium normam exigerentur, haec nobis via sequenda fuit.

Unciae Romanae 12. pares sunt unciis nostratibus $12\frac{1}{2}$. ergo libra Romana se habet ad libram Parisiensem, ut $12\frac{1}{2}$ ad 16. sive, ad vitandas fractorum numerorum ambages, ut 25. ad 32.

Eadem libra Romana pondo se habet ad marcam seu selibram Parisiensem, ut $12\frac{1}{2}$ ad 8. sive, ut 25. ad 16.

Ut igitur librae Romanae ponderibus nostratibus aestimentur, haec instituatur proportio. Ut 32. se habent ad 25. ita numerus datus Romanarum librarum ad quartum numerum, qui exprimet libras Parisienses. Vel, si marcis Parisiensibus opus fuerit, ut 16. se habent ad 25. ita numerus datus Romanarum librarum ad quartum numerum, qui exprimet marcas seu selibras Parisienses.

Nunc, si ceterorum ponderum quibus veteres utebantur, si argenti aurique signati ad libram Romanam ratio perspecta habeatur, nullo negotio illa ad nostrorum ponderum normam redigi poterunt. De asse, & ejus partibus nulla est difficultas. *As, & ejus partes.* As (haec enim, etsi notissima, hic ponere non absurdum judicamus, ne si qui forte ea ignoraverint, alio recurrere cogantur)

As

As ipsa est libra Romana, sive duodecim unciae,
Deunx, undecim unciae.
Dextans, decem.
Dodrans, novem.
Bes, octo.
Septunx, septem.
Semis, sex.
Quincunx, quinque.
Triens, quatuor.
Quadrans, tres.
Sextans, duae.
Uncia.

[6] De denario dissentiunt inter se docti. Nobis verissima videtur Budei & Gronovii sententia, qui statuunt denarium fuisse octavam unciae partem, ita ut denarii proprie ac subtiliter sex & nonaginta libram constituerent, sed & rotundandi numeri causa, & quia rarissimi denarii pondus illud exactum referrent, consuetudine fori & tractatione pecuniae introductum sit, ut centum pro libra ambularent. Hoc adstruunt antiquorum scriptorum innumerabilia testimonia, hoc evincit tota rei nummariae ratio. Itaque centum denariis argenteis libram argenti Romanam aestimamus. *Denarii centum in libra Rom. argenti.* Gronov. de Pec. vet. l. II. c. 6.

Ex eorumdem Budei & Gronovii mente distingui debent sestertius & sestertium. Sestertius nummus fuit argenteus, quarta pars denarii. Libra ergo argenti Romana censenda est quadringentis sestertiis nummis. *Sestertius quarta pars denarii.*

Sestertium nummus non fuit, sed summa quaedam ad conficiendas commodius rationes excogitata, quae quidem summa par erat mille sestertiis nummis, sive ducentis quinquaginta denariis, sive denique duabus libris Romanis argenti cum dimidia. *Sestertium, mille sestertii nummi.*

Pondera Graeca usitatissima, sunt drachma, mina, talentum. Drachma Attica ubique in veterum monumentis censetur par denario Romano. Sed centum drachmae erant in mina Attica. Itaque minam Atticam parem facere debemus librae Romanae. Talentum Atticum sexaginta minarum erat, ac proinde par sexaginta libris Romanis. *Pondera Graeca. Drachma. Mina. Talentum.*

Jam ad pecuniam transeamus, eamque, qualis stante republica fuit, perpendamus. Inferiora tempora nihil ad praesentem disputationem pertinent. DE PECUNIA.

Pecunia triplicis generis apud Romanos fuit, aerea, argentea, aurea. *Aes rude.*

Primus Romae signavit aes Servius Tullius. Antea rudi aere, id est, massis quibusdam aereis, non signatis, non unius formae, non certae figurae, usos esse Plinius ex Timaeo memorat. Asses a Servio signati fuere librales, & hoc initio fuit illud [7] aes grave, de quo toties apud veteres scriptores mentio occurrit, quod appendi non annumerari solebat. Signatum est nota *pecudum*, bove, vel ove, vel Plin. Hist. Nat. l. xxxiii. c. 3. *Aes grave, sive asses*

6. De denario et ejus cum drachma comparatione multa ingeniose et erudite differit Cl. Labarreus, loco supra memorato, quae consulere operae pretium est. Nos rem hic non subtiliter exequimur, nec aliud respicimus, quam pervulgatum apud veteres in communi vitae consuetudine loquendi ac numerandi usum.

7. Vid. appendicem de aere gravi huic disputationi a nobis subjunctam.

sue,

librales. Plut. in Popl. Plin. ibid.

sue, unde & *pecunia* appellata. Percussi quoque sunt semisses, & trientes, & quadrantes, ejus ponderis quod nomine ipso indicatur. Hac sola pecunia usi sunt Romani ad Q. sive C. Fabium, Q. Ogulnium consules, quinque annis ante primum Punicum bellum.

Argentum signatum Romae. Denarii, quinarii, sestertii.

Tum devicto Pyrrho & Tarentinis, quum Romani totam jam Italiam imperio amplecterentur, auctis successu rerum opibus, argentum signari coeptum, denarii, quinarii, sestertii, & placuit denarium pro decem libris aeris, sive assibus libralibus ambulare; quinarium, qui postea & victoriatus dictus est, pro quinque; sestertium pro dupondio, sive duobus assibus, & semisse: quod & ipsa nomina testantur. Hinc apparet quanta primis illis temporibus argenti raritas Romae, & quam immane pretium fuerit. Quum enim centum denarii, ut supra diximus, in libram argenti imputarentur, denarius autem decem libris aeris aequipararetur, sequitur singulas argenti libras millenis aeris libris primo aestimatas fuisse.

Una libra argenti par mille libris aeris.

Sed non ita multo post mutata res est, & pretium aeris auctum, non tam affluentibus divitiis, quam urgente inopia. Bello enim Punico primo, quum impensis respublica non sufficeret, institutum ut asses sextantario pondere ferirentur, manente levioribus his assibus eodem pretio, quod libralibus fuerat. Mutato æreæ monetae pondere, & mutata nota est. Nota aeris tum fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis: in triente vero & quadrante, ratis, unde & *ratiti* interdum dicti sunt, teste Festo.

Asses sextantarii.

Postea Annibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, asses unciales facti: sed mutata est eorum ad argentum proportio; placuitque denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. Postremo asses semunciales facti, quo tempore, quo ferente legem, incertum; nisi quod latorem legis Papirium vocitatum fuisse constat, quum ipsam legem Plinius Papiriam appellet. Sed tunc tamen servata est eadem quae a bello Punico secundo invaluerat horum ad argentum ratio.

Asses unciales. *Asses semunciales.*

Nota argenti fuere bigae atque quadrigae, & inde bigati quadrigatique dicti.

Aureus nummus secundo bello Punico signari coeptus.

Aureus nummus post annum secundum & sexagesimum Romae percussus est, quam argenteus, id est, bello Punico secundo, C. Claudio Nerone, M. Livio II. consulibus; tumque auri proportionem ad argentum quindecuplam fuisse ex Plinio colligitur: sed brevi decupla effecta est ex imitatione Graecorum. Decimo tertio post bellum Annibalicum confectum anno jubentur Ætoli pro decem argenteis unum aureum nummum pendere, ut habet Livius l. XXXVIII. c. 11. sive, ut clarius Polybius, pro decem argenti minis unam auri minam.

Auri ad argentum proportio quindecupla primo, brevi postea decupla.

De Pec. vet. lib. iii. c. 15.

Aureum nummum unius generis, unius formae apud Romanos fuisse censet Gronovius, atque ideo non reperiri apud scriptores varia aureorum Romanorum, quemadmodum argenteorum, nomina, quia argenteorum tria genera erant, denarius, quinarius, sestertius; aureorum unum.

Cujus ponderis aureus nummus primo Romae percussus fuerit, quum quindecupla auri ad argentum proportio in usu erat, non repe-

reperimus. Sed illud perbreve, ut modo diximus, intervallum fuit: post quod *placuit*, inquit Plinius, *quadraginta* nummos *signari ex auri libris.* Sic enim legendum esse hunc Plinii locum credimus, ut & habent aliquot mss. teste Cl. Harduino, quamvis ipse aliam lectionem magis probaverit, & in contextum admiserit. Quum igitur quadraginta aurei ex libris aureis signarentur, si centum denarii in libram imputentur, sequitur aureum nummum duüm denariorum & quinarii pondus aequasse. Atque hoc quidem perbene convenit cum perpetua aurei Romani aestimatione, quem veteres magno consensu viginti quinque denariis argenteis valuisse testantur. Si enim serventur decupla auri ad argentum proportio, duo denarii & semis ex auro pares sunt viginti quinque denariis ex argento. Talis ergo fuit aureus Romanus: &, si quando denariorum aureorum mentio in scriptorum Romanorum libris occurrit, eos existimat Gronovius peregrinos esse, & aliunde advectos, non Romae percussos.

XL. nummi ex auri libra. Plin. ibid.

Aureus Romanus valuit 25. denar.

Aureus Atticus minor Romano fuit, & duarum tantum drachmarum pondus aequabat. Hic vocabatur simpliciter χρυσοῦς. Fuere & drachmales aurei, qui ἡμίχρυσοι nominabantur.

Aureus Atticus duarum drachmarum.

Cognito antiquorum nummorum pondere, & eorum inter se ratione, nunc eos cum nostris comparare opus est. Et, quoniam nos pecuniam non appendimus, sed annumeramus, & in quotidiana nummorum tractatione, non marcis aut unciis eos, sed libellis & solidis Turonensibus aestimamus, id primo consultissime videbamur facturi, si veteres nummos ad libellarum solidorumque Turonensium normam exigeremus.

Comparatio antiquorum nummorum cum nostris.

Sed ab illo nos consilio duplex deterruit difficultas: una, quod saepe apud nos ita jactatur nummus, tam varia aestimatione fluctuare jubetur, ut nihil de eo certi statui queat, aut quod vel in unum fortasse annum usui esse possit: altera, quod ex quo res nummaria apud nos ex diuturna agitatione aliquatenus constitit, eam sequimur Galli marcarum aureae & argenteae aestimationem, quae multum discrepet ab eo quod verum & genuinum apud plerasque Europae gentes auri & argenti pretium habetur: adeo ut nomen illud libellarum Turonensium falsa blandiatur specie claritatis; re quidem vera errorem potius sit obscuritatemque pariturum. Nobis ergo ad pondera confugiendum fuit, quae & minime variant, nec quidquam habent ambigui. Itaque fecimus; &, quaecunque auri argentive, sive facti aut infecti, sive signati summa in Livio occurrit, eam marcis seu selibris, unciis, &c. Parisiensibus aestimavimus ad eam rationem quae supra demonstrata est.

Cur eos non aestimaverimus in libellis & solidis Turonensibus.

Aurum argentumque ad ponderum Parisiensium rationem exegimus.

Sed in aere alia nobis ineunda ratio erat, ne in eumdem errorem incurreremus, qui Dujatio fraudi fuit. Quum enim aes apud Romanos longe vilius esset quam apud nos, ut patet ex eo quod, ubi primum moneta ex argento cudi coepta est, singulae argenti librae millenas aeris libras pretio aequarent, asses Romanorum librales in libras aeris nostrates redacti, quod a Dujatio factum est, fallaci nobis specie divitiarum imponerent, & haberentur a nobis pro longe majore summa, quam quanti a Romanis illi taxabantur. Itaque faciendum visum est, ut aes non in se, sed habita argenti ratione aestimaremus; &, quod

Aes non debuit aestimari ex pondere.

Sed habita argenti ratione.

ei ad argentum collato pretium Romani statuerant, id in marcis, unciis, &c. argenti Parisiensibus redderemus.

Hic operae pretium esse ducimus tabulam exhibere indicem ponderum nummorumque maxime usitatorum apud veteres cum ponderibus nostratibus collatorum. Fuere ergo nobis

Indiculus ponderum nummorumque veterum ex nostris ponderibus aestimatorum.

Libra Romana & mina Attica, unciarum Parisiensium $12\frac{1}{2}$.

Uncia Romana, granorum 600.

Denarius, si ad severam aestimationem exigeretur, granorum esse debuerat 75. sed quia usu receptum fuerat, ut centum denarii in libram imputarentur, habitus est a nobis granorum tantummodo 72.

Drachma par censetur denario.

Quinarius, granorum 36.

Sestertius, granorum 18.

Sestertium, sive mille nummûm, marcarum argenti 3. unciarum 7. granorum 144.

Talentum Atticum, marcarum argenti 93. unciarum 6.

As, quandiu deni denarium, bini cum semisse sestertium conficiebant, aestimatus a nobis est granis argenti $7\frac{1}{5}$: posteaquam senideni in denarium, quaterni in sestertium conjecti sunt, granis argenti $4\frac{1}{2}$.

Haec nobis aestimatio ex ponderum ratione suffecit: in qua si qui ob insolentiam fortasse haerebunt, & aliquam obscuritatis nubeculam superesse querentur, Turonensesque libellas & solidos, notiora nomina desiderabunt, iis facillimum erit, definito semel in libellis solidisque Turonensibus marcarum auri & argenti pretio, ad illud pondera quae in notis nostris expressa repererint exigere.

DE MENSURIS.

Superest ut aliquid de mensuris longis & cavis breviter disseramus. Initium hic a pede, quemadmodum in ponderibus a libra, faciendum videtur.

Pes Romanus undecim fere pollicum Paris.

Pes Romanus Capitolinus ab diligentissimis talium rerum indagatoribus, sed & Mathematicarum disciplinarum peritissimis viris, Picardo & Auzutio, magna cum cura observatus, inventus est partes habere 653. vel $653\frac{1}{2}$ quales pes noster Parisiensis habet 720: ac proinde non totos habere undecim pollices Parisienses, quamvis ab iis parum absit, nempe paulo plus una decima pollicis parte. Hoc discrimen inter Romanum nostratemque pedes haud sane parvum est. Tamen pedem Romanum, & ejus partes, & omnino mensuras longas, praeter stadium & milliare, ad nostri pedis regii modum revocare in notis neglexinus, propterea quod nec tanti esse visum est, & res facillima.

Sed operae pretium est nosse quam rationem haberent ad pedem ceterae antiquorum mensurae.

Pedis Romani partes.

Pes Romanus dividitur in quatuor palmos, duodecim pollices, digitos sedecim.

Cubitus par sesquipedi.

Cubitus, in duas spithamas, sex palmos, decem & octo pollices, quatuor & viginti digitos. Itaque cubitus par erat sesquipedi.

Jugerum.

Jugerum actus duos quadratos continebat, quorum quilibet centum & viginti pedes quaquaversum habebat. Itaque jugerum parebat

bat ducentos quadraginta in longum pedes, in latum centum & viginti.

Stadium. Stadium, mensura Graeca, erat centum viginti quinque passuum, quorum quilibet quinque pedibus censebatur.

Milliare. Milliare Romanum par erat octo stadiis.

Quot stadia & milliaria in leuca nostrate. Hinc facile est stadia & milliaria ad leucarum nostrarum communium rationem exigere. Leuca, quales viginti quinque gradum unum meridiani terrestris explent, habet hexapedas 2282. Stadia igitur duo ferme & viginti, duo milliaria & septingenti quinquaginta passus, leucam conficerent, si pes Romanus pedi nostro par esset. Sed si discriminis, quod inter utrumque interest, ratio habeatur, stadia fere quatuor & viginti, tria milliaria in leucam imputanda erunt.

Quod spectat ad mensuras cavas, eas omnes quae in Livio identidem appellantur, ad nostrarum rationem exigere necessarium duximus.

Amphora pes cubicus Romanus. Amphora, sive quadrantal, erat ipse pes cubicus Romanus, teste Fannio. Sed quum in pede Romano undecim fere sint pollices Parisienses, (decimam pollicis partem, quae abest pedi Romano, negligimus) pes cubicus Romanus solos habebat pollices cubicos mille trecentos triginta unum, quales habet mille septingentos viginti octo pes noster cubicus. Itaque pes cubicus Romanus est ad pedem cubicum nostratem, ut $3\frac{1}{12}$ ad 4. sive ut 37. ad 48.

Modius, tertia pars amphorae. Modius apud Romanos pedis sui cubici tertia pars erat, quemadmodum apud nos, nostri. Itaque eadem est inter modios Romanum & nostratem, quae inter pedes cubicos Romanum & Parisiensem ratio.

Congius, semipes cubicus. Congius est semipes Romanus cubicus, octava pars amphorae. Sed quum congius ad metienda liquida adhiberetur, aestimabimus eum, ut & ceteras infra ipsum mensuras, in iis mensuris quas vocamus *pintas*, & earum partibus. Itaque congius centum, ut initio diximus, uncias Romanas pondo vini capiebat, quibus pares sunt $104\frac{1}{6}$ unciae Parisienses, sive librae sex, unciae octo, cum una sexta unciae parte. At vini vel aquae *pinta* (sic enim loqui necesse est, si verborum circuitus, & ambages vitare volumus) aequat duas libras pondere. Itaque congius capiebat tres vini vel aquae *pintas* & paulo amplius quartam *pintae* partem.

Sextarius. Sextarius, sexta pars congii, sexdecim uncias Romanas vini pondo cum quinque drachmis & una tertia drachmae parte capiebat, libram Parisiensem cum uncia & semisse, ac proinde major erat ea mensura quam vocamus *chopine*.

Hemina. Hemina, pars dimidia erat sextarii, ac proinde superabat eam mensuram quae apud nos dicitur *demi-septier*.

Quartarius. Quartarius, quarta pars sextarii, non multum excedebat eum modulum, quem dicimus *poisson*.

Medimnus. E mensuris cavis apud Graecos usitatis, solius medimni apud Livium sit mentio, quod duabus amphoris sive sex modiis par erat.

APPENDIX,

Atque haec sunt quae de ponderibus, pecunia, mensuris antiquorum summatim disserenda esse duximus, ut, ubicumque lector haec in notis nostris aestimata invenerit, sciat quid secuti fuerimus, &, si quid illic obscuri repererit, huc recurrat, ubi tota res pluribus verbis tractata facilius & planius intelligi potest.

Ex edit: Liv: a Crevier. in 4to.

APPENDIX.

DE ÆRE GRAVI,

Difficultas circa aes grave non mediocris.

CIrca aes grave hic nodus non facile solvendus occurrit, quod ejus, etiam post imminutum assium pondus, mentio tamen fit interdum a scriptoribus, tanquam tunc quoque adhibiti ad conficiendas aestimandasque pecuniae summas. Etenim quum aeris gravis nomine intelligantur, ut diximus in Disputatione praecedenti, asses librales, quis ejus usus esse debuit post levatos asses, & ad unciam redactos.

Illa difficultas doctissimos viros, Salmasium, Gronovium, Kusterum, Perizonium, non mediocriter exercuit, & in varias scidit sententias: quas tractatas qui videre voluerit, ad Dissertationem eruditissimi & acutissimi viri Jac. Perizonii de aere gravi: in qua tota res accurate perpenditur, nec tamen nobis visa est plane ad liquidum perduci, non scribentis vitio, in quo ingenii sagacitas certat cum ubertate doctrinae, sed ob densas tenebras rei quum vetustissimae, tum nusquam ex professo a scriptoribus antiquis disceptatae, & in transcursu tantum breviter ab iis raptimque indicatae.

In hac obscuritate dispicere conemur primum, num quid pro claro haberi, & extra controversiam esse debeat, atque id teneamus, & ab eo quod ambigi & per malignam lucem vix dispici potest seponamus.

Aes grave antiquiore aevo asses librales.

Constat 1°. quoties scriptores Romani de vetere illo ante imminutum assium pondus aevo loquentes mentionem faciunt aeris gravis,

gravis, intelligendos esse asses librales. Hoc probant testimonia Plinii, l. XXXIII. c. 3. & Festi in voce *Grave aes.* Plinium audiamus. *Librales*, inquit, *appendebantur asses. Quare aeris gravis poena dicta.* Manifestum est a Plinio exponi *aes grave* per *librales asses.* Disertius adhuc Festus: *Grave aes dictum a pondere, quia deni asses singuli pondo libras, efficiebant denarium, ab hoc ipso numero dictum.* Hinc evertitur opinio Kusteri, qui grave aes de quocunque aere intelligendum putat, tam sextantario & unciali, quam librali: quasi in illa appellatione *aes* sumeretur pro nummo, ita ut *grave aes* esset nummus gravior, argenteo scilicet nummo, qui ob majus metalli pretium, minoris necessario ponderis esse debet. Hoc commentum, omni veterum auctoritate destitutum, imo cum ea aperte pugnans, merito explosum est a Perizonio.

2°. Patet gravis aeris appellationem tum natam esse, quum asses imminuti sunt, ut nempe grave aes opponeretur huic recenti leviori. Antea enim quum unius generis aes esset, minime necesse erat illud aliquo velut cognomine insigniri. Itaque in lege illa duodecim tabularum, quam memorat Gellius, l. XX. c. 1. legimus *viginti quinque aeris poenae sunto.* Non additur *gravis*, quia tunc unius modi aes erat, nec proinde ulla poterat esse ambiguitas. At scriptores levato aeris pondere recentiores, quales sunt ii omnes fere quorum monumenta ad nos pervenerunt, ubi loquendum illis fuit de assibus libralibus antiquiore aevo usitatis, appellationem *aeris gravis* usurparunt, per comparationem ad aes levius quod suo tempore in manibus hominum versari videbant. *Aeris gravis tamen appellatio nata post imminutos asses.*

3°. Constat etiam post imminutos asses, summas nihilominus in aere gravi interdum conceptas fuisse. Testimonio sunt 1°. Livius, XXII. 33. & XXXII. 26. tum locus e libris linteis pontificum a Salmasio allatus, *de modo usurarum*, p. 237. ubi dicuntur *Ætolorum legatis lautia data, & ducenta,* sive potius bina *millia aeris gravis in singulos.* Cum Ætolis enim bello demum Punico secundo rem habere Romani coeperunt. Denique idem adstruitur ex Seneca, qui l. I. Natur. Quæst. c. ult. & Consol. ad Helviam, c. 12. tradit Scipionis filias in dotem a senatu accepisse *aes grave.* Hunc Scipionem ex Val. Max. l. IV. c. 4. apparet fuisse Cn. Scipionem, qui in Hispania periit, patruum Africani prioris. *Tunc quoque summae in aere gravi interdum conceptae.*

4°. Necesse est ut tunc aliquod discrimen fuerit pretii & aestimationis inter grave aes, & asses leviores. Alioquin prorsus inutile fuisset ipsius appellationis discrimen. Itaque stare posse non videtur Gronovii sententia, qui l. III. de Pecun. vet. c. 15. censet gravis aeris nomine venire potuisse massas æreas, quarum pretium exigeretur ad rationem nummi ærei: ita ut, cui donarentur decem millia aeris gravis post levatum pondus nomismatum, is acciperet decem millia assium in massis ejusmodi. Si id admitteretur, periret jam discrimen pretii: & decem millia gravis aeris essent ipsa decem assium leviorum millia. *Fuit aliquod discrimen pretii inter aes grave & asses leviores.*

Pro certo itaque ponere posse videmur gravis aeris appellatione, tam ante, quam post imminutos asses, libras aeris intelligi, sive in assibus vere libralibus priore aevo; sive postea nomine tenus, ad

 usur-

usurpandam vetustatis imaginem, cum aliqua tamen ratione discriminis ad nummos usu jam communi receptos: ita ut, cui decem millia gravis aeris donata leguntur, is antiquitus decem millia librarum aeris acceperit; posteriore aevo summam pecuniae, quae id nomen ex more antiquo retinuisset, & vere differret a decem millibus assium leviorum.

Huc usque nobis cum Perizonio convenit, qui & recte suspicatur civitatem patriorum institutorum retinentissimam, post mutatum aeris nummarii pondus servasse tamen antiquam pecuniarum aestimandarum rationem, in iis certe quae publice fierent, ut in aestimando civium censu, in muneribus donisque senatusconsulto decretis, in colligenda ratione pecuniae quae in triumphis ferretur: ita ut longe saepius sit intelligendum aes grave in scriptis antiquorum, quam expressum reperitur.

De illo aeris gravis pretio multum ambigitur.

Sed quodnam pretium finiendum sit libris illis aeris post cusos asses leviores, id vero nobis ita perplexum & ambiguum videtur, ut lectis & multum pensitatis iis quae doctissimi viri super hoc negotio scripserunt, usurpare possimus illud comici poetae: *Fecisti probe. Incertior sum, quam dudum.*

Libra aeris non signati debuit pretio augeri pro ratione fere aeris signati.

Distinguemus tamen pondera ipsa librarum aeris, quae mercis loco haberentur, & aes grave adhibitum ad concipiendas veteri more pecuniarum summas. Librarum aeris pondo non dubitamus quin pretium crescere, levato nomismatum pondere, debuerit, idque pro ratione fere nummi: quod & Gronovio visum est. Hoc enim concoquere omnino non possumus, quod sumit Perizonius, librarum aeris pondo rationem ad argentum post imminutos asses aliquantulum duntaxat fuisse mutatam: ita ut post cusos sextantarios asses duae unciae signati aeris tanti fere aestimarentur in argento, quanti tota libra non signati foret. Et augescentibus jam imperii cum ditione divitiis, fieri omnino non potest quin argenti pretium ex copia paulum eviluerit, & abjecta sit immanis illa, quae primo invaluerat, unius argenti librae cum mille aeris libris comparatio. Itaque libra aeris non facti, nec signati, aestimari debebit, post cusos sextantarios asses, sex fere assibus; post unciales, duodecim. Illud ergo unum in disceptationem vocatur, quonam pretio taxandum sit aes grave in conficiendis pecuniarum rationibus post percussos asses leviores expressum, sive quam rationem illud aes & ad asses, & ad argentum habuerit.

E tribus unum factum esse oportuit, nempe ut vel aes grave paris fuerit cum assibus pretii, ita ut decem aeris gravis semper fuerint ipsi decem asses; vel aeri gravi pretium creverit pro ratione nummi, ita ut decem aeris gravis aestimentur sexaginta assibus sextantariis, centum & viginti uncialibus; vel denique aeris gravis eadem semper fuerit ad argentum ratio, quae priscis temporibus fuerat, ita ut decem aeris gravis semper ambulaverint pro denario uno, ac proinde paris cum sexdecim assibus uncialibus pretii fuerint.

Aes grave non potuit paris esse pretii cum assibus levioribus.

Primam opinionem jam ostendimus everti disertis antiquorum scriptorum testimoniis, quibus grave aes a leviore distinguitur: atque adeo in se absurdam esse, quum ipsa gravis aeris appellatio arguat discrimen aliquod ab aere levi; discrimen autem illud, nisi in pretio positum sit, omnino inane & frustra observatum esse videatur.

Secunda

Secunda quoque sententia prorsus stare non potest, propterea quod ex illa aestimatione grandiores justo summae futurae sint, & omnem verisimilitudinis modum, imo & historiae fidem, excessurae. Unum apponere exemplum sat erit, sed ejusmodi quod rem conficiat. Livius l. XXXIV. c. 11. quum jam unciales asses forent, edisserens quot quisque ex censu dare remiges deberet, sic illam enumerationem concludit: *qui supra decies* aeris, *septem*; senatores, *octo nautas cum stipendio darent*. Ergo senatorius sensus tunc aestimabatur supra decies aeris. Porro hoc loco aes grave intelligendum est, ex iis quae supra dicta sunt, quia de census aestimatione agitur: *decies* autem hic idem est ac *decies centena millia*, ut ex ipsis numeris antecedentibus constat. At si hic una libra aeris gravis aestimetur duodecim assibus uncialibus, *decies aeris* erunt asses unciales 12000000. sestertii 3000000. quod evidenter falsum & absurdum est, non modo ob tenues tum res Romanorum & inopiam, sed quia florentissimis reipublicae Romanae temporibus census senatorius, teste Sueton. in Aug. c. 41. octingentis millibus sestertium definitus fuit, & ab Augusto demum ad decies, vel duodecies sestertium auctus. *Non crevit illi pretium pro ratione nummi.*

Reliquum est, ut aes grave priscam ad argentum proportionem retinuisse censeatur, quae Perizonii opinio est. Firmat hanc sententiam non spernendus auctor Plutarchus, qui in Catonis censura eam pecuniae summam, quae apud Livium, l. XXXIX. c. 44. est *quindecim millium aeris*, aestimat drachmis mille quingentis. Quum enim drachma par censeatur fuisse denario, liquido patet *decem aeris* fuisse Plutarcho denarium unum. Aes autem grave hic intelligi debere non id solum argumento est, quod de censu agitur, sed illud etiam, quod asses leviores, qui tunc in usu erant, in unum denarium sedecim contribuebantur: ita ut quindecim millia illorum assium non 1500. denariis, seu drachmis, sed $937\frac{1}{2}$ paria futura essent. *Superest, ut idem aeri gravi, quod antiquitus assibus libralibus, pretium manserit.*

Ergo decem aeris gravis, ut initio, ita & per omne deinceps tempus, denarium aequaverint: quemadmodum contra *in militari stipendio semper denarius pro decem assibus* est *datus*, teste Plinio, l. XXXIII. c. 3. id est, prout interpretatur Lipsius ad Tac. Ann. l. 1. c. 17. quanquam denarii pretio aucto, miles tamen nihil inde commodi sensit; quumque ei denarius deberetur, decem tantummodo asses, ex antiqua denarii aestimatione, non sexdecim, ex recentiore, dabantur.

Haec sat belle se habent. Unus tamen etiamnum angit scrupulus, quod in hac opinione nullum sit pretii discrimen intet aes grave assesque leviores, quamdiu sextantariis assibus Romani usi sunt. Non enim his assibus percussis mutata memoratur assium ad denarium ratio, sed tum demum quum asses unciales facti sunt. Itaque decem sextantarii asses, ut & decem aeris gravis, unum denarium aequabant: ac proinde a belli Punici primi temporibus usque ad alterum annum secundi, quodnam aeri gravi pretium dicendum sit, haud facile definiri potest. *Unus hac in opinione scrupulus.*

Unum nobis effugium superest, si dicamus toto illo tempore nullum usum fuisse aeris gravis in conficiendis pecuniae praesentis, id est, ejus, quae tunc solveretur numerareturve, rationibus; sed tantummodo ubi loquendum esset de antiquo aere quo utebatur civitas ante imminutum assium pondus; atque ad hoc notandum discrimen aeris antiqui *De eo amovendo conjectura.*

a re-

a recenti, illam aeris gravis appellationem primo invectam esse. Postea quum assibus uncialibus factis mutata esset assium ad denarium ratio, tum demum dicemus advocatum esse aes grave ad exprimendas praesentis pecuniae summas, ut mos priscus aestimandarum pecuniarum publice retineretur.

Quod hoc loco ponimus, quemadmodum fatemur nullis adstrui disertis veterum testimoniis, ita nullis quoque everti posse existimamus. Imo nonnihil favet nobis temporum ratio. Ex quo enim tempore constat asses sextantarios factos esse, id est, a primi Punici belli fine, prima mentio aeris gravis occurrit apud Livium, l. xxii. c. 33. post depositam a Q. Fabio Maximo dictaturam, quo dictatore Plinius auctor est rursus imminutum esse assium pondus, & ad unciam redactum, simulque mutatam esse assium ad denarium rationem, ut sexdecim asses in denarium contribuerentur. Itaque prima mentio aeris gravis in praesentis pecuniae rationibus in unum idemque tempus congruit cum mutata assium ad denarium ratione.

Anacephalaeosis. Ut igitur paucis contrahamus ea quae tota hac disputatione complexi sumus, tria haud improbabiliter definiri posse credimus de aere gravi.

1°. Aes grave nullum dictum fuit, donec levatum est assium pondus.

2°. Assibus sextantariis factis, aeris gravis appellatio invecta fuit ad designandos asses librales, qui antea in usu fuerant. Verum nullus tum ejus appellationis usus fuit in summis pecuniarum quae tum conficerentur, sed tantum ubi sermo esset de aere vetere olim usitato.

3°. Assibus uncialibus factis, & mutata assium ad denarium ratione, coeperunt Romani uti appellatione gravis aeris in praesentibus etiam pecuniarum rationibus, ut retinerent priscam aestimandarum pecuniarum consuetudinem; ejusque pretium idem, quod semper, esse voluerunt, ut decem aeris gravis pro uno denario ambularent. Tuncque aes grave, non fuit nummus, non pondus quoddam verum aeris, sed merum nomen, mera appellatio, quemadmodum apud nos *denier*, *pistole*, *écu*, *livre Tournois*, quibus nominibus utimur in concipiendis pecuniarum rationibus, licet nullus eis examussim æreus, argenteus, aureusve nummus respondeat.

Ex edit. Liv. a Crevier. in 4to.

DE

DE FENORE & USURA APUD ROMANOS.

EX ſumma conditionum inaequalitate exortum eſt apud Romanos fenebre malum, tantoque acrius invaluit, quod auctoritas penes locupletes eſſet, omniaque ex eorum libidine agitarentur. Laboranti populo ſubvenêre leges; ſanctumque duodecim tabulis anno U. C. CCCIII. *ne quis unciario fenore amplius exerceret*, Tacit. Annal. VI, 16. atque ut pejorem civem oſtenderent feneratorem, quam furem, *poſuerunt furem duplo condemnari, feneratorem quadruplo*, Cato de Re Ruſtic. proœm. Ex his Taciti & Catonis verbis, in Tabula III. hanc legem ſcripſit Cl. Gothofredus, Fragment. XII. Tabul. SI QUIS UNCIARIO FENORE AMPLIUS FENERASIT, QUADRUPLIONE LUITO.

Hac quidem lege iiſque temporibus, ſatis locupletibus, plurimum pauperibus conſulebatur. At cum graviſſimis, ac maxime pecunioſis malis difficillima ſint remedia, mox abrogatis decemviris, recruduit locupletium aviditas: & populo patientiam indidêre, popularia vitia, imbecillitas, egeſtas, futuri incuria. Tum, pro cupiditate, quae durius ſaevit, cum paululum retardata, atrocius exercitum eſt fenus.

Populus vero numquam validior, & violentior, quam cum oppreſſus magis: ne in ſeditiones erumperet, lex XII. tabularum renovata eſt anno U. C. CCCXCVII. *C. Marcio, Cn. Manlio conſulibus de unciario fenore a M. Duilio, L. Moenio, tribunis plebis rogatio eſt perlata*, minime laeta patribus: eam plebs cupide ſcivit, cupidius accepit. Livius vii, 16.

At populus, quanto felicitatis rarior, tanto intemperantior, & locupletibus ſemper infenſus, fenus adhuc imminutum voluit. Et anno U. C. CDVII. *T. Manlio Torquato, C. Plautio conſulibus, ſemunciarium tantum ex unciario fenus factum*, Livius VII, 27.

Tum votorum immodicus, & ſucceſſu ferox, non modo ſe locupletibus aequalem fecit, ſed omnia etiam damna in eos recidere voluit. Anno U. C. CDXII. L. Genucius, tribunus plebis, tulit ad populum, *ne fenerare liceret*, Liv. VII. 42. De hac quoque lege Appianus Bell. Civil. I. p. 382. Νομου τινος παλαιοῦ προαγορευοντος μη δανειζειν επι τοκοις, ἡ ζημιαν τον ὁυτω δανεισαντα προσοφλειν. Ἀπογραφῆναι γαρ μοι δοκοῦσιν ὁι παλαι Ῥωμαῖοι, καθαπερ Ἑλληνες, το δανειζειν, ὡς καπηλευειν, και βαρυ τοῖς πενησι και δυσερι, και ἐχθροποιον. ᾧ λογῳ και Περσαι το κιχρᾶσθαι, ὡς απατηλον τε και φιλοψευδες. *Lege quadam vetere imperante ne quis feneraretur, vel feneratores multari. Mihi enim videntur priſci illi Romani, ſicut & Graeci, abhorruiſſe a fenore, ut a ſordida negotiatione, pauperibus & miſeris gravi, atque inimicitiarum fecunda. Perſis quoque viſum eſt fenus, fraudis & mendacii plenum.*

Haec quidem ſancita ſunt, cum anguſtiſſima eſſet res Romana, exiguis praediis, pauco aere contenta, ſine peregrinis commerciis, ſine

ſine auro & argento. At demum, gliſcente ambitione, victoria duce, magiſtra cupiditate, paupertatis ruſticaeque ſeveritatis puditum eſt, & Romanas inter artes maxima fuit ars feneratoria. Anno U. C. DCLIV. Valerius Flaccus *creditoribus quadrantem ſolvi* juſſit, Velleius, II, 23. Aſellio, praetor, a feneratoribus interemptus eſt anno U. C. DCLXV. quod legem, *ne fenerare liceret*, revocare vellet, Appian. Bell. Civil. I. p. 382.

Gravia olim & odioſa nomina, *ſemunciarium*, *unciarium fenus*, eviluêre. Tritae vero ac familiares uſurae *ex quincunce*, *ex ſemiſſe*, *ex deunce*, *centeſima*, *centeſima quaterna*, atque etiam cum *anatociſmo*. Haec fenoris & uſurae portenta genuit reſpublica, aluit imperium. Et, ut malarum omnium ſobolum eſt natura, in parentum interitum adolevêre. Haec enim unica fuit tum reipublicae, tum imperii ruinae cauſa, venalis libertas, venalis dominatio.

Nunc, ne quid lector deſideret, funeſta fenoris nomina ſuperant explicanda.

FENUS	Semunciarium,	$\frac{1}{2}$ per cent.
	Unciarium,	1 per cent.
USURA	Quadrans,	3 per cent.
	Triens,	4 per cent.
	Quincunx,	5 per cent.
	Semis,	6 per cent.
	Bes,	8 per cent.
	Deunx,	11 per cent.
	Centeſima,	12 per cent.
	Centeſima quaterna,	48 per cent.

ANATOCISMUS, anatociſm, or intereſt upon intereſt.

Ex edit: Tacit. a Brotier in 4to. ad cap. XVI. lib. VI. Ann.

DE TRIBUTIS AC VECTIGALIBUS IMPERII ROMANI.

APUD Romanos fuere tributa & vectigalia, ut ferme apud nos sunt tributa, *l'Impôt réel*, & vectigalia, *les Fermes*. Plures tamen apud Romanos, quàm apud nos vectigalium formæ; ut videre est apud Petrum Burmannum, *de Vectigalibus populi Romani*, & in libro Gallico, *Traité des Finances des Romains*: at in quo tamen sæpe diligentiam, & in intelligendis veteribus Scriptoribus perspicacitatem desideres.

Populus Romanus tributum solvit, donec anno Urbis conditæ DLXXXVI, *ærario intulit Æmilius Paulus, Perseo victo, e Macedonicâ prædâ* HS MM. CCC. Gallicæ monetæ libras 44,746,557, *a quo tempore populus Romanus tributum pendere desiit*. Plin. XXXIII, 3. Cicero, de officiis, II, 22.

Tum sanè visum maximum pulcherrimumque victoriæ monumentum. Duravit usque ad annum Urbis conditæ DCCXI, quo, Hirtio & Pansâ consulibus, tributum renovatum est. Plutarch. in Paul. Æmil. p. 275.

Vectigalia, vigente republicâ, pauca fuere, nec gravia. Nam anno Urbis conditæ DCXCIII, cùm Pompeius Magnus, M. Pisone & M. Messalâ consulibus, imperium maris populo Romano restituisset, Asiamque, quam ultimam provinciarum acceperat, eamdem mediam patriæ reddidisset; ex Asiâ, Ponto, Armeniâ, Paphlagoniâ, Cappadociâ, Ciliciâ, Syriâ, Scythis, Judæis, Albanis, Iberiâ, insulâ Cretâ, Basternis, & super hæc de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit. Inter ceteros triumphi titulos is enitebat: *Ante hæc bella, vectigalia populi Romani fuisse bis millies*, Gallicæ monetæ libras 38,910,050: *Ex iis verò, quæ ipse Urbi addiderat, esse ter millies quadringenties*, Gallicæ monetæ libras 66,147,085. Πρὸς δὲ τούτοις ἔφραζε διὰ τῶν γραμμάτων ὅτι πεντακισχίλιαι μὲν μυριάδες ἐκ τῶν τελῶν ὑπῆρχον, ἐκ δὲ ὧν αὐτὸς προσεκτήσατο τῇ πόλει μυριάδας ὀκτακισχιλίας πεντακοσίας λαμβάνουσιν. Plutarch. in Pompeio, p. 642.

Novum grandeque incrementum accessit, devictis Galliis. Iis enim Julius Cæsar, victor, circa annum Urbis conditæ DCCIII, *quadringenties*, Gallicæ monetæ libras 7,782,010, *in singulos annos stipendii nomine imposuit*, Sueton. in Jul. XXV. Quod, actis censibus, ita postea accrevit, ut plus quàm Gallicæ monetæ libras 65,000,000, solverint. Id enim innuit Velleius Paterculus, II, 39. Galliæ Caii Cæsaris *ductu auspiciisque infractæ, pæne idem, quod totus terrarum orbis, ignavum*

contulerunt stipendium. . . . Divus Augustus pene idem, factâ Ægypto stipendiariâ, quantùm pater ejus Galliâ, in ærarium reditûs contulit.

Annus erat Urbis conditæ DCCXXIV, cùm Augustus Ægypto potitus est, quam statim ipse, pòst. Tiberius aliique Principes inter præcipua regni instrumenta & arcana habuere. Quantum autem reditûs Romanis contulerit Ægyptus, conjicere possumus ex Strabone, XVII, p. 798. Ait enim Ptolemæo *Auletæ*, Cleopatræ patri, quotannis pendi solitum tributum XII M. D. talentorum, Gallicæ monetæ libras 65,362,500. Κάτ' ἐνιαυτὸν τῷ τῆς Κλεοπάτρας πατρὶ τῷ Αὐλητῇ προσφέρεσθαι φόρον ταλάντων μυρίων καὶ δισχιλίων πεντακοσίων. Addit idem Strabo, *si tanta solverentur regi, qui pessimè & segnissimè regnum administrabat, quid censendum putes de præsentibus reditibus, qui tantâ diligentiâ a Romanis administrantur, additis etiam Indicis & Troglodyticis commerciis? Superiore enim tempore, ne viginti quidem navigia in Arabicum sinum transire audebant. Nunc maximæ classes usque in Indiam & extrema Æthiopiæ transmittuntur. Inde pretiosissimæ merces in Ægyptum advehuntur, ac rursum ex Ægypto in alia loca circumferuntur; postquam duplicia soluta fuerint vectigalia: unum cùm merces importantur, alterum cùm exportantur.* Ὥς τὰ τέλη διπλάσια συνάγεσθαι, τὰ μὲν εἰσαγωγικὰ, τὰ δὲ ἐξαγωγικά.

Hactenus Strabo, cui si Plinium addideris, mutuâ luce illustrabuntur: quantumque reditûs hæc duplicia commerciorum vectigalia conferrent intelliges. Plinius enim VI, 23, cùm totum navigationis cursum ab Ægypto in Indiam diligentiùs exposuisset, addit: *Digna res nullo anno imperii nostri minus* HS *quingenties*, Gallicæ monetæ libras 9,727,512, *exhauriente Indiâ, & merces remittente, quæ apud nos centuplicato*, Gallicæ monetæ libris 972,751,250, *veneunt.*

Si ex commerciis Troglodyticis & Æthiopicis idem erat reditus, ut conjicere licet, cùm hac navigatione percelebratum Ophir, hodie *Sofala*, peteretur, indeque aurum, smaragdi, odores, aliaque id pretii afferrentur, geminabuntur duplicia hæc vectigalia. Ac nemo, ut opinor, diffitebitur Romanos ex unâ Ægypto, seu tributis, seu vectigalibus, percepisse Gallicæ monetæ libras circiter 100,000,000.

Qui ex ceteris provinciis reditus obvenirent, non prodidere veteres scriptores; aut potiùs ignoramus, quòd ea historiarum Appiani par perierit, quâ id erat prosequutus. Utendum ergo universalibus regulis, quibus tum veterum, tum recentiorum imperiorum opes certissimè & expeditissimè cognoscuntur. Iis enim cognitis, facile erit tributa ac vectigalia æstimare.

Porro in magnis imperiis, si annuas eorum incolarum expensas universè supputaveris, eas pro singulis æquare Gallicæ monetæ libras 120 comperies. Per hos ergo numeros, multiplica incolarum numerum. Inde exsurgens numerus demonstrabit

annuas

annuas incolarum expensas, ac proinde annuos imperii reditus. Alia est regula, quæ eodem ferme recidit. Imperii incolas numera. Cùm pars una alterius impendiis vivat, dimidium incolarum numerum accipe. Dimidium hunc numerum in tres partes divide, quarum duæ erunt hominum, qui vulgari operarum stipe, seu Gallicæ monetæ assibus 10, victitent, tertia eorum qui duplo carius vivant. Hanc expensam per anni dies multiplica. Summa erit annua incolarum expensa, annuus quoque imperii reditus.

Nunc verò imperium Romanum, quod ab extremâ Lusitaniâ Oruron usque, hodie *Horur*, Euphrati vicinum, patebat, erat decuplo majus regno Galliæ. Minimè dixerim eamdem fuisse in imperio Romano, ac nunc est in Galliâ, populi frequentiam. Plurima enim adversarentur, ac maximè Livii, VI, 12. Plutarchi, de Oracul. num. 6. atque ipsius Taciti in eloquentissimâ Galgaci oratione, Vit. Agric. XXX, auctoritas. Iis enim testibus, sæpissimè victores Romani vastitatem ac solitudinem fecere, idque pacem appellabant. Adde immanem imperii Romani luxum, quo nihil est populorum frequentiæ hominumque multitudini adversum magis.

Itaque ne incolarum imperii Romani numerum ultra modum amplificem, abstinebo majoribus numeris eorum, qui in Galliâ 20,000,000 hominum computant. Ne quoque Romani imperii vim extenuasse videar, ut in Galliâ plurimi, 16,000,000 hominum computant, pari ratione fuisse in imperio Romano 160,000,000 hominum libenter profitebor; annua ergo imperii Romani expensa, seu annuus imperii reditus fuit, Gallicæ monetæ librarum 19,200,000,000; aut juxta secundam regulam, librarum 19,400,000,000.

Si quis autem nunc attenderit conditionem naturamque Romani imperii: non modò urbes plurimas, sed & multos populos, vel a tributo soli, vel a tributo capitis, vel ab utroque, fuisse immunes: alios, fœderatos tantùm, nullis necessitatibus subjacuisse: in publicis calamitatibus magnas diuturnasque remissiones fieri solitas; quasdam etiam veterum aut recentium benefactorum gratiâ fuisse concessas, videbitur sanè annuas imperii Romani exactiones non superasse Gallicæ monetæ libras 1,500,000,000, aut 2,000,000,000: in summis imperii necessitatibus difficillimè æquasse 3,000,000,000: illud verò *quadringenties millies*, seu Gallicæ monetæ libras 7,78[illegible]010,000, quibus, teste Vespasiano, opus erat, *ut respublica stare posset*, exigi minimè potuisse. Summa autem illa Gallicæ monetæ librarum 1,500,000,000, aut 2,000,000,000, quæ solita imperii Romani exactio haberi potest, numquam potuit ex

solis tributis confici. Immo pars multò major debuit vectigalibus inniti.

Magnificum ergo, sed minimè possibile fuit Neronis consilium, quo cuncta vectigalia omittere agitabat. Plus in eo consilio erat ostentationis, quàm prudentiæ. Meritò ergo Neronis impetum attinuere senatores, fore dissolutionem imperii docendo. Simul usurpatam in his Neroniani imperii initiis exactionem egregiè commendant, cùm profitentur in vectigalibus ita provisum esse, *ut ratio quæstuum & necessitas erogationum inter se congruerent.*

Nerone modestior, sed prudentior meliorque Tiberius, qui, *præsidibus onerandas tributo provincias suadentibus*, rescripsit; *Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.* Suet. in Tiber. XXXII. Immortalitate verò digna fuit Imperatoris Hadriani vox, tantò laudabilior, quantò in hac, imperii primùm severitate, deinde luxu, rarior, aut potiùs numquam antè audita, AMPLIARI IMPERIVM HOMINVM ADIECTIONE POTIVS, QVAM PECVNIARVM COPIA, MALIM. Paulus in Digest. lib. XLVIII. Tit. 20, de Bonis damnatorum. leg. 7. Hæc enim vera imperiorum magnificentia. Hæc opulentia.

His breviter cursimque observatis, locus nunc foret animadvertere, quàm diligentes, quàm expediti fuerint Romani in peragendo censu, quem vulgò dicimus *le Cadastre*, novis provinciis regnisve imperio suo additis: quantâ solertiâ aliis tributa, aliis stipendia imponerent: quos & quibus legibus, agros vectigales fecerint: quot vectigalium species ac nomina repererint: quæ essent publicanorum, Gallicè *les Traitants*, quibus vectigalia per quinquennium conducebantur, societates: quænam essent portoria, *les douanes & les droits d'entrée*: quæ monopolia; quos reditus ex metallis, lapicidinis, salinis perciperent: quàm varii in his omnibus reipublicæ & imperii usus. At hæc singillatim persequi longius foret; nec pro rei gravitate, nisi singulari libro, possunt explicari.

Id unum observaverim nihil in œconomicâ re imperii Romani fuisse umquam mirabilius, quàm in peragendis censibus dexteritatem ac facilitatem. Vulgò apud nos receptum est censum in totâ Galliâ peragi non posse nisi intra duodecim quindecimve annos, nec sine expensâ Gallicæ monetæ librarum 15 aut 20,000,000. Minus certè temporis ac pecuniarum impendebant Romani, alioquin non ita frequens apud eos fuisset censuum confectio aut repetitio. Quanta autem in rectè institutis censibus sit imperiis utilitas, quantum populis levamentum, norunt omnes.

Brotier ad cap. L. lib. XIII. Tac. Ann.

DE ÆRARIO POPULI ROMANI.

ÆRARIUM populi Romani fuit in æde Saturni, in imo Capitolini montis clivo: ejus cura demandata erat quæstoribus. At, vigente republicâ, penes senatum erat ærarii & pecuniæ publicæ dispensatio. Nec quæstores, ni consul imperasset, inde quicquam, vel ad minimos sumptus, injussu senatûs, proferre poterant.

Julius Cæsar, reip. potitus, certusque invalidam esse potentiam, quæ militum ac pecuniæ vi non niteretur, providit anno Urbis conditæ DCCVIII, ut sibi soli milites & pecuniæ publicæ demandarentur, ac ne cui horum alterutro, injussu suo, uti liceret. *Στρατιώτας τε μόνον ἔχειν, καὶ τὰ δημόσια χρήματα μόνον διοικεῖν ἐκέλευσαν· ὥστε μηδενὶ ἄλλῳ μηδετέρῳ αὐτῶν, ὅτῳ μὴ ἐκεῖνος ἐπιτρέψειεν, ἐξεῖναι χρῆσθαι.* Dio, XLIII. p. 236. Tum non quæstoribus, sed duobus præfectis Urbis, *δύο τῶν πολιανομούντων*, data ærarii cura. Dio, ibid. p. 327.

Augustus, dominationis certus, & libertatem affectans, permisit senatui deligere præfectos ærario. Deinde, ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducti ex numero prætorum, qui præessent. Postea sors ipsa displicuit, quòd sæpe deerraret ad parum idoneos, prætoresque ærarii ab imperatoribus creati.

Claudius, antiqua nomina revocandi avidus, quæstores rursum imposuit, iisque *curam ærarii Saturni reddidit, quam medio tempore prætores, aut utique præturâ functi sustinuerant*, Suet. in Claud. XXIV. Nec quæstores illos, ut antè, annuos fecit; sed per triennium præesse voluit; ac ne segnes munere fungerentur, re gestâ, eos præturâ aliâve mercede munerabatur, Dio, LX. p. 680. His quæstoribus, primum magistratum vigesimo quinto ætatis anno capessentibus, robur deerat: Nero præturâ perfunctos & experientiâ probatos delegit, curamque ærarii ac tabularum publicarum a quæstoribus ad præfectos transtulit. Conjicere licet ex Plinio eos *per biennium* fungi solitos *officio laboriosissimo & maximo*, ut loquitur Plinius, ipse præfectus ærarii, imperante Trajano. Plin. in Panegyric. XCI.

Hæc enarranda fuere, ut explanaretur Tacitus. Nunc verò juvat opes ærarii, tum stante republicâ, tum imperantibus Principibus, expendere.

ÆRARII

ÆRARII OPES, STANTE REPUBLICA.

ANNO Urbis conditæ CDLIX, Consul Papirius, devictis Samnitibus, triumphum egit. In triumphi pompâ *æris gravis transvecta* XX (id est *vicies*, seu quod idem est, *vicies centena millia*) *& quinquaginta tria millia*; *id æs redactum ex captivis dicebatur. Argenti, quod captum ex urbibus erat P. M. CCCXXX. Omne æs argentumque in ærarium conditum*, Livius X, 46. Sic enim hic Titi Livii locus legendus est, nec audiendi, qui cum Sigonio *vicies centies millies*, quod omnino absurdum, legêre aut edidere.

Porro æris gravis 2,053,000. sunt monetæ Gallicæ libræ - - - - - - - - - - 1,324,825.

Argenti pondo 1330, sunt monetæ Gallicæ libræ - - - - - - - - - - - - 86,932.

Summa - - - - - - - - 1,411,757.

Anno Urbis conditæ DLXXXVI, superato Perseo, Macedonum rege, ærario *intulit Æmilius Paulus e Macedonicâ prædâ*. HS. MM. CCC. Plin. XXXIII, 3.

Sestertiûm 230,000,000, sunt monetæ Gallicæ libræ - - - - - - - - - - 44,746,557.

Anno Urbis conditæ DXCVII, cùm Carthagini excidium pararetur, *auri in ærario populi Romani fuere, Sexto Julio, L. Aurelio consulibus, septem annis ante bellum Punicum tertium, pondo XVI. DCCCX. argenti XXII. LXX. & in numerato LXII. LXXXV. CCCC.* Plin. XXXIII, 3.

Auri pondo 16,810, sunt monetæ Gallicæ libræ . . 15,885,450.

Argenti pondo 22,070, sunt monetæ Gallicæ libræ - - - - - - - - 1,442,550.

In numerato, seu sestertiûm, 6,285,400, sunt monetæ Gallicæ libræ - - - - 1,222,896.

Summa - - - - - 18,550,896.

Anno Urbis conditæ DCLXIII, *Sexto Julio, L. Marcio consulibus, hoc est belli socialis initio*, fuere in ærario pondo *auri XVI. XX. DCCCXXIX*. Plin. XXXIII, 3.

Auri pondo 1,620,829, sunt monetæ Gallicæ libræ. - - - - - - 1,512,783,405.

Anno Urbis conditæ DCCV, *Caius Cæsar, primo introitu Urbis in civili bello suo, ex ærario protulit laterum aureorum XV. M. argenteorum XXXV. & in numerato HS. CCCC. Nec fuit aliis temporibus respublica locupletior*, Plin. XXXIII, 3. Sic enim legendum. Nam hoc in loco bis erravit eruditus Harduinus: primò

primò quòd edidit *laterum aureorum* xxv. Inspexi in Bibliothecâ Regiâ illum ipsum Plinii codicem, quem laudat, & in eo non xxv, sed xv scriptum. Erravit secundò, quod ita distinxit *in civili bello, suo ex ærario*, ut ad Julii Cæsaris ærarium referret, quod de populi Romani ærario dixit Plinius; teste ipso Floro IV, 2, *Caius Cæsar ærarium quoque sanctum, quia tardiùs aperiebant tribuni, jussit effringi: censumque & patrimonium populi Romani antè rapuit, quàm imperium.*

Nunc verò in numerato sestertiûm 40,000,000, sunt monetæ Gallicæ libræ - - 7,782,010.

Aureorum autem & argenteorum laterum pondus cùm Plinius non prodiderit, incomperta est summa. At quoniam numquam resp. fuit locupletior, reputari potest, sine erroris formidine, opes reip. tunc temporis æquasse monetæ Gallicæ libras circiter - - - - - - - - - - - 2,000,000,000.

Tantas opes a Julio Cæsare raptas animosè queritur, earumque originem facundè docet Lucanus III, 154.

Tunc rupes Tarpeia sonat, magnoque reclusas
Testatur stridore fores: tunc conditus imo
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani censûs populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi:
Quod tibi, Roma, fugâ Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius regi non vendidit auro.
Quicquid parcorum mores servastis avorum,
Quod dites Asiæ populi misêre tributum,
Victorique dedit Minoia Creta Metello,
Quod Cato longinquâ vexit super æquora Cypro.
Tunc Orientis opes, captorumque ultima regum
Quæ Pompeianis prælata est gaza triumphis,
Egeritur: tristi spoliantur templa rapinâ;
Pauperiorque fuit tunc primùm Cæsare Roma.

ÆRARII OPES, IMPERANTIBUS PRINCIPIBUS.

MAnsit ærarii nomen; ac, quasi auctâ fortunâ, etiam geminatum: nam Ærarium Militare ex vicesimâ hereditatum instituit Augustus. At perierant opes publicæ, & in privatam Cæsarum fortunam cesserant. Nec immeritò a Græcis historiæ Romanæ scriptoribus ærarium, non Ταμεῖον aut Δημόσιον, sed Βασίλειον, aut Βασιλικὸν, plerumque postea nuncupatum est.

Anno Urbis conditæ DCCXXVI, *adeò egens erat ærarium, ut mutuò sumptas pecunias in id intulerit* Augustus. Ἐπειδὴ χρημάτων τῷ δημοσίῳ ἐδέησεν, ἐδανείσατο τινῶν, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ. Dio, LIII, p. 497.

Nec puduit Augustum, cùm, sub finem imperii, breviarium rerum suarum ære inscriptum ubique terrarum legendum proponeret, gloriari: QVATER. PECVNIA. MEA. IVVI. AERARIVM. ITA. VT. SESTERTIVM. MILLIENS. ET. QVINQVIENS. AD. EOS. QVI. PRAEERANT. AERARIO. DETVLERIM. ET. M. Æmilio ET. L. ARVNTIO. COS. IN AERARIVM. MILITARE. QVOD. EX. CONSILIO. constitutvM. EST. EX. quo PRAEMIA. DARENTVR. MILITIBVS. QVI. viginti stipendia EMERVISSENT. HS. MILLIENS. ET. SEPTINGENTIens nomine Tiberii Cæsaris & MEO DETVLI. Marmor Ancyranum apud eruditum Chishull, *Antiquitates Asiaticæ*, p. 174.

Sestertiûm 100,500,000, sunt monetæ Gallicæ libræ. 19,552,290.
Sestertiûm 170,000,000, sunt monetæ Gallicæ libræ. 33,073,542.

Anno U. C. DCCLXXXVI, Tiberio imperante, maxima fuit Romæ inopia rei nummariæ, quòd signatum argentum, divenditis reorum damnatorumve bonis, fisco, vel ærario, attinebatur. Necessitati, quam fecerat, opem tulit Tiberius, ut videre licet Annal. VI, 17, *disposito per mensas millies sestertio*, Gallicæ monetæ libris 19,455,025, *factâque mutuandi copiâ sine usuris per triennium*. Ipse moriens, anno U. C. DCCXC, reliquit, teste Suetonio in Caio XXXVII, *vicies ac septies millies sestertiûm*, Gallicæ monetæ libras - - - 525,285,675.

Anno U. C. DCCCX ita exhaustæ opes publicæ, ut, teste Tacito Annal. XIII, 31, Nero ærario intulerit *sestertiûm quadringenties*, Gallicæ monetæ libras - 7,782,010.

Postea Neronis libidinibus, Galbæ, Othonis & Vitellii discordiis, malum ita adcrevit, ut sub finem anni U. C. DCCCXXII, prætores ærarii publicam paupertatem quererentur,

tur, & modum publicis impensis postularent: Tacit. Hist. iv, 9. & 40.

Eodem anno U. C. DCCCXXII, cum Vespasianus imperium capessisset, professus est, teste Suetonio, in Vespas. xvi, opus esse, ut resp. stare posset, *quadringenties millies*, Gallicæ autem monetæ libris - - - - - 7,782, 010, 000.

Tanta summa fuit funditus exhausti imperii Romani argumentum, non verò ingens illud politicæ artis arcanum & instrumentum, quo viget exsultatque Britannica res, ære alieno adeò valida ac formidanda, ut debitum suum, singulis annis ultro profiteatur, &, exeunte anno 1767, debuerit libras sterlingias 147,974,564.
Id est Gallicæ monetæ libras - 3.375.578.573.
Grande anteactis ætatibus miraculum, præsentibus meditamentum, futuris exemplum.

Imperium verò Romanum, non his superbis fortunæ pignoribus elatum, sed pudendis necessitatibus fractum, quadringenties illud millies numquam potuit ærario inferre, ruinasque suas reparare. Id tantùm valuere optimi Principes Vespasianus, Titus, Nerva, Trajanus & Hadrianus, ut propè afflictam ac nutantem remp. fulcirent & suffultam adornarent.

Anno U. C. DCCCCXIV, Antonino Pio laudi datum est, auctore Dione, LXXIII. p. 833, quòd, ut & Tiberius, moriens reliquerit vicies ac septies millies sestertiûm, monetæ Gallicæ libras
- - - - - - - - - 525,285,675.

Anno U. C. DCCCCXLVI, auctore eodem Dione, ibid. Pertinax, cùm succederat Commodo, ad summum reperit decies sestertiûm, πέντε τε καὶ εἰκοσι μυριάδας δραχμῶν εὗρων. Id est monetæ Gallicæ libras
- - - - - - - - - - - - 194,531.

Sic Roma, vigente republica, assiduis bellis, e maxima paupertate ad summas opes evecta, imperantibus principibus, diuturnaque triumphati orbis pace, e summis opibus ad maximam paupertatem recidit. Proh imperiorum fata!

Brotier ad cap. XXIX. lib. XIII. Ann: Tacit.

ADDENDA AD DISSERTATIONEM DE TRIBUTIS &c.

NON mirum est, annuas imperii Rom. in tributis ac vectigalibus exactiones, cùm modestæ essent, potuisse pervenire ad Gallicæ monetæ libras 2,000,000,000. Aliquid stupendum magis, & quod antiquitati prorsus incredibile fuisset visum, in Bri-

 tannia

tannia nunc videmus, cujus annua pro administrando Britannico suo regno expensa hodie æstimatur libris sterlingiis 56,000,000, seu Gallicæ nostræ monetæ libris 1,258,000,000. Quam mutata tempora! Tantula nunc est Roma: tanta verò Britannia. Neronis temporibus Britannia, acrioribus philosophi Senecæ usuris ob creditum quadringenties sestertium, Gallicæ monetæ libras 7,782,010, vexata, ad rebellionem adigebatur, nunc potens florensque ad immensas expensas sufficit.

Inde autem intelligere est Vespasianum non exaggerasse imperii Rom. necessitates, sed potiùs providentissimè judicasse, cùm diceret, teste Suetonio, in Vespasian. Cap. 16. opus esse ut resp. stare posset *quadringenties millies*, id est, Gallicæ monetæ libris 7,582,010,000. At tantis opibus par esse numquam potuit imperium Romanum, cùm nondum comperta esset mira illa commerciorum vis, quæ nunc efflorescit. Quanta autem in his commerciis sit utilitas, vel una Britannia luculentèr ostendit, quæ, teste Cl. Pownall, ex solis lanarum mercibus octavam percipit annuarum suarum expensarum partem, scilicet libras sterlingias 8,000,000, Gallicæ monetæ libras 180,000,000.

Brotier ad cap. L. lib. XIII. Ann. Tacit.
ex edit. in 12mo. Anni 1776.

DE LUXU ROMANORUM.

M. Scaurus, Syllæ, tot millium proscriptione funestissimi, privignus, luxu suo funestior, mores civiles ædilitate sua prostravit circa annum Urbis conditæ DCLXXVIII, theatrumque temporarium, vix uno mense futurum in usu, posuit. *Scena ei triplex in altitudinem* CCCLX. *columnarum . . . . ima pars scenæ e marmore fuit : media e vitro, inaudito etiam postea luxuriæ genere : summa e tabulis inauratis. Columnæ imæ duodequadragenûm pedum. Signa ærea inter columnas fuerunt tria millia numero. . Cavea ipsa cepit hominum* LXXX *millia . . . . . Reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, ceteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis, quæ superfluebant, quotidiani usûs deliciis, incensa villa ab iratis servis, concremaretur ad* HS *millies*, Gallicæ monetæ libras 19,455,025. Plin. XXXVI, 2, 6 & 15.

Luxus

DE LUXU ROMANORUM.

Luxus ille domesticus brevì apud Romanos eviluit. In hac rerum suarum satietate, alienarum avidi, peregrinos odores ex felici Arabia, ex India & Seribus margaritas petiêre tam effrenâ luxuriâ, ut *minima computatione millies centena millia sestertiûm*, Gallicæ monetæ libras 19,455,025. *annis omnibus imperio* adimerent. *Tantò* illis *deliciæ & feminæ* constabant, Plin. XII, 18.

At quod portentosum magis, post Actiacam victoriam luxus in ingluviem transiit. Pisces hominum, coqui *triumphorum pretiis* parati: & M. Apicius, inter gulæ proceres maximus, immensa re familiari comessationibus exsorpta, cum superesse sibi tantum sestertiûm centies, Gallicæ monetæ libras 1,945,502, computasset, vitam veneno finivit, ne in ultima fame viveret. Juvenal IV, 25. Plin. IX, 17. Senec. Consol. ad Helviam X.

Quid hæc ? si cogitemus margaritas ipsas in gulas fuisse conditas. Cleopatram enim, solam se centies H S, Gallicæ monetæ libras 1,945,502. cenaturam gloriatam, & margaritâ, singulari ac verè unico naturæ opere, aceto liquefactâ & epotâ superbam, æmulati sunt, ne hac luxuriæ gloriâ spoliarentur. *Prior id* fecit *Romæ* in unionibus magnæ taxationis Clodius, histrionis *Æsopi filius : expertus enim in gloria palati quid saperent margaritæ*, atque ut decies H S, Gallicæ monetæ libras 194,531, solidum absorpsit, mirumque placuit ; *ne solus hoc sciret, singulos uniones convivis quoque absorbendos dedit :* quod *Romæ in promiscuum ac frequentem usum* venit. Plin. IX, 35. Horat. II. Satyr. III, 240. Tali filio dignum patrem, Æsopum non puduerat patinam habere H S centum, Gallicæ monetæ libras 19,453 taxatam : *in qua* posuerat *aves cantu aliquo aut humano sermone vocales*, H S *sex*, Gallicæ monetæ libras 1,167, *singulas coemptas, nulla alia inductus suavitate, nisi ut in his imitationem hominis manderet, ne quæstus quidem suos reveritus illos opimos, & voce meritos*, Plin. X, 51.

Quis postea miretur P. Clodium, a Milône occisum, *sestertiûm centies & quadragies octies*, Gallicæ monetæ libris 2,879,442, *domo empta*, habitasse, Plin. XXXVI, 15. *Vasa coquinaria ex argento* Calvum oratorem habuisse; & *duos scyphos Mentoris artificis* cælatos sestertiis C, monetæ Gallicæ libris 19,453, *nunquam his uti propter verecundiam ausum :* inventas *carrucas ex argento* cælatas; *lances e centenis libris argenti* factas ; *lectos mulierum totos* opertos *argento*, postea *aureos* fuisse, Plin. XXXIII, 11. Ipsum M. Tullium Ciceronem *in illa* sua *paupertate*, & *illo ævo*, veteris parcimoniæ nondum oblito, mensam citream H S, X, Gallicæ monetæ libras 194,531 emisse : aliam a Cethegis descendentem H S XIV, Gallicæ monetæ libris 272,333, fuisse permutatam, Plin. XIII, 15 ? Quid loquar libidinis portenta, & unum spadonem, a Sejano

HS D, Gallicæ monetæ libras, 9.727, 512, emptum? Quid dicam tanto acriorem circa tabulas & ſtatuas inſaniam, quanto honeſtiori ſpecie?

At quas ergo opes habebant Romani, ut tanto luxui ſufficerent? Illas æſtimemus, non ex Craſſo, ætatis ſuæ Quiritium poſt Syllam ditiſſimo, qui in agris HS M̄M̄, Gallicæ monetæ libras 38,910,050, poſſedit; ſed ex C. Cæcilio Claudio Iſidoro, homine ſatis ignobili, qui *Aſinio Gallo & Marcio Cenſorino Coſs. A. U. C.* DCCXLVI. *A. C.* 8. VI. *Kal. Febr. teſtamento ſuo edixit, quamvis multa civili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſervorum quatuor millia centum ſedecim: juga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris cc. quinquaginta ſeptem millia: in numerato* HS D̄C̄, Gallicæ monetæ libras 11,673,015. *Funerari ſe juſſit* HS X̄Ī, Gallicæ monetæ libris 213,984, Plin. XXXIII, 10. Ipſe augur Cn. Lentulus, homo *ingenii tam ſterilis, quàm puſilli animi,* ab Auguſto, ad quem attulerat paupertatem, ditatus, *quater millies ſeſtertiûm,* Gallicæ monetæ libras 77,820,100, congeſſit. Senec. de Benefic. II, 27.

Obſervandum adhuc hic luxûs initia recenſeri; adoleviſſe ſub Caligula; ſub Claudio, & Nerone, ita adcreviſſe, ut philoſophus Seneca, qui præter villas aliaque plurima, quingentas citreas menſas, & HS ter millies, Gallicæ monetæ libras 58,365,075, paraverat, vix locuples appellaretur, & libertinis pauperior eſſet, Dio LXI. p. 694. Tacit. Annal. XIII, 42. XIV, 55.

Ita luxuriæ peſtis graſſata eſt in populo, *cui* olim *bina jugera ſatis* fuerant, nec ullis *majorem modum* attribuerat Romulus, Plin. XVIII, 2. qui arantem quatuor ſua jugera, nudum, & pleno pulveris ore, cum Viator dictaturam ei adtulit anno U. C. CCXCVI, Quinctium Cincinnatum laudaverat, Plin. XVIII, 3. qui *Cornelium Rufinum, bis conſulem, & dictaturâ functum,* a cenſore Fabricio ſenatu motum, *ob luxuriæ notam, quòd decem pondo libras,* Gallicæ monetæ libras 653, *argenti facti* haberet, anno U C. CCCCLXXIX irriſerat, Gellius IV, 8. At devicta Aſia anno U. C. DLXIV luxuriam in Italiam miſit. Lente & verecunde excepta, Scipio Africanus anno U. C. DLXXI libras XXXII argenti, monetæ Gallicæ libras, 2,091, hæredi reliquit. Frater ejus Allobrogicus primus omnium pondo mille, monetæ Gallicæ libras 65,362, habuit.

Malorum feracior exſtitit annus Urbis DCVIII, quo everſa Carthago æmulationem, virtutis parentem, ſuſtulit; incenſa Corinthus, capta Achaia, ſigna & tabulas pictas invexêre. Donata demum ab Attalo Aſia anno U. C. DCXXI, civitatem paulatim aſſuetam amare & admirari opulentiam externam, ultroque in inſanias, quas memoravimus, ruituram, penitus perdidit,

Vetùm

DE LUXU ROMANORUM.

Verùm ne tota hæc disquisitio in admirationem indignationemve exeat, singularem Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix* VII, 4. Tom. I. p. 158. de luxu sententiam paucis expendamus. Hæc præcipua ejus, quæ nos spectant, capita: Tiberium existimasse luxum in regnis esse necessarium; illum in literis, quæ capite sequenti leguntur, approbasse. Unde adstruit in regnis luxûs necessitatem; nullas in iis debere esse leges sumptuarias: & concludit respublicas luxu, regna egestate perire. *Tibere voyoit bien qu'il ne falloit plus de loix somptuaires . . . . . Le luxe est donc nécessaire dans les Etats Monarchiques . . . . . Tout ceci mene à une reflexion. Les Rèpubliques finissent par le luxe; les Monarchies par la pauvreté.*

At *Tiberius Cæsar, minimè comis imperator,* immo *tristissimus, ut constat, hominum,* teste Plinio XXXV, 4. & XXVIII, 2. luxui fuit semper infensissimus, Sueton. in Tiber. XXXIV. In egregiis suis hac de re literis luxum toleravit, non approbavit. Noverat Princeps callidus, & regnatricis artis peritissimus, irrepentibus vitiis citò occurrendum; vigentibus, acriter, sed lente obsistendum; insanabilibus, ne crescant, connivendum. Vitia esse atrocia, quæ severitate extermines: esse dulcia, quæ severitate irrites. Luxum dulce esse vitium, extremis reip. exemplis & Augusti libidinibus factum insanabile; igitur dissimulandum, malique remedium, vel ex austeritate Principum, quorum exempla plurimum valent, luxûsque infamiâ, petendum; vel tempori, quod, ut virtutes in vitia, ita quoque, sed raro, vitia in melius mutat, permittendum. Fateor resp. luxu perire: regna quoque luxu perire contendo. Nec unquam audivi Babylonica, Assyria, Ægyptia, Parthica, aliaque luxu celebratissima regna egestate periisse. Luxu pereunt respublicæ, crescente ambitione: luxu pereunt regna, decrescente virtute. In rep. luxus erigit animos: in regno deprimit. Luxu reip. civis, æqualitate exuta, dominationem affectat: luxu regnorum civis, induta æqualitate, dominationem aspernatur. Optima respublica, in qua nullus est luxus: regnum optimum, in quo luxus pro conditionum varietate varius, & in singulis modestus.

Brotier ad cap. LII. lib. III. Tacit. Annal.

DE NERONIS AUREA DOMO.

NERO, majestatem suam Augusti, Tiberii, Caiique domibus coarctari ratus, forte etiam Cyrum æmulatus, qui, teste Plinio, XXXIII, 3, *aureas cameras & argenteas trabes, & columnas, atque parastaticas* habuerat, magnificam domum fecit, quam *Transitoriam* appellavit. Ea urbis incendio absumpta, patriæ ruinis usus est, ut immenso ambitu, majore sumptu, eruditioreque luxu novam domum, aut potius urbem in ipsa Urbe, conderet. In hac domo, quam *auream* nominavit, *haud perinde gemmæ & aurum miraculo* erant, *solita pridem & luxu vulgata, quam arva & stagna, & in modum solitudinum hinc silvæ, inde aperta spatia & prospectus.* Tacit. Annal. XV, 42. Nero *ejusmodi domum cùm absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret quasi hominem tandem habitare cœpisse.* Sueton. in Ner. XXXI. Vix ratus se adhuc quasi Principem habitare.

Domus illa a via Sacra & *palatio*, seu Augusti domo, *Esquilias usque* protendebatur. Sueton. loc. cit. Nempe spatium ingens locaque illa obtinebat, ubi nunc ecclesiæ sanctæ Franciscæ, sancti Francisci de Paulâ, sancti Petri ad Vincula, Amphitheatrum nunc *Colosseo*, vel *le Colisée*, Thermarum Titi rudera, ecclesia sanctæ Mariæ Majoris, parsque maxima hortorum, qui in Esquilino monte diffunduntur.

In hac domo omnia ad magnificentiam composita. In ejus vestibulo stabat æneus *colossus centum viginti pedum*, Neronis *effigie.* Sueton. loc. cit. *Porticus triplices milliarias* habebat. Sueton. ibid. Quod certe magnificentissimum fuit, sive porticus, triplici ordine columnarum suffultæ, mille columnas habuerint, sive mille passus fuerint complexæ.

Aulæ autem, conclavia, cubicula, sellariæ, id est arcanarum libidinum sedes, *cuncta* denique *auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant.* Sueton. loc. cit. Inter has opes eminebant adhuc *cenationes* (Gallice *les sallons à manger,*) *laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores; fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur.* Illarum autem *cenationum præcipua* erat *rotunda, quæ perpetuò diebus ac noctibus*, id est indesinenter, *vice mundi circumageretur*; nobili sanè gratissimoque artificio. *Balineæ marinis & Albulis* fluebant *aquis.* Sueton. ibid. Sic e mari per plus quàm sedecim millia passuum arcessitæ aquæ. Sic ex urbe Tiburtinâ, nunc *Tivoli*, petita est egelida sulphureaque aqua Albula, vulneribus saluberrima. Plin. XXXI, 2.

Quid nunc eloquar tantam auri vim in hac domo fuisse, ut, cùm Nero Pompeii theatrum operuisset auro, quod Tiridati, Armeni

meniæ regi, ostenderet, ea fuerit, teste Plinio XXXIII, 3, exiguâ aureæ domûs pars? Quid dicam *clarissima quæque*, artium *monimenta* undequaque terrarum in Urbem convecta, & *in sellariis domûs aureæ disposita?* Plin. XXXIV, 8. Quid referam ex ipsa Cappadocia Phengiten lapidem, recèns repertum, duritiâ marmoris, candidum ac translucentem fuisse advectum, ut Fortunæ Sejæ ædes ibi exstrueretur! Plin. XXXVI, 22. Quid memorem locupletissimam supellectilem, adeo ut tricliniaria Babylonia, *les tapis pour les lits à manger*, quadragies sestertio, Gallicæ monetæ libris 778,315, Neroni steterint: Plin. VIII, 48. atque sua inter pocula *capidem unam murrhinam*, *petite coupe faite d'une pierre précieuse de l'Orient*, habuerit, quam *trecentis talentis*, Gallicæ monetæ libris 350,150, paraverat? Plin. XXXVII, 2. At de his, ut & de colosso, commodius dicetur inter *Anecdota de Nerone*. Haud tamen siluerim *sceptra*, & *personas histrionum*, & *cubilia amatoria* fuisse *unionibus* constructa. Plin. ibid.

Verùm, hæc quanta quanta sint, admirationem adhuc in ea domo Aurea vincebant arva, stagna, ceteraque luxûs ornamenta simul & oblectamenta. *Stagnum* unum memorat Suetonius, loc. cit. *maris* instar, *circumseptum ædificiis ad urbium speciem*. Adde rura, vineta, pascua, silvas, *varia cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum*. Sueton. ibid. Sic una domus totam fere naturam, præcipuaque artium miracula complectebatur.

Id quidem mirabatur otiosum vulgus. At fuere, qui domûs amplitudine Romanos ab Urbe ejici quererentur. Hinc famosi versus, quos retulit Suetonius in Ner. XXXIX.

Roma domus fiet: Veios migrate, Quirites,
Si non & Veios occupat ista domus.

Qui altiora cogitabant, indignabantur modestiam Romanam, terrarum orbis victricem, ignavi Principis luxu ita dehonestari. *Bis vidimus urbem totam cingi domibus Principum Caii & Neronis, & hujus quidem, ne quid deesset, aurea. Nimirum sic habitarunt illi, qui hoc imperium fecere, tantas ad vincendas gentes, triumphosque referendos ab aratro, aut foco, exeuntes, quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quàm sellariæ istorum.* Plin. XXXVI, 15.

Floruit domus Aurea, stante Nerone. Eo exstincto viguit adhuc, vigentibus libidinibus. Otho, earum æmulus, ut imperium adeptus est, quasi Neroniano luxui aliquid deesset, nihil *quidquam prius pro potestate subscripsit, quàm quingenties sestertiûm*, Gallicæ monetæ libras 9,727,512, *ad peragendam Auream domum*. Sueton. in Othon. VII.

At tandem sua magis, quàm aliena, vi profligatis his imperii pestibus, sub felicibus Vespasiani Titique auspiciis Roma acqui-

evit

evit. Tum immensa unius Principis luxuria in publicos usus versa. Colossus *dicatus solis venerationi est, damnatis sceleribus* Neronis. Plin. xxxiv, 7. *Clarissima* artium *monimenta in templo Pacis aliisque* Vespasiani *operibus* dicata. Plin. xxxiv, 8. num. 24. In stagnorum loco assurrexit stupenda magis Amphitheatri moles. Thermæ Titi superbum agrum occupavere. Roma demum Romanis reddita est, ut egregiè dicit Martialis, libr. Spectac. Ep. 2.

Hic, ubi sidereus propius videt astra colossus,
Et crescunt mediâ pegmata celsa viâ
Invidiosa feri radiabant atria regis;
Unaque jam tota stabat in urbe domus:
Hic, ubi conspicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hic ubi miramur velocia munera thermas
Abstulerat miseris tecta superbus ager.
Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras;
Ultima pars aulæ deficientis erat.
Reddita Roma sibi est, & sunt, te præside, Cæsar,
Deliciæ populi, quæ fuerant domini.

Aureæ domûs ichnographiam, ad veterum scriptorum fidem, ac maximè ad hoc Martialis epigramma exactam, delineavit Cl. Piranesi, *Antichita Romane*, Tom. 1. Tabul. xliii. Extant adhuc quædam ejus rudera, quæ vide apud eumdem Piranesi, loc. cit & p. 34. ac Tabul. xxxiii.

Quantum autem impensarum in hac domo exstruenda factum fuerit, satis declarat Suetonius loc. cit. cùm ait Neronem *non in alia re* damnosiorem fuisse, *quàm in ædificando.* Apertius adhuc expressiusque Tacitus, Annal. xv, 45. *Conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciæ eversæ, sociique populi, & quæ civitatum liberæ vocantur. Inque eam prædam etiam dii cessere, spoliatis in Urbe templis, egestoque auro, quod triumphis, quod votis, omnis populi Romani ætas prospere aut in metu sacraverat . . . Per Asiam* etiam *atque Achaiam non dona tantùm sed simulachra numinum* abrepta. Adde maxima impensarum instrumenta, operis nempe magistros & machinatores fuisse Severum & Celerem, *quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegavisset, per artem tentare, & viribus Principis inludere.* Tacit. Annal. xv, 42.

Automata hac ætate fuisse celebratissima docet tum cenatio illa rotunda, quæ perpetuo motu, mundi vice, circumagebatur, tum Triton ille argenteus, qui Claudio Principe, e medio lacu Fucino per machinam emersit, &, exciente buccina, navalis prœlii signum dedit; ut videre licet in Notis & Emendationibus ad Annal. xii, 56. Brotier ad cap. xlii. l. xv. Ann. Tac.

DE VEXILLARIIS.

VEXILLARII, de quibus tot diversæ eruditorum opiniones circumferuntur, ii sunt, qui nec sub signis, nec sub aquilis, sed sub vexillis militabant. Cuique legioni vexillum unum erat adtributum : inde in inscriptionibus apud Gruterum, pag. CCLVI, 8. VEXILLATIO LEGI. XX: apud Cl. Schoepflinum, Alsat. Illustrat. Tom. I. p. 441. VEXSILLATIO LEG. XXII. apud Tacitum Hist. II, 100. *Vexillarii quartæ decimæ & sextæ decimæ legionum.* III, 22. *Cum vexillis nonæ, secundæque, & vicesimæ, Britannicarum legionum* ; & Annal. XIV, 34. *Quartadecima legio cum vexillariis vicesimariis :* Annal. IV, 73. *Vexilla legionum e superiore Germaniâ.* Vexillationes legionariæ generatim appellabantur *vexillarii e legionibus*, Tacit. Hist. III, 48.

At quibus militibus constabant hæ vexillationes ? primò Veteranis, qui *sub vexillo* retinebantur, donec honestam missionem obtinerent, *ceterorum immunes nisi propulsandi hostis*. Tacit. Annal. I, 36 & 39. III, 21. Secundò *legionariis infirmis*, aut potiùs *convalescentibus*, Cæsar de Bello Gall. VI, 36. *Complures erant in castris ex legionibus ægri relicti : ex quibus qui hoc spatio dierum convaluerant, circiter* CCC *sub vexillo unà mittuntur*. Tertiò Tironibus : *vexillum Tironum* memorat ipse Tacitus, Annal. II, 78. Quartò Romanis omnibus, qui militabant, nec in legiones erant adlegendi. Sic apud Suetonium in Aug. XXV. Libertini, qui in Illyrico & Germaniâ, imperitante Augusto, militavêre, *sub vexillo* fuisse dicuntur.

Ex his patet vexillariorum numerum definitum non fuisse, sed pro diversis circumstantiis diversum. In castris minorem locum quàm legionarii obtinebant. Idque innuit Hyginus in Gromatic. p. 72. *Vexillarii legionum eamdem pedaturam accipere debent quod cohors legionaria : ad sexcentenos homines computantur*. Cùm vexillationes in provincias mittebantur, iis virum aliquem insignem fuisse præpositum patet ex veteribus inscriptionibus apud Gruterum, p. CCCCVII. num. I. L. FABIO. M. F. GAL. CILONI .... PRÆPOSITO. VEXILLATION. PERINTHI. PERGENTIB. & p. CCCCXLI. num 4. L. NERATIO. C. F. VOL. PROCVLO .... .. MISSO. AB. IMP. ANTONINO. AVG. PIO. AD. DEDVCENDAS. VEXILLATIONES. IN. SYRIAM. OB. BELVM. PARTHICVM. PRAEF. AERARI. MILITARIS.

Nunc verò difficiliora quædam de vexillariis facilè explices. *Tredecim vexillariorum millia* recensentur, Tacit. Hist. II, 83. Nec mirum, cùm plurimarum legionum vexillationes mitterentur, & plurimi essent tirones. *Vexillariis pulsis*, dicuntur *vires legionis non affuisse*, Tacit. Hist. II, 66. Meritò quidem : legio enim longè fortior fuit vexillariis, quorum vis exigua in convalescentibus ; ars ferme nulla in tironibus : validiores veterani, sed numero

 impares,

impares, & longâ militiâ, atque annis, laborum intolerantes. Vexillationes ab Augusto inventas non fuisse ex earum dispositione, Juliique Cæsaris verbis manifestum est. Aliorum opiniones refutare superfluum, proponere sit satis. Lipsius, Milit. Rom. 1, 8. contendit vexillarios esse veteranos sub vexillo retentos. Pichena & J. F. Gronovius in Tacit. Annal. 1, 38. De vit. Agric. 18. volunt esse legionarios aliquò & seorsim missos, Gallicè *des détachements*. Salmasius, Milit. Rom. c. 19. pronuntiat esse levis armaturæ milites, Gallicè *des troupes légeres* . . . . Ernestus, edit. Taciti, Tom. II, p. 578. & in commentariis Societatis Regiæ Goettingensis, Tom. 1. artic. XIII docet esse tirones, Gallicè *des recrues*.

Utrum fuerint quoque vexillationes auxiliorum, haud ita compertum. *Vexillarios* quidem *e cohortibus* memorat Tacitus, Hist. III, 6. *Germanicorum vexillationem* Suetonius in Galbâ XX: *Germanorum vexilla* Tacitus, Hist. 1, 31 & 70. Et C. Julius dicitur apud Gruterum, p. CCCCXV. num. 5. TRIB. . VEXIL. DACOR. PARTHIC. Id est, *tribunus vexillariorum Dacorum, Parthicorum*. At auxiliares illi, qui sub suis vexillis militabant, & particulatim mittebantur, dici potuerunt vexillationes, licet omnino diversi essent a vexillationibus legionariis.

Vexillationes posteriore ævo, non pedestri, sed equestri, nec legionariâ, sed externâ militiâ constitisse rectè probat eruditus Philip. a Turre, Monumenta veteris Antii, c. IX. p. 127. quem consule, si volueris. Nec enim hæc recentioris ævi ad nos pertinent.

Brotier ad c. XXXVIII. l. 1. Ann. Tacit.

DE MILITARIBUS ROMANORUM VIRIBUS.

TIBERII ætate militares Romanorum vires constitere quinque & viginti legionibus, quæ, si ex Vegetianâ II, 6. computatione æstimentur, efficiunt peditum . . . . 152,500.
equitum . . . . 18,150.

Cuique legioni sua erat vexillatio, quæ videtur fuisse circiter 1,200. hominum. Numerus itaque vexillariorum . . . 30,000.
Novem erant prætoriæ cohortes . . . . 9,000.
Tres urbanæ cohortes . . . . 4,500.

Præterea *Romanus populus pro decore & utilitate magnitudinis suæ, non propter necessitatem tumultûs alicujus classem parabat ex tempore: sed, ne quando necessitatem sustineret, semper habuit præparatam*, Veget. V, I. Nec unum fingamus classem: sex habuit populus Romanus, quatuor maritimas, duas fluviatiles. Maritimæ

trirem-

triremibus, liburnis, navibus roſtratis conſtabant: fluviatiles, *luſoriis*, ut eas appellat Vegetius II, I. Inter maritimas duæ erant primariæ & *Prætoriæ*, ut in Inſcriptionibus nominantur: altera Miſenatium, Ravennatium altera: utraque ſingulis legionibus inſtructa, teſte Vegetio V, I. Prætoriarum veluti vicariæ erant duæ aliæ maritimæ claſſes cum valido remigio; altera Forojulii, ſeu Gallica: altera in Ponto, ſeu Pontica, Tacit. Hiſt. II, 83. E fluviatilibus claſſibus, altera in Rheno, quam Germanicam claſſem appellat Tacitus Hiſt. I, 58. In Danubio altera, de quâ Tacitus Annal. XII, 30. At quot navibus, quot hominibus conſtarent claſſes illæ, haud ita compertum. Maritimas imperii vires ex Actiacâ pugnâ æſtimemus: ad illam convenêre naves 1,200. Pluſquàm quadringentas habebat Octavius, Antonius octingentas, annumeratis onerariis, Plutarch. in Anton. p. 941. Demus dimidiam tantùm partem poſtea fuiſſe: ſunt 600 naves; quibus ſi ſingulis 150 homines attribuamus, dant homines . . . . 90,000.

Haud multò ſecus virium in ſociorum navibus, alis & auxiliis.

Tota ergo militaris Romanorum res fuit Tiberii ætate, hominum . . . . 608,300.

Computationi noſtræ ſuffragatur Agathias, qui, cùm rei militaris incuriam in Juſtiniano reprehenderet, ait, Hiſt. Juſtinian. V. p. 152. Τὰ γὰρ τῶν Ῥωμαίων στρατεύματα οὐ τοσαῦτα διαμεμενηκότα ὁπόσα τὴν ἀρχὴν ὑπὸ τῶν πάλαι βασιλέων ἐξεύρηται, ἐς ἐλαχίστην δέ τινα μοίραν περιελθόντα, οὐκ ἔτι τῷ μεγέθει τῆς πολιτείας ἐξήρκουν· δέον γὰρ ἐς πέντε καὶ τεσσαράκοντα καὶ ἑξακοσίας χιλιάδας μαχίμων ἀνδρῶν τὴν ὅλην ἀγείρεσθαι δυνάμιν, μόλις ἐν τῷ τότε εἰς πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν περιειστήκει. *Romanorum exercitus non tanti, quanti olim ſub veteribus imperatoribus fuerant, permanſerant; ſed ad minimam quandam portionem redacti, non ampliùs magnitudini imperii pares erant. Cùm enim univerſæ Romanorum vires ſexcentis quadraginta quinque bellatorum millibus conſtare deberent, ægre tum temporis centum quinquaginta millibus conſtabant.*

Quæ de militaribus Romanorum viribus hactenus diximus, de pacificâ Tiberii ætate ſunt intelligenda. Cùm gravia enim flagrarent bella, immenſa erant ſociorum auxilia: legiones quoque multiplicabantur. Ante Mutinenſem pugnam, in quâ Brutus & Caſſius cecidêre, XLIII legiones numerat Appianus de Bell. civil. V. p. 674. XXVIII habebat Antonius, teſte eodem Appiano, ibid. Vide & Antonii nummos. Cùm latiùs imperitatum, auctior quoque legionum numerus. Triginta legiones habuit Trajanus: novas adhuc addidêre M. Antoninus & Severus, vide Dionem LV, p. 564.

Brotier ad c. V. l. IV. Ann. Tacit.

DE ROMANORUM ACTIS.

CUM adhuc raræ essent literæ, numerus annorum Urbis conditæ clavo, quem prætor maximus, aut dictator, in æde Jovis figebat, fuit consignatus, Liv. VII, 3. In hac tantâ hominum ruditate, necdum enatâ quævis scribendi, seu mentiendi, libidine, cavebatur tamen ne vetus memoria periret: *Pontifex maximus res omnes singulorum annorum mandabat literis, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi*, Cicero de Orat. II, 12. Hæc primæva Acta; ob scriptorum dignitatem *Annales maximi* appellati, & a rerum Rom. initio ad Mutii Scævolæ pontificis maximi mortem, seu annum U. C. DCLXXII, continuati. Tunc valescentibus vitiis, legum, rogationum, consiliorum multitudine copiosiora fuêre Acta. Julius Cæsar, ut animos quâdam libertatis & gloriæ imagine ludificaret, *primus omnium instituit, ut tam senatûs, quàm populi diurna acta conficerentur, & publicarentur*, Suet. in Jul. XX. Augustus Julio, virtute, non dominationis cupidine, inferior, occultisque artibus potiùs, quàm animi excelsitate, imperium retenturus, auctor fuit *ne acta senatûs publicarentur*, Suet. in Aug XXXVI. Augusti cœpta prosecutus est Tiberius, semper obscurus, & servituti imminens. Fortè etiam sanxit ut senator, a se delectus, Acta senatûs componeret, Tacit. Annal. V, 4: de rebus quoque in Acta publica referendis omittendisve pronuntiavit, Dio LVII. p. 617. Pristinæ tamen memoriæ retinendæ minimè incuriosus, cùm actorum publicorum partes periissent, aut vetustate ferme vanescerent, quæ exstarent a tribus senatoribus describi, cetera conquiri jussit anno U. C. DCCCLXIX, Dio LVII. p. 613.

Quatuor itaque fuêre apud Romanos Actorum genera. Primum Principis, Suet. in Domit. XV. Alterum senatûs, Tacit. Annal. V, 4. Duo postrema, populi: publica scilicet, Tacit. Annal. XII, 24, diurna, Tacit. Annal. XIII, 31. Res leviores, ludos, quotidianos Urbis nuntios continebant Diurna; & per provincias, per exercitus a curiosis & otiosis legebantur, Tacit. Annal. XVI, 22. Publicorum Actorum non una species, sed pro rerum varietate & multitudine multiplex. In iis enim scripti dies natales, Suet. in Tiber. V. nuptiales, Juvenal. Satyr. II, 36. emortuales, Dio XLVII. p. 330. res illustres, artium miracula, Dio LVII. p. 617. casus singulares & inauditi, Plin. VIII, 40. Præterea Acta erant *municipalia*, *præsidialia*, Brisson. de verb. signific. *oppidana* etiam, Suet. in Caio VIII. Actis illis conficiendis aderant scribæ, ut patet ex Pisano Lucii Cæsaris monumento, quod emendatissimum edidit Cl. Gori. Inscript. Ant. Tom. II. p. 10. Apud eumdem, Tom. I, p. 398. in marmore veteri memoratur Cn. Sentius patronus DE-

CVRIAE

DE VOLUNTARIA MORTE.

CVRIAE SCRIBAR. CEREARIOR. ET LIBRARIOR. id eſt, *Scribarum, Cerearιorum*, qui ceratas tabellas curabant, & *librariorum.* Iis, ut videtur, præerant Romæ, ſenatores; in provinciis, magiſtratus.

Brotier ad cap. IV. l. V. Ann. Tacit.

DE VOLUNTARIA MORTE, vulgò *le Suicide.*

OB inauditum ſcelus, aut numquam niſi virtutis deſperatione auſum, ac proinde rariſſimum, nullæ in rep. Rom. leges exſtitêre adversùs eos, qui ſibi violentas manus afferrent. Humanda corpora, manſura teſtamenta, properatæ mortis præmia fuêre ſub mperatoribus, quorum intererat per fas & nefas dominationem firmare. Firmatâ licèt dominatione, gliſcente in dies opum cupidine, ſanxit Antoninus, duobus Aſpris conſulibus A. U. C. DCCCCLXV. J. C. 212. bona eorum, *qui conſcientiâ delati admiſſique criminis, metuque futuræ ſententiæ manus ſibi intulerunt*, fiſco vindicari. Eorum verò, qui, *nullo delato crimine, dolore aliquo corporis, aut tædio vitæ, aut furore, vel inſaniâ, aut aliquo caſu vitam finiſſe* conſtiterint, *bona tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato, ad ſucceſſores* pertinere, Cod. IX. Tit. 50. *de bonis eorum qui mortem ſibi conſciverunt.*

Apud nos conſultiùs proviſum ut in eos, qui ſibi mortem conſciviſſent, niſi ſi id caſu aut morbo contigerat, animadverteretur. Voluntariam enim mortem ſanis & ratione utentibus hominibus licitam eſſe Stoicum & impium eſt placitum. Nec remedium eſt animi, ſed furor, Plinii XXVIII, I. ſententia: *ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius eſſe tempeſtivâ morte: idque in eâ optimum, quod illam ſibi quiſque præſtare poterit.*

Veriùs Philoſophiæ proceres, Socrates apud Platonem in Phædone p. 62. Tom. I. Μὴ θεμίτον εἶναι ἑαυτὸν βιάζεσθαι . . . . Ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι, καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν, οὐδ' ἀποδιδράσκειν. *Non licet ſibi violentas manus inferre . . . . Ut in quadam cuſtodiâ nos homines ſumus; nec decet quemquam ex hac ſe ipſum ſolvere, neque aufugere.* Ariſtoteles Ethic. ad Nicom. III, II. Τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. Μαλακία γὰρ, τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα· καὶ οὐχ ὅτι καλὸν, ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν. *Mori ob inopiam, aut amorem, aut aliud moleſtum, non eſt fortis viri, ſed timidi. Mollities enim eſt, fugere operoſa & aſpera: neque mortem, ut bonum ſuſtinet, ſed malum fugit.* Pythagoras, lau-

datus

datus a Cicerone de Senect. LXXIII. *vetat injussu imperatoris*, id est, *Dei, de præsidio & statione vitæ decedere.* Ipseque Tullius, in somnio Scipion. VII. *Piis omnibus retinendus est animus in custodiâ corporis: nec injussu ejus, a quo ille est vobis datus, ex hominum vitâ migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamini.*

Pudeat ergo nuperos voluntariæ mortis patronos, imbelles homines, pro patriâ, pro familiâ, pro se nihil umquam viriliter ausos, umbratilcis tantùm in scriptis audaces, Stoicam ἀπάθειαν ridiculè ostentare.

Brotier ad c. XXIX. l. VI. Ann. Tacit.

DE LUDIS SÆCULARIBUS.

SÆCULARIUM ludorum originem docet Varro apud Censorinum, *de die natali*, cap. 17. *Cùm multa portenta fierent, & murus ac turris, quæ sunt intra portam Collinam & Esquilinam de cœlo essent tacta, & ideo libros Sibyllinos quindecimviri adissent; renuntiarunt, utì Diti patri, & Proserpinæ, ludi Terentini in campo Martio fierent, & hostiæ furvæ immolarentur; utique ludi centesimo quoque anno fierent.* At contrà, ut decimo-centesimoque anno repetantur, tam commentarii quindecimvirorum, quàm D. Augusti edicta testari videntur: adeò ut Horatius in carmine, quod sæcularibus ludis cantatum est, id tempus hoc modo designaverit:

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos
Ter die clarâ, totiensque gratâ
Nocte frequentes.

Hæc Censorinus; qui varias postea de annis, quibus editi sunt ludi sæculares, veterum scriptorum opiniones recenset. Ego quindecimvirorum rationes, quas tradit, utpote probabiliores, sequar.

Primi ludi sæculares editi sunt anno U. C. CCXCVIII, M. Valerio, Sp. Verginio consulibus.

Secundi ludi sæculares fuere anno U. C. CDVIII, M. Valerio Corvino & C. Pætilio consulibus.

Tertii ludi sæculares facti anno U. C. DXVIII, P. Cornelio Lentulo & C. Licinio Varo consulibus. Sic quoque Fasti Capitolini ad hunc annum,

LVDI. SÆCVLARES. TERT.

Vide Cl. Piranesi, *Fasti consulares*; & Notas, pag. 19.

Quarti

Quarti ludi sæculares spectati anno U. C. DCXXVIII, M. Æmilio Lepido & L. Aurelio Oreste consulibus. Id quoque suadet Horatius suprà laudatus.

Quintos ludos sæculares fecere Augustus & Agrippa anno U. C. DCCXXXVII, C. Furnio & C. Junio Silano consulibus. Nec aliter Fasti Capitolini ad hunc annum,

LVDI. SÆCVLARES. QVINCT.

Id est *quinctùm*, seu *quintùm*.

Sextos ludos sæculares fecit Claudius anno U. C. DCCC, spretâ sæculari ludorum lege, & prævalidâ anni ab Urbe conditâ octingentesimi celebritate. Factum ut excusaret, edixit sæculares ludos *anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos* fuisse, Sueton. in Claud. XXI. *Ipse* tamen *in historiis suis* prodiderat, *intermissos eos Augustum multò pòst, diligentissimè annorum ratione subductâ, in ordinem redegisse*, Sueton. ibid.

Testatur Plinius VII, 48. *Stephanionem, qui primus togatas saltare instituit, utrisque sæcularibus ludis saltasse, & Divi Augusti, & quos Claudius Cæsar consulatu suo quarto fecit, quando LXIII & non amplius anni interfuere.* Inde, ut tradit Suetonius loc. cit. *Vox præconis irrisa est, invitantis more solemni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset: cùm superessent adhuc qui spectaverant, & quidam histrionum producti olim, tunc quoque producerentur.*

De ludis sæcularibus dicetur adhuc infrà ad annum DCCCXLI, quo Domitianus septimos sæculares ludos edidit.

Brotier ad cap. XI. lib. XI. Tacit. Annal.

DE LITERARUM ORIGINE.

GRAVIS intricataque quæstio, quæ prima fuerit apud homines recepta scripturæ forma. Rude adhuc ævum figuris animalium mentis suæ sensus expressisse satis constat. Hujus inventionis laudem, barbaris omnibus, ut opinor, debitam, Ægyptii monumentorum magnitudine & magnificentiâ soli obtinuere. Agreste istud scribendi genus, quod & difficile est, nec nisi paucos brevissimosque mentis sensus potest exprimere, Assyrios ad expeditiorem & fecundiorem literarum formam inquirendam excitavit. Hanc tamen gloriam Ægyptii in se derivare voluisse mihi videntur; idque innuit Tacitus, si ejus verba ritè perpenderis: *Primi per figuras animalium Ægyptii sensus mentis effingebant (ea antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur) &* LITERARUM SEMET INVENTORES *perhibent.* At cùm nulla

exstent

exſtent Ægyptiarum harumce literarum monumenta, ab Aſſyriis literis diverſa, aut iis antiquiora, quæ tamen multa ſupereſſe deberent, non immeritò ſcripſit Plinius, vir immenſæ eruditionis, VII, 56. *Literas ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe.*

Primigenias illas literas, maximum humani ingenii fetum, omnino diverſas fuiſſe a rotundo illo charactere, quo nunc Hebræa ſcribimus, certiſſimum eſt. Fortè etiam Samaritanis, quibus nunc utimur, paulo rudiores fuere.

Inde autem ſcriptura ad omnes gentes dimanavit, quæ egregium inventum aut ruſticitate non neglexere, aut vanitate non ſunt aſpernatæ. Hac enim ſuperbiâ laboraſſe mihi videntur duo populi, quos inter poſita Aſſyria, Ægyptii & Sinenſes, vitiis ac virtutibus ſimillimi. Sed in utriuſque pœnam vertit ſuperbia. Stupenda enim Ægyptiorum monumenta ignota obſoleſcunt. Sinenſes in enucleandis ſuis characteribus ſemper pueri, conſeneſcunt.

Utrùm autem veteres inter characteres Sinenſes & Ægyptios fuerit ſimilitudo quærunt eruditi. Hanc quidem ſe deprehendiſſe exiſtimavit Cl. Needham in Iſide Taurinenſi & *Lexico* Sinenſi *Tching-tſee-tong*. De hac ſimilitudine interrogati Galli, qui inter Sinenſes multis abhinc annis degunt, eam ſibi incompertam, nec Sinenſibus libris ſatis nixam reſpondêre. Memini quidem me legiſſe quædam omnino mira de veteribus hieroglyphis Sinenſibus, ſed quæ neque eſt hujus loci referre, neque, utpote ab hominibus religione præoccupatis, qui reconditiſſima Chriſtianæ fidei myſteria vetuſtiſſimis Sinenſium hieroglyphis adumbrata imaginabantur, conſcripta, multum auctoritatis obtinerent, neque obtinere debent.

Dum meliora certioraque a Sinenſibus veniant, ſatius erit legere eruditum opus clariſſimorum virorum *Warburton* & *Leonard des Malpeines* Pariſiis editum anno 1744, *Eſſai ſur les Hiéroglyphes Egyptiens*. Noviſſimam & egregiam in eruderandis linguarum primordiis poſuere Cll. de Guignes & Barthelemy. *Mémoires de l'Académie Royale des Inſcriptions*. Tom. XXXII. pag. 212. Nunc verò quomodo ex Aſſyriis literis formatæ fuerint ceterarum gentium literæ, oculis exhibebit tabula Edwardi Bernardi, cui titulum fecit *Orbis eruditi literatura*. Hanc meliorem auctioremque Londini anno 1759 edidit Cl. *Morton*.

DE LITERIS A CLAUDIO REPERTIS.

CLAUDIANUM inventum teſtatur Suetonius in Claud. XLI. *Novas etiam commentus eſt literas tres, ac numero veterum quaſi maximè neceſſarias addidit. De quarum ratione cùm privatus adhuc*

adhuc volumen edidisset, mox Princeps non difficulter obtinuit ut in usu quoque promiscuo essent. Exstat talis scriptura in plerisque libris, ac diurnis titulisque operum.

Ex tribus his literis una occurrit in hujusce ævi inscriptionibus. Sic apud Gruterum CCXXXVI. num. 9.

ANTONIAI
AVGVSTAI
DRVSI
SACERDOTI DIꟼI
AVGVSTI
MATRI. TI. CLAVDI.

In eâdem inscriptione legitur VIIꟼIR EPVLON. Id est *Septemvir epulonum*. PRINCIPI IVꟼENTVTI. id est Principi juventutis.

In aliâ inscriptione, quam dabimus in Notis & Emendationibus ad Annal. XII, 23.

TI. CLAVDIVS
. . . .
POMERIVM
AMPLIAꟼIT TERMINAꟼIT.

Illud inventum laudat Quintilianus, Institut. Orat. I, 7. *Nec inutiliter Claudius Æolicam illam ad hos usus* Ⅎ *literam adjecerat.*

Altera litera fuit antisigma ɔc, teste Prisciano Fol. 5. *Huic* S *præponitur* P, *&* *loco* Ψ *fungitur, pro quâ Claudius Cæsar antisigma hac figurâ* ɔc *scribi voluit. Sed nulli ausi sunt antiquam scripturam mutare.*

De tertiâ literâ major controversia. Immo Cl. Pitiscus ad locum Suetonii suprà laudatum adnotat. *In* III *literâ hæremus, nec auxilio est Grammaticorum manus.* Hac confessione, incitatos nos juvat diligentiùs inquirere. Ac primò quidem Martianus Capella innuit tertiam hanc literam a Claudio fuisse additam, ut CS Romanorum, aut Ξ Græcorum, exprimeret. Sic enim Capella libr. III. pag. 55. *Huic literæ* (S) *Divus Claudius* P *adjecit, aut* C *propter* Ψ *&* Ξ *Græcas, psalterium, saxa.* Hæc valde obscura sunt; nec inde liquet quibus notis PS aut Ψ, & CS *aut* Ξ Claudius expresserit. In hac tamen obscuritate manifestum est juxta Capellam Claudium tertiam reperisse literam, quâ exprimeret CS, aut Ξ. Vacillare tamen mihi videtur Capellæ auctoritas, quòd Romani haberent literam x, cui eadem ac literis CS & Ξ vis.

Potior ergo mihi videtur Velii Longi sententia. Porro sic ille Velius, in *Orthographiâ*, inter Putschianos rei grammaticæ scriptores editâ apud Wechel. anno 1605. *De* VIRO *verò &* VIRTUTE *ubi* I *scribitur & pene* U *enuntiatur. Unde Tiberius Claudius novam quamdam literam excogitavit, similem ei notæ, quam pro*

aspiratione Græci ponunt, per quam scriberentur eæ voces, quæ neque secundùm exilitatem literæ, neque secundùm pinguitudinem literæ sonant, ut in VIRO, VIRTUTE, *neque rursum secundùm latum literæ sonum enuntiarentur, ut in eo, quod est* LEGERE, SCRIBERE. Hactenus Velius; cui nonnihil favet Quintilianus, Institut. Orat. I, 4. *Medius est quidam* V & I *literæ sonus. Non enim sic* OPTIMUM *dicimus, ut* OPIMUM. *Et in* HERE, *neque* E *planè, neque* I *auditur. An rursus aliæ redundent, præter illam aspirationis notam* Ⱶ, *quæ si necessaria est, etiam contrariam sibi poscit* ⱶ. Nam Quintilianus, ut & Velius, agnoscit medium quemdam sonum inter E & I, ut in HERE; inter V & I, ut in OPTIMUM. Velius expressè ait ad id discriminis exprimendum excogitatam esse a Claudio literam similem ei notæ, *quam pro aspiratione Græci ponunt.* Ea nota est Ⱶ, tum ex Quintiliano, tum ex Heracleorum nummis, quos videre est apud Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples & de Villes. Tom.* I. *pag.* 42. ⱵΗΡΑΚΛΗΙΩΝ. Ergo illa nota Ⱶ est tertia Claudii litera. Claudiana autem illa litera, sicut & antisigma, in nullis antiquitatis monumentis, quæ hactenus reperta sunt occurrit. Nec pœnitenda jactura. In iis enim parum curiositatis, nihil utilitatis.

Brotier ad cap. XIV. lib. XI. Tacit. Annal.

DE JURE LATII, *Civitate Romanâ, jure Quiritium, jure Italico, Coloniis, Municipiis, populis liberis, fœderatis, immunibus, stipendiariis.*

ROMANI, initâ tandem, post diuturnum bellum, cum Latinis pace, iis tribuêre, ut Romanis legionibus immisti militarent, ibique honores capesserent. Negata verò suffragii latio; & magistratibus in Urbe interdictum. Hoc *Jus Latii:* quod, cùm sit inter jura antiquissimum, dictum est quoque *Jus antiquum Latii.*

Postea datum jus suffragii & magistratus ineundi; ceteraque juris publici permissa, census, militia, tributa, vectigalia, sacra. Hoc *Jus civitatis Romanæ,* seu *civitas Romana.*

Concessa etiam, quæ juris erant privati, libertas, gens, connubia, jus patrium, jus legitimæ dominationis, dominii, usucapionis. Hoc *Jus Quiritium.*

Non

DE JURE LATII, &c.

Non Latini tantùm, id est Latii incolæ, sed Itali quoque, id est, qui inter utrumque mare ad Rubiconem usque fluvium incolebant, jus a Romanis consecuti sunt, quod dictum est *Jus Italicum*. Jus illud Italorum videtur primò fuisse aliquantò deterioris conditionis, quàm Latinorum: sed tandem eò recidit ut immunitas a censu capitis & soli esset *Jus Italicum*.

Roma, inter arctiores conclusa fines, cives militesve allò deduxit, qui loca sibi adsignata incolerent. Hæ sunt *Coloniæ*, quæ Romanis regebantur legibus. Aliæ erant, quibus jus Italiæ dabatur; aliæ, quæ Latinorum; aliæ, quæ civium Romanorum essent.

Municipia, seu *Municipes*, cives erant Romani, legibus suis utentes, muneris tantùm cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur: nullis aliis necessitatibus, neque ullâ populi Romani lege adstricti, ni populus eorum fundus factus foret.

Liberi populi suis gaudebant legibus: levia tantùm & sponte ad expensas publicas contribuebant, sicut & *Fœderati populi*, qui fœdus cum populo Romano inierant. *Immunes* verò *populi*, ab omni publico onere soluti. *Stipendiarii*, vectigal certum solvebant, *quod stipendiarium dicitur*; *quasi victoriæ præmium, ac pœnam belli.* Cicero in Verrem III, 6.

Hæc qui fusiùs explicata reperire voluerit, adeat eruditos viros, Heineccium, *Antiq. Roman. Jurisprud.* Tom. I. Appendix. capp. 1, 2 & 3, & Florez, *Medallas de Espanna.* pag. 85. & seqq.

Observandum autem hæc omnia, ut donorum natura est, pro arbitrio reipublicæ aut Principum, modò liberaliùs, modò parciùs fuisse concessa. Ita hoc in loco Tacitus memorat primores Gallorum, civitatem Romanam jam pridem assecutos, jus adipiscendorum in Urbe honorum expetere. Nempe civitas Romana nonnumquam sine hoc privilegio tribuebatur. Unde, teste Livio IX, 43. *Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitas sine suffragii latione data: concilia connubiaque adempta, & magistratibus præterquam sacrorum curatione interdictum.*

Juvaret hìc animadvertere quàm fuerit digna totius orbis imperio gens, quæ tot jura, tam sapienter attemperata, repererit, quibus populos, ut moribus, sic meritis, diversos, quasi familiam unam regeret. At nobis brevitati studendum. Monuisse sit satis.

Brotier ad cap. XXIII. lib. XI. Tacit. Annal.

DE CENSU LUSTROQUE ROMANORUM.

SERVIUS TULLIUS, rex, circa annum Urbis conditæ CLXXX censum instituit, rem tanto futuro imperio saluberrimam. Populus enim Romanus digestus in classes, curiis atque collegiis distributus; omniaque patrimonii, dignitatis, artium officiorumque discrimina in tabulas relata, ac si maxima civitas minimæ domûs diligentiâ contineretur. Belli pacisque munia, non viritim, ut antè, sed pro habitu pecuniarum facta sunt. Atque ut populus Romanus se Marti devotum sciret, peracto censu, omnes cives Romani, equites peditesque, in suis quisque centuriis in campo Martio aderant; ibique exercitus omnis suovetaurilibus, id est sue, ove, tauro, Marti immolatis, lustrabatur. Id appellatum *Lustrum*: singulis quinquenniis renovandum, ut vivida semper acrisque virtus ardesceret. Livius I, 44. Florus I, 6.

Censûs cura primùm penes reges, deinde penes consules fuit. At, consulibus ad alias curas bellaque intentis, ne optimum institutum periret, creati sunt anno U. C. CCCX. censores. Tanto incremento aucta hæc dignitas, ut morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen; senatus, equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus magistratûs; publicorum jus, privatorumque locorum, & vectigalia populi Romani, sub nutu arbitrioque essent. Livius IV, 8.

Hac censurâ nihil certè melius utiliusque umquam repertum; eâque unâ semper stetisset Roma, si æterna esse valerent imperia, aut ab optimis institutis ferme ineluctabili vi non desciscerent mortales. Verùm nonnumquam mutata omissave censura: ipsaque vitia, modò pietatis, modò Urbis splendoris specie, patrocinium quæsiere. Nihil verò censuram ac Urbem æque perditum iit, ac civitas Romana, maximum olim & rarissimum donum, promiscuè vulgata. Ut intelligatur quàm latè sensim irrepserint, lustraque ab Imperatoribus condita illustrentur, haud pigebit lustrorum, quorum exstat memoria, indicem breviter subtexere.

Anno U. C. CLXXX. Primum a Servio Tullio conditum est lustrum, in quo *millia* LXXX *civium censa dicuntur*. Livius I, 44.

Anno U. C. CCXLV. Pulsis regibus, Valerio & Lucretio consulibus, censa sunt *centum triginta millia*. Plutarch. in Publicolâ pag. 103.

Anno U. C. CCLXXXVIII. A Quinctio consule *censa civium capita centum quatuor & viginti millia ducenta quindecim dicuntur præter orbos orbasque*. Livius III, 3.

Anno U. C. CCXCIV. Q. Fabio & L. Cornelio consulibus, lustrum decimum. *Censa civium capita centum triginta duo millia quadraginta novem*. Livius III, 24.

Anno

DE CENSU LUSTROQUE ROMANORUM.

Anno U. C. cccx. creati censores L. Papirius Mugillanus, & L. Sempronius Atratinus. Livius IV, 8. Lustrum XI fecere. Fast. Capitol.

Anno U. C. ccclxiv. *Capta est Roma cum jam capitum liberorum censa essent* clii *millia quingenti* lxxii. Plin. xxxiii, i.

Anno U. C. cdlix. Censoribus P. Cornelio Arvinâ & C. Marcio Rutilo, *censa capitum millia ducenta sexaginta duo trecenta viginti duo*. Livius X, 47. Sed errat Livius, aut potiùs erravere ejus librarii, cùm scripsere *lustrum* hoc fuisse *undevicesimum*. Fuit enim lustrum XXX, seu trigesimum, ut patet ex Fastis Capitolinis.

Anno U. C. cdlxxiii. *Cn. Domitius censor primus ex plebe lustrum condidit: censa sunt civium capita ducenta septuaginta octo millia, ducenta viginti duo.* Livii Epitome XIII.

Anno U. C. cdlxxxviii. Censoribus Cn. Cornelio Blasione & C. Marcio Rutilo II. qui lustrum fecerunt XXXV. *Inventa sunt civium capita* ccxcii *millia* cccxxxiv, *quamquam a condita Urbe numquam cessassent bella.* Eutrop. libr. II. In Fastis Capitolinis,

CENS. CN. CORNELIUS. L. F. CN. N. BLASIO. C. MARCIVS. C. F. L. N.
RVTILO. II. QVI. L. F. XXXV. IN. HOC. HONORE. CENSORIN. APPEL. E.
BELLVM. PUNICVM. PRIMVM.

Anno U. C. di. Censoribus Valerio Messallâ & Sempronio Sopho, lustrum. XXXVII. *Censa sunt civium capita ducenta nonaginta septem millia septingenta nonaginta septem.* Livii Epitome XVIII, Fast. Capitol.

Anno U. C. dvi. Censoribus Atilio Calatino & Manlio Attico, lustrum xxxviii. *Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta unum millia, ducenta viginti duo.* Livii Epitome XIX.

Anno U. C. dxxxiii. Censoribus L. Æmilio Papo & C. Flaminio, lustrum xliii. *Censa sunt civium capita ducenta septuaginta millia ducenta tredecim.* Livii Epitome XX. Cassiodor.

Anno U. C. dxliv. Censoribus Cornelio Cethego & Sempronio Tuditano, lustrum XLIV. *Censa sunt civium capita centum triginta septem millia centum & octo.* Livius XXVII, 36. Tantum scilicet Romani sanguinis fuderat Annibal. Præterea in eo lustro censi non videntur cives Romani, qui in exercitibus erant, ut conjicere est ex sequente lustro.

Anno U. C, dxlix. Censoribus Livio Salinatore, & C. Claudio Nerone, lustrum XLV. *Lustrum conditum seriùs, quia per provincias dimiserunt censores ut civium Romanorum in exercitibus, quantus ubique esset, referretur numerus. Censa cum iis ducenta*

decem

decem quatuor millia hominum. Livius XXIX, 37. Fast. Capitol. Accrevit hic census multitudine sociorum ac Latini nominis, qui Romam commigravere, ut ibi censerentur. Unde exortæ sociorum querelæ, de quibus Livius XXXIX, 3.

Anno U. C. DLIX. Ælio Pæto & Cornelio Cethego censoribus, lustrum XLVII. *Censa sunt civium capita centum quadraginta tria millia septingenta quatuor.* Livius XXXV, 9. Fast. Capitol.

Anno U. C. DLXIV. Censoribus T. Quinctio & M. Claudio Marcello, lustrum XLVIII. *Censa civium capita ducenta quinquaginta octo millia, trecenta octo.* Livius XXXVIII, 36. Fast. Capitol. In hoc lustro multi adhuc socii Latinique nominis Romam demigraverant; unde novæ querelæ, & edictum, de quo Livius XLI, 12. & seqq. XLII, 10.

Anno U. C. DLXXIX. Censoribus Q. Fulvio Flacco & A. Postumio Albino, lustrum LI. *Censa sunt civium capita ducenta sexaginta novem millia & quindecim.* Livius XLII, 10. Fast. Capitolin.

Anno U. C. DLXXXIX. Censoribus L. Æmilio Paulo & Q. Marcio Philippo, lustrum LIII. *Censa sunt civium capita trecenta viginti septem millia viginti duo.* Livii Epitome XLVI. Fast. Capitol. Plutarchus autem in Paul. Æmil. pag. 275 ait *censa fuisse civium trecenta triginta septem millia &* CCCCLII.

Anno U. C. DXCIV. Censoribus Cornelio Scipione Nasicâ & Marco Popillio Lænate, lustrum LIV. *Censa sunt civium trecenta viginti octo millia, trecenta quatuordecim.* Livii Epitome XLVII. Fast. Capitol.

Anno U. C. DXCIX. Censoribus Valerio Messalâ & Cassio Longino, lustrum LV. *Censa sunt civium capita trecenta viginti quatuor millia.* Livii Epitome XLVIII. Fast. Capit. Ab hoc lustro *subversam* Romæ *pudicitiam*, posito nempe theatro, prodit Plinius XVII, 25.

Anno U. C. DCXI. Scipione Æmilliano & L. Mummio censoribus, lustrum LVII. *Censa civium capita trecenta viginti octo millia, trecenta quadraginta duo.* Livii Epitome LIV. Fast. Capitolin. Notat Plinius XXXIII, 3. L. Mummii censurâ, post Carthaginem eversam, laquearia primò inaurata fuisse in Capitolio. Inde transiere in privatorum *cameras quoque & parietes, qui jam & ipsi tamquam vasa inaurantur.*

Anno U. C. DCXVII. Appio Claudio Pulchro & Q. Fulvio Nobiliore censoribus, lustrum LVIII. *Censa civium capita trecenta viginti tria millia.* Livii Epitome LVI. Fast. Capitol.

Anno U. C. DCXXII. lustrum LIX. *Q. Pompeius & Q. Metellus, tunc primum uterque ex plebe facti censores, lustrum condidere. Censa sunt civium capita trecenta tredecim millia octingenta viginti tria, præter pupillos & viduas.* Livii Epitome LIX.

Anno

DE CENSU LUSTROQUE ROMANORUM.

Anno U. C. DCXXVIII. Censoribus Servilio Cæpione & Longino Ravillâ, lustrum LX. *Censa sunt civium capita trecena nonaginta millia, septingenta triginta sex.* Livii Epitome LX.

Anno U. C. DCXXXVIII. Censoribus Cæcilio Metello & Domitio Ahenobarbo, lustrum LXII. *Censa sunt civium capita trecenta nonaginta quatuor millia trecenta triginta sex.* Livii Epitome LXIII.

Anno U. C. DCLXXXIII. Lustrum LXVII. *Cn. Lentulus & L. Gellius censores asperam censuram egerunt, quatuor & sexaginta senatu motis, a quibus, lustro condito, censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia.* Livii Epitome XCVIII. Nec audiendus Phlegon, qui apud Photium, Cod. XCVII. tradit censa fuisse Romanorum nongenta decem millia. *Ῥωμαίων ἀπετιμήθησαν μυριάδες ἐνενήκοντα καὶ μία.*

Hoc LVSTRVM FVIT REIPVBLICÆ SVPREMVM.

Anno U. C. DCCIII. Censoribus Appio Claudio Pulchro & Calpurnio Pisone Cæsonino, motus est senatu Crispus Sallustius, scriptor florentissimus. Dio, libr. XL. pag. 150.

Errat Plutarchus, cùm scribit in Cæs. pag. 733. Julium Cæsarem censum egisse, & pro trecentis viginti millibus civium, quæ priore censu numerata fuerant, in hoc censa tantum fuisse centum quinquaginta millia. *Tantam*, inquit, *cladem inflixit bellum civile, tantamque populi portionem absumpsit.* Hæc omnia scatent erroribus, in quos tamen iere, Plutarchum secuti, Appianus, Bell. Civil. libr. II. pag. 492. Dio, XLIII. pag. 226, & scriptor Livii epitomes CXV. Julius Cæsar non cives Romanos, sed ut *præfectus moribus*, plebem, cui dabatur e publico frumentum, recensuit, & frumentationem emendavit anno U. C. DCCVIII. Unde Suetonius in Cæs. XLI. *Recensum populi, nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit: atque ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit.*

Anno U. C. DCCXXV. Augustus, cùm censoria jura, ut cetera omnia, ad se traxisset, anno altero & quadragesimo, postquam lustra desierant, lustrum condidit, censaque sunt civium quadragies centum millia & sexaginta tria millia, id est 4,063,000 hominum. Testis lapis Ancyranus apud eruditum Chishull. *Antiquitates Asiaticæ*, pag. 173. IN. CONSVLATV. SEXTO. CENSUM. POPVLI. CONLEGA. M. AGRIPPA. EGI. LVSTRVM. POST ANNVM. ALTERVM. ET. QVADRAGENSIMVM. FECI. QVO. LVSTRO. CIVIVM. ROMANORVM. CENSA. SVNT. CAPITA. QVADRAGIENS. CENTVM MILLIA. ET. SEXAGINTA. TRIA. MILLIA. Hìc, ut sæpe, ineptus est Suidas, qui, voce Αὔγουστος, hoc numero omnes orbis Romani incolas contineri existimat.

Ka

Καὶ εὑρίσκονται οἱ τὴν Ῥωμαίων οἰκοῦντες υί μυριάδες καὶ χίλιοι ιζ' ἄνδρες. Fruſtra adlaborat eruditus Riccioli, *Geographia reform. in fin.* ut Suidam explicet. Scilicet quòd in codice ſuo ab Æmilio Porto emendato legeretur ύί cum duplici accentu, contendit non 410 myriadas hìc intelligi, ſed 41000 myriadas, ac proinde numerum integrum Suidæ eſſe 410,001,017 Romanorum, quem numerum tunc Imperio Romano parem exiſtimat. At hæc vana, & ab Auguſti cenſu aliena: abſurda adhuc, quòd in Imperio Romano numquam fuit, nec umquam eſſe potuit hic hominum numerus.

Anno U. C. DCCXXXI. Cenſores quidem fecit Auguſtus Paulum Æmilium Lepidum & L. Munatium Plancum. At *alteri vis cenſoris, alteri vita deerat*, Velleius Patercul. II, 95. Eâ Auguſti arte malè & inter diſcordiam acta eſt cenſura; amboque fuere e privatis cenſores ultimi. Auctoritas manſit penes Imperatores, qui & nomen ſæpe uſurpavere.

Anno U. C. DCCXLV. Luſtrum alterum ab Auguſto conditum. Cenſa ſunt civium Romanorum quadragies centum millia & ducenta tria millia, id eſt 4,203,000 hominum. Lapis Ancyranus, loc. cit. CONSVLARI. CVM. IMPERIO. LVSTRVM. cenſumque SOLVS. FECI. CENSORINO. & ASINIO. COS. QVO. LVSTRO. CENSA. SVNT. CIVIVM. ROMANORVM. pita. QVADRAGIENS. CENTVM. MILLIA. ET. DVCENTA. TRIA. Millia.

Anno U. C. DCCLXVI. Tertium luſtrum condidit Auguſtus. Cenſa ſunt civium Romanorum quadragies centum millia & triginta ſeptem millia, id eſt 4,137,000. Lapis Ancyranus, loc cit. CONSVLARI. CVM. IMPERIO. LVSTRVM. CONLEGA. TIB. CAeſare feci. SEX. POMPEIO. ET. SEX. APPVLEIO. COS. QVO. LVSTRO. ETiam. Cenſa ſunt. ROMANORVM. CAPITVM. QVADRAGIENS. CENTVM. MIllia triGINTA. ET. SEPTEM. MILLIA. Immanem numerum obtrudit Euſebius in Chronico, cùm ſcribit cenſa fuiſſe nonagies trecenta millia, id eſt 9,300,000 hominum.

Anno U. C. DCCCI. Claudius, cenſor, luſtrum condidit. Cenſa ſunt civium quinquagies novies centena octoginta quatuor millia & ſeptuaginta duo, id eſt 5,984,072. Tacit. Annal. XI, 25. Errat adhuc Euſebius in Chronico, qui tradit inventa fuiſſe civium ſexagies novies centena & quadraginta quatuor millia, id eſt 6,944,000. Circumfertur etiam inſcriptio, quæ exſtat Romæ in porticu S. Gregorii, & apud Gruterum pag. CCCI. num. I.

TEMPORIBVS. CLAVDII. TIBERII,
FACTA. HOMINVM. ARMIGERORVM.
OSTENSIONE. IN. ROMA. SEPTIES.
DECIES. CENTENA. MILLIA.
LXXXXVI. MIL. X.

Sed

Sed recens est adulterinusque fetus, nec Latinam, sed Italicam linguam sapit. Rectè enim observatum erudito Pignorio, Ep. XXXIV. FACTA. OSTENSIONE. IN. ROMA. mera Italica esse, *Fatta la mostra in Roma*. Vidi nummum æreum Claudii, antiquum quidem, in cujus posticâ parte coronâque laurea hæc mendacia fuerant cælata. Evidens erat fraus. Novi tamen qui nummum genuinum esse defenderent.

Anno U. C. DCCCXXVII. Vespasianus & Titus censores lustrum septuagesimum quintum & SVPREMVM condidere. *Postea* lustra *planè fieri desiere*. Censorinus de die natali. Cap. XVIII. Quot civium millia in eo lustro censa fuerint nemo prodidit. Plura certè fuere, quàm priore lustro, civitate Romanâ a Claudio & Nerone intemperantiùs, quàm consultiùs, vulgatâ.

Anno U. C. MIV. Decius censuram restituére voluit, magnoque apparatu censorem fecit Valerianum. Trebellius Pollio in Valeriano Cap. I. & II. At cura hæc inutilis, cùm omnes orbis Romani incolas Antoninus Caracalla cives Romanos fecisset; nec ulla jam esset censoria castigatio, quæ publica delicta emendare posset.

Cùm hæc dissertatio Fastis Capitolinis ut plurimùm nitatur, eorum computandi rationem sum secutus. Ab his lustris diversum est Augusti edictum, *ut describeretur universus orbis*. Luc. II, 1.

Brotier ad cap. XXV. lib. XI. Tacit. Annal.

DE URBIS ROMÆ POMERIO & MAGNITUDINE, INCOLARUMQUE NUMERO.

EA FUIT Romanorum pietas, ut omnia a religione auspicarentur. Enituit maximè in consecrandis urbium ac potissimum Romæ muris, qui apud eos sancti & *quodammodo divini juris* erant. Digest. libr. 1. Tit. VIII. de rerum divisione. Leg. I. ex Caio. Inde legis severitas, *Si quis violaverit muros, capite puniatur*. Ibid. Leg. 11. ex Pomponio. Ut autem maneret intacta eorum sanctitas, ab injuriâ hominum defendebantur atque muniebantur, relictâ tam intra, quàm extra urbem, parte agri, muris vicinâ, quam *neque habitari, neque arari fas erat*. Livius I, 44. Augures, sacris Etruscis usi, effatis, seu precibus, per totius urbis circuitum pone muros agrum illum consecrabant, ut facerent *finem urbani auspicii*: inde *agrum* illum *effatum* vocitabant, Gellius XIII, 14: Varro de Ling. Lat. V. *Pomerium* quoque dixere, quod pone muros ager *certis circà terminis inaugurato* consecrabatur;

tur; & *in urbis incremento semper quantùm mœnia processura erant, tantùm termini hi consecrati proferebantur*, Livius, loc. cit.

Antiquissimum Urbis *pomerium a Romulo institutum, Palatini montis radicibus terminabatur.* Gellius, loc. cit. Mons autem Palatinus quadratâ ferme est figurâ, cujus duo latera, ad Septemtrionem & Occidentem obversa, habent singula 1300 pedes Romanos; latus Meridionale circiter 1400 pedes; latus Orientale circiter 1450 pedes. Tantula Urbs, tanti futuri imperii parens!

Crescente multitudine, montes Capitolinus, Cælius & Aventinus habitari cœpere. Servius Tullius, immensam Romani imperii majestatem præsagâ mente complexus, *addit duos colles, Quirinalem Viminalemque; inde deinceps auget Esquilias: ibique ipse, ut loco dignitas fieret, habitat. Aggere & fossis & muro circumdat Urbem: ita pomerium profert.* Livius, loc. cit.

Hic Urbis ambitus tam religiosè habitus est, ut, teste Dionysio Halicarnassensi, scriptore diligentissimo, qui Romæ vixit, & Augusti ætate scripsit, *ad sua usque tempora ambitus ille ulteriùs non processerit, deo, ut aiunt, id non permittente.* Προσωτέρω δὲ οὐκ ἔτι προῆλθεν ἡ κατασκευὴ τῆς πόλεως, οὐκ ἐῶντος, ὥς φασι, τοῦ δαιμονίου. Dionys. Halic. IV, 13. pag. 218.

Jus tamen proferendi pomerii penes eos mansit, qui populum Romanum, agro de hostibus capto, amplicaverant. Hanc gloriam quæsiit potiùs, quàm meruit, Sylla, anno circiter U. C. DCLXXIV, Senec. de Brevit. vitæ, XIV. Potiori jure Julius Cæsar, tot devictis gentibus, id honoris sumpsit anno U. C. DCCX, si Dioni, XLIII. pag. 238, crediderimus, aut potiùs sumere voluit: silent enim Suetonius & Tacitus. Meritò quoque Augustus, & ipse imperii propagator, pomerium protulit anno U. C. DCCXLVI, Dio, LVI. pag. 552.

At quomodo pomerium protulere, si Urbis ambitus non creverit, ut testatur Dionysius suprà laudatus? Dionysio dissentire certè non licet. Existimaverim ergo hos pomerii propagatores, vel violatam pomerii sanctitatem renovasse; vel, quod verius crediderim, fuisse in Urbis ambitu partes aggere & fossis circumdatas, augurum effatis non consecratas, quæ, cùm pomerium proferebatur, consecrabantur; cippique consecrationis testes ponebantur. Talis cippus, a consulibus Censorino & Gallo positus, cùm Augustus pomerium proferret, extra portam Flumentanam repertus, Tiberim inter & viam Flaminiam.

C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS. ET. C. ASI
NIVS. C. F. GALLVS. COS
EX S. C.
FIN. POMER. TERMIN

Id eſt *finem pomerii terminaverunt.* Gruterus CXCVI. num. 2. Porro fuiſſe in Urbis ambitu partes cærimoniis pomerii minimè conſecratas, patet ex monte Aventino, quem *omnes, qui pomerium* protulerant, *excluſerunt, quaſi avibus obſcœnis ominoſum:* donec Claudius, Britannicâ ſuâ victoriâ elatior, quàm ut ominoſas religiones attenderet, eum recepit, & *intra pomerii fines obſervavit.* Gellius loc. cit.

Memoria exſtat in veteri lapide, ad cloacam S. Luciæ, non procul a Campo Floræ, apud Gruterum CXCVI. num. 4.

TI. CLAVDIVS
DRVSI F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII
CENSOR. P. P
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS. POMERIVM
AMPLIAℲIT. TERMINAℲITQ
V V

Similis omnino lapis exſtat Romæ in Muſeo Kircheriano Collegii Romani, repertus anno 1730 ad radices Cælioli montis, nunc *monte Celiolo,* juxta Urbis mœnia, duos circiter pedes cum dimidio ſubter terram. In latere Tiburtini hujus lapidis inſcripti ſunt numeri XV. qui indicare videntur lapidem hunc fuiſſe terminum, ſeu cippum, decimum quintum, ut Gruterianus lapis fuit quintus terminus.

De Æolicâ literâ Ⅎ dixi ſuprà ad Annal. XI, 14.

Poſt Claudium, Nero, cùm Pontum Polemoniacum & Alpes Cottias imperio addidiſſet; Trajanus, tot gentibus Romanæ ditioni ſubditis, pomerium protulere, ut auctor eſt Vopiſcus in Aureliano XXI. Immo, teſte P. Galeotti, *Fr. Ficoronii Gemmæ antiquæ literatæ,* pag. 127. anno 1735, Romæ juxta Cœnobium Monachorum Sancti Stephani ſupra Cacum in fundamentis conductitiarum domorum inventa inſcriptio Trajani, quæ Urbis pomerium ab eo Imperatore auctum fuiſſe ſignificabat. Inſcriptionem hanc Romæ quæſivi. Sed heu! perierat, lapide marmorariis vendito.

Hadrianus, religionum curioſus, pomerii terminos, continuatis proculdubio ædificiis, ut videre eſt apud Livium & Dionyſium loc. cit. corruptos reſtituit. Quâ de re ſingularis exſtat inſcriptio apud Gruterum CXCVIII. num. 1.

DE URBIS ROMÆ POMERIO.

COLLEGIVM
AVGVRVM. AVCTORE
IMP. CAESARE. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVAE. NEPOTE
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAX. TRIB
POT. V. COS. III. PROCOS
TERMINOS. POMERII
RESTITVENDOS. CVRAVIT

Aurelianus, *adhibito consilio senatûs, muros Urbis Romæ dilatavit. Nec tamen pomerio addidit eo tempore, sed postea.* Vopisc. loc. cit. Nempe postea in Urbis ambitu terminos addidit, quibus urbana auspicia agerentur.

Nunc verò cùm constet de pomerio, quæ fuerit Urbis magnitudo inquiramus. Omissis falsis opinationibus eorum, qui nihil magnum, nisi immensum, novere; quosque non puduit, duce Vopisco in Aureliano XXXIX, Romam fingere, quæ quinquaginta millia passuum, id est plus quàm sedecim leucas Gallicas murorum suorum ambitu contineret, eos rei absurditate revinci sit satis. Melior locupletiorque testis Plinius III, 5, *Mœnia ejus collegere ambitu Imperatoribus censoribusque Vespasianis, anno conditæ* DCCCXXVI, *pass.* XIII. M. CC; id est passuum tredecim millia ac ducentos, seu leucas Gallicas ferme quinque.

At hæc ipsa mensura explicatione indiget. Majorem enim esse jam monuerat eruditus Raphael Fabretti, *de Aquis & Aquæductibus*, num. 261. Recèns monuit Cl. Danville, *Mém. de l'Acad. Royale des Inscript.* Tom. XXX. pag. 209 & seqq. Locorum natura demonstrat Vespasiani ætate Urbis ambitum passuum VIII. M. CC. haud esse egressum. Nec exterior ipse ambitus, ab Aureliano auctus, ac proinde multò major, ultra passuum XII. M. CCCL. excurrit. Unde vir, in rebus Geographicis acutissimus, vitiatos Plinii numeros, & pro *pass.* XIII. M. CC, emendandum *pass.* VIII. M. CC, contendit.

Certè de Urbis mensurâ assentior, nec tamen corruptos Plinii numeros opinor. At, qui murorum ambitum ætate Vespasiani collegere, non videntur rectà, sed per turrium flexus sinuososque murorum anfractus mensuram accepisse. Inde ex eorum calculis exurgunt passus 13,200; cùm sint reapse circiter 8,200. Sic quoque explices, quæ tradit Olympiodorus apud Photium, Cod. LXXX. pag. 198. Ammonem Geometram, mœnia Romæ, cùm primùm Gothi eam incursionibus infestavere, dimensum, reperisse in ejus

circuitu

circuitu XXI mill. pass. τὸ δὲ τῆς Ῥώμης τεῖχος μετρηθὲν παρὰ Ἄμμωνος τοῦ γεωμέτρου, καθ' ὃν καιρὸν Γότθοι τὴν προτέραν κατ' αὐτῆς καταδρομὴν ἐποιήσαντο, εἴκοσι καὶ ἑνὸς μιλίου διάστημα ἔχον ἀπεδείχθη. Nam mœnia, quæ Ammon emensus est, sunt ipsa mœnia ab Aureliano structa, quæ XII. M. CCCL pass. tantùm patebant. Hodieque ambitus Urbis, a summis Pontificibus ac maximè ab Urbano VIII amplificatæ, patet tantùm passus 15000¼. Nec potuere ab Ammone XXI. M. pass. colligi, quin turrium murorumque flexus & anfractus dinumeraverit. Et certè κριτικώτερος foret, qui & Latina Plinii & Græca Olympiodori corrupta contenderet.

At, inquies, si hæc ita sint, haud ita magna fuit Roma, quam nunc in Europâ plures urbes æquent superentve. Verùm Urbem noscis, Romam nondum nosti. Hæc enim, si propriis utimur verbis, valde diversa, ut accipimus ex Paulo, Digest. libr. L. Tit. 16. de Verborum significatione, Leg. 2. *Urbis appellatio muris: Romæ autem continentibus ædificiis finitur.* & Leg. 87 ex Marcello: *Ut Alfenus ait, Urbs est Roma, quæ muro cingeretur. Roma est etiam, qua continenti ædificia essent.* Leg. quoque 147 ex Terentio Clemente: *Qui in continentibus Urbis nati sunt, Romæ nati intelliguntur.*

Inde eloquenter pro more suo Plinius loc. cit. ait, *Exspatiantia tecta multas* Urbi addidisse *urbes . . . Quò si quis altitudinem tectorum addat, dignam profectò æstimationem concipiat, fateaturque nullius Urbis magnitudinem potuisse ei comparari.* Nec aliter, & sub ipsa Augusti tempora Dionysius Halicarnass. loc. cit. *Si quis hæc aspiciens Romæ amplitudinem velit colligere, procul dubio falletur, neque certum ullum signum habebit, quo dignoscat quousque Urbs progrediatur, & ubi Urbs esse desinat: adeò cum urbanis ædificiis ipsa suburbia nexu quodam perpetuo cohærent, & hominibus hæc spectantibus Urbis in infinitam longitudinem porrectæ speciem præbent.* Ἀλλ' ἔστιν ἅπαντα τὰ περὶ τὴν πόλιν οἰκούμενα χωρία, πολλὰ ὄντα καὶ μεγάλα, γυμνὰ καὶ ἀτείχιστα, καὶ ῥᾷστα πολεμίοις ἐλθοῦσιν ὑποχείρια γενέσθαι. Καὶ εἰ μέν εἰς ταυτά τις ὁρῶν, τὸ μέγεθος ἐξετάζειν βουλήσεται τῆς Ῥώμης, πλανᾶσθαί τε ἀναγκασθήσεται, καὶ οὐχ ἕξει βέβαιον σημεῖον οὐδὲν ᾧ διαγνώσεται μέχρι ποῦ προβαίνουσα ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ πόθεν ἄρχεται μηκέτι εἶναι πόλις· οὕτω συνύφανται τῷ ἄστει ἡ χώρα, καὶ εἰς ἄπειρον ἐκμηκυνομένης πόλεως ὑπόληψιν τοῖς θεωμένοις παρέχεται.

In tantâ urbe quis fuerit incolarum numerus disquirere juvat, maximè cùm in enormes & absurdas computationes abeant, qui hac de re scripsere, nullâ urbium notitiâ, suis tantùm conjecturis subnixi. Existimat Lipsius fuisse Romæ quadragies centena millia,

lia, 4,000,000, hominum. Alii octogies, 8,000,000, hominum volunt. Ne alios quidem puduit scribere hominum centies quadragies, 14,000,000.

Si quis fuerit Romæ singulis annis hominum emortualis numerus esset compertum, de numero ejus incolarum nulla exoriretur difficultas; ille enim numerus, per 32 multiplicatus, foret vitalis hominum numerus, ut ex accuratissimis Cl. Petty, *Several Essays in Political Arithmetic*, aliorumque eruditorum virorum, qui postea rem illam attigere, computationibus stat certum & inconcussum.

At cùm emortualem illum numerum nullus veterum scriptorum prodiderit, alia ineunda est via, indubitatis quoque Cl. Petty, aliorumque computationibus & experimentis certissima. Nempe si in urbe frequentissimâ ac principe, altitudine tectorum conspicuâ, ut nunc sunt Parisii, ut olim fuit Roma, numerum domorum noveris, nosti numerum hominum.

Omnes enim domos summatim accipe. In singulis domibus erunt familiæ $3\frac{1}{2}$. Singulæ familiæ constabunt 6 capitibus; ac proinde unaquæque domus habebit incolas 21. Hæc generatim de domibus, *les maisons*, dicta. Sed aliæ sunt domus majores, quas vulgò appellamus, *les Hôtels*, turbâ hominum numerosoque famulitio gravidæ. Hæ duplo sunt æstimandæ. Singulæ ergo habebunt incolas 42. Unum autem idemque esse, si incolas ex domibus, vel ex mortuis, æstimaveris, illustri exemplo patebit.

Parisiis moriuntur singulis annis hominum circiter viginti millia . . . . 20,000.

Ex hoc numero 20,000, multiplicato per 32, sunt Parisiis incolæ . . . . 640,000.

At Parisiis sunt triginta millia domorum, quas inter numerantur 500 domus majores, *des Hôtels*. Multiplica domos 29,500 per incolas 21, domos majores 500 per incolas 42, invenies incolas . . . . 640,500.

Quæ summa eadem ferme est, ac ea quæ superiùs ex mortuis provenit.

Ex his igitur principiis eamdem nobis licet de numero Romæ incolarum rationem inire. At ne ex verbis suboriatur difficultas, priùs præmonuerim, ut Parisiis distinguimus *les maisons*, *les Hôtels*, sic Romæ fuisse insulas *les maisons*, domos *les Hôtels*. Deinde, licèt sit generalis Regula ut domus duplo æstimentur, eas tamen quadruplo accipiam, ne in Urbis majestatem peccasse videar, tum etiam quòd Romæ esset domus Cæsarum, ceterorumque procerum, qui tantâ abundabant servorum copiâ, ut in unâ domo Pedanii Secundi, præfecti Urbis, sub eodem tecto mansitaverint quadringenti servi, ne numeratis quidem libertis, Tacit. Annal. XIV, 42.

His

His obſervatis, adeamus P. Victorem, *de Regionibus Urbis*. Ipſo teſte, fuere Romæ INSULAE XLVI MILL. DCII. DOMUS MILL. DCCXXC.

Si inſulas, *les maiſons*, 46602 per 21 multiplicaveris, erunt incolæ . . . . 978,642.

In domibus 1780 per 84 multiplicatis ſunt incolæ . 149,520.

Adde homines circiter 60,000, qui in caſtris prætoriis, Urbanis, peregrinis, Vigilum, Miſenatium &c. a Victore memoratis, attinebantur.

Fuere ergo

In inſulis incolæ . . . . 978,642.
In domibus . . . . 149,520.
In caſtris . . . . 60,000.

Summa incolarum Romæ fuit . . . . 1,188,162.

Ac proinde Roma fuit multò major Pariſiis, in quibus ſunt tantùm incolæ . . . . 640,000.

Fuit numeroſior Londino, in quo cùm ſingulis annis moriantur homines circiter 24,000, incolarum numerus debet eſſe . . 768,000.

Romæ magnificentia, aliunde ſatis perſpecta, & in ſuis ipſis ruinis hodièque conſpicua, apparet adhuc in domorum, *les Hôtels*, numero, cùm tam paucæ ſint Pariſiis, multò pauciores Londini.

Cognitâ autem Romæ amplitudine, ac frequentiâ, difficultates, quas nonnulli de veteribus Orientis urbibus movent, extricandæ. Cùm immenſa fuerint Ninives ac Babylonis ſpatia, contendunt ſingulis urbibus fuiſſe incolarum octogies centena millia, 8,000,000. Nec attendunt antiquis temporibus ita conditas fuiſſe urbes, non modò ut habitarentur, ſed etiam ut colerentur, &, ſi bellum ingrueret, ut ſuis facultatibus copiiſque ſuſtentarentur. Id de Babylone apertè prodidit Quintus Curtius, V, 1. *Totius operis* (muri urbis) CCCLVIII *ſtadia complectitur . . . . Ædificia non ſunt admota muris, ſed fere ſpatium unius jugeri abſunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt, per* XC *ſtadia habitatur: nec omnia continua ſunt, credo, quia tutius viſum eſt pluribus locis ſpargi. Cetera ſerunt, coluntque: ut ſi externa vis ingruat, obſeſſis alimenta, ex ipſius urbis ſolo ſubminiſtrent.*

Inde Plinium, ſuprà laudatum, intelligas, qui & Ninives, & Babylonis, & Thebarum deſcriptiones viderat, & tamen confidenter pronuntiabat *nullius urbis magnitudinem potuiſſe ei*, Romæ, *comparari*. Immo ipſius ætate cùm Seleucia Babylonem hauſiſſet, in eâ fuere tantùm *plebis urbanæ* DC. M. 600,000, teſte Plinio VI, 26.

Itaque celeberrimæ illæ Orientis & Ægypti urbes fuere Pariſiis quidem aut Londino majores, Romæ autem inferiores, vel ad ſummum pares. Unam in univerſo orbe urbem vetere Româ frequentiorem novi, Pekinum ſcilicet, *Péking*, Imperii Sinenſis caput, quam

quam ferme tricies hominum, 3,000,000, habitare scribit P. du Halde, *Description Géograph. Histor. Chronolog. Politique & Physique de l'Empire de la Chine*, Tom. II. pag. 7. Licèt pleræque peregrinarum narrationum amplificationibus intumeant, maximè cùm de hominum numero agitur, neque hæc fortè eò vitio careat, frequentissimum tamen esse Pekinum, atque ipsâ Româ numerosius, libenter profiteor. Idque evicere novissimæ Sinenses literæ, scriptæ Pekino die 12 Novembris, anno 1767, quibus nuntiabatur periisse hac in urbe variolis, *la petite vérole*, anno 1766, plusquàm centum millia puerorum. Nec magnatum liberi hoc morbo fuere afflati, quia diligentissimè contactu sunt prohibiti. Unica hæc fuit adversùs sævientem morbum cautio ac medela. Grassanti enim malo iterum cessère & priùs habitæ, & olim insertæ, *l'inoculation*, variolæ. Hæc Sinenses literæ.

Licèt morbus solito acriùs hoc anno sævierit, patet tamen maximam esse Pekini frequentiam. Nec miror. Urbs enim illa, ut & imperium Sinense, peste numquam fœdatur : ibi etiam pax pæne immota. Adde incredibilem populi parcimoniam, qui oryzâ plerumque victitet, nec ipsas sordes, ceteris populis abominatas, equos, canes, feles, mures, senio quoque ac morbo enectos fastidiat, teste eodem P. du Halde, qui id non immeritò inter præcipuas Sinensis abundantiæ causas recenset. *La chair des juments sauvages est fort estimée . . . . Le peuple s' accommode fort de la chair des chevaux, & des chiens, quoique morts de vieillesse, ou de maladie ; il n'a pas même de répugnance à manger celle des chats, des rats, & d'autres pareils animaux, qui se vend dans les rues* ; du Halde, loc. cit. pag. 138. Quis postea mirabitur ibi reperiri urbes populo frequentissimas, & in toto imperio Sinensi numerari circiter bis millies hominum, 200,000,000, cùm vix totidem habeat tota Europa. His paulo diutiùs sumus immorati, quòd inde nova magnaque lux historiæ adfulgeat.

Brotier ad cap. XXIII. lib. XII. Annal. Tacit.

DE

DE POPULI FREQUENTIA APUD SINAS,
hujusque tantæ frequentiæ causis.

DE Urbis Romæ pomerio, & magnitudine, incolarumque numero differui in priore Taciti editione. Quod autem ad illustrandam antiquitatem plurimùm valet, Romæ incolas cum Londini & Lutetiæ Parisiorum incolis contuli, & probavi esse nunc Lutetiæ incolas circiter . . . . 640,000.
Londini 768,000
fuisse autem Romæ . . . . 1,180,000.
ac proinde Romæ multò majorem fuisse, quàm in celebratissimis Europæ urbibus populi frequentiam. Simul addidi in Oriente magis numerosum esse populum, & in unâ urbe *Péking*, numerari, ut fertur, tricies ferme hominum . . . . 3,000,000.
Quod nimium mihi videri ibidem monui. Sed certè & sine ullo amplificationis metu, ut recèns accepi ab iis qui Pekini multis abhinc annis degunt, ibi numerantur incolæ circiter . . 2,500,000.
Quod minimè mirum esse dixi in imperio, cui est bis millies incolarum . . . . 200,000,000.
At cùm Cl. de Paw, vir multæ lectionis, qui ritus, mores, aliaque Sinensis populi magno labore coacervavit, ut gentem sibi nec satis, nec diligenter cognitam extenuaret ac deprimeret, operæ pretium duxi quæ obiter attigeram fusiùs explanare, ut res, quâ nulla est in politicâ œconomiâ attentione dignior, pro argumenti dignitate evolveretur.

CL. DE PAW, *Recherches Philosophiques sur les Egyptiens & les Chinois*, Tom. I, pag. 89. Tom. II, pag. 361. & alibi passim, affirmat Sinarum regionem, sexies Germaniâ majorem, tam exiguo incolarum numero frequentari, ut licèt Germania, juxta Cl. Sussmilch, habeat ducenties quadragies incolas, 24,000,000, Sinæ non habeant quingenties sexagies, 56,000,000.

Deceptus est nempe Cl. vir acto familiarum Sinensium censu, cùm Tartari Sinense solium occupavere superiore sæculo, anno 1644. Tunc numeratæ sunt familiæ 11,052,872. Opinatus est familias illas, ut nostras, quas dicimus *des feux*, justè æstimari si numerus familiarum per numerum 5. multiplicaretur. Quâ multiplicatione confecit apud Sinas tum fuisse tantùm incolas 55,264,360.

At Cl. vir non attendit Sinenses familias non æstimari, ut nostras per numerum 5, sed saltem per numerum 6, ut constat ex multis Sinensium censibus qui familias & personas exprimunt, & complures familiæ numerum illum excedunt. Sed multiplicatio fiat tantùm per numerum 6, jam censendi sunt Sinenses incolæ 66,317,232.

Præterea latuit Cl. virum in his Sinensibus censibus non numerari mulieres, non numerari liberos nisi ab anno ætatis suæ quintodecimo, non numerari senes ab anno ætatis suæ sexagesimo, non numerari milites, non numerari Mandarinos, non numerari literatos, non numerari inopes & morbis invalidos, non numerari Principes. Qui omnes si annumerentur, Sinæ habent certè, ut jam monui circiter bis millies incolas, 200,000,000.

In Europâ verò, ut plurimùm, numerantur incolæ 130,000,000. Manet ergo certum & indubitatum maximam esse apud Sinas populi frequentiam, atque etiam majorem non modò quàm in Germaniâ, at quoque quàm in totâ Europâ, quæ tamen est Sinis multò amplior.

Hactenus & veritati & curiositati consultum, nunc consulendum publicæ utilitati, quam spectare debent sani cujusque hominis studia. Causas ergo tantæ apud Sinas populi frequentiæ inquiramus. Aliquas quidem attulit P. Du Halde; *Description de l'Empire de la Chine*, Tom. II, p. 7. nempe cœli clementiam, soli fecunditatem, incolarum sobrietatem, imperii pacem immotam, patriæ amorem & externarum terrarum contemptum. Addideram quoque ibi promiscuos & populo acceptos esse cibos equos, canes, feles, mures senio quoque ac morbo enectos, aliasque sordes ceteris populis abominatas. At novas adhuc, easque penitissimas, accepi a viro harum rerum consultissimo, qui Pekini degit, multúmque adlaborat, ut Sinæ accuratissimè innotescant.

Præcipuæ illæ causæ sunt: 1. Pervagata per totum imperium pietas filiorum in parentes, & jura parentum in liberos, ita ut liberi sint certissimum & locupletissimum parentum bonum. 2. Innstum homini, qui sine liberis moritur, propudium. 3. Mores ipsius imperii, quibus maxima, gravissima, sanctissimaque parentum cura in maritandis liberis reputatur. 4. Honores additi viduabus, quæ secundas nuptias non ineunt. 5. Adoptiones, quæ & prole carentibus, & nimiâ onustis æquè subveniunt. 6. Mulierum solitudo, unde iis major puerperiorum cupido, pauciora in partu pericula, maxima & assidua educandorum liberorum cura. 7. Exheredatio filiarum omnium, quâ certa semper & sat ampla filiorum & familiarum patrimonia. 8. Connubia militum. 9. Certa & immota vectigalia, agris inhærentia, quæ mercatorem & artificem indirectè tantùm percellunt. 10. Pauca mari, pauca in externas terras itinera. 11. Maxima facilitas, ut ex unâ provinciâ in alteram transvehantur homines, prout postulat abundantia, aut sterilitas. 12. Non sobria tantùm, sed laboriosa quoque ipsorum magnatum vita. 13. Nulla præjudicata opinio ignobilium nobiliumve nuptiarum. 14. Nobilitas, ex antiquo Sinarum usu, officiis virtutibusque

que

que addicta, minimè verò hereditaria : homines, non familias distinguit. 15. In publico decus morum, magnusque pudicitiæ honos. 16. Diætica imperii studia, quibus diligenter inquisitum, experimentis exploratum, literisque traditum, quidquid leguminum & radicum edule, sanum, ac salubre, potest in sterilitatibus aliisque temporum necessitatibus frumentum & oryzam supplere.

Has sanè causas quicumque attentè perpenderit, haud mirabitur tantam esse Sinis populi multitudinem. At id commune est hominibus vitium, ut nihil ferme moderati habeant. Nostrâ in Europâ sæpe non satis consulitur hominum multiplicationi : apud Sinas, nimis consulitur. Unde illa morum portenta, quibus parentes monstrosos liberos & invalidos, sub ipso partu, enecant ; filios ac maximè filias, premente inopiâ, exponunt, & doloribus mortique devovent : ipsa imperii discrimina, cui lugenda imminet ruina, quoties sudum serenumque est cœlum, nec decem pluviæ, quibus oryza, maximum Sinarum alimentum, aliaque germina pullulant, statis suis temporibus non eveniunt.

Nullane ergo certa fixaque datur regula, quâ definiri possit, quæ debeat esse in imperiis hominum multitudo? Datur certè, eaque oritur ex ipsâ imperiorum naturâ, quæ condita sunt ut tuti lætique vivant homines. Vera ergo certaque sit imperiis regula, multiplicare populum, quantum sinit securitas & lætitia. Ea est imperii felicitas, quam æquè commendant ratio atque religio ; quam in Italiâ fundatam voluit optimus Princeps Trajanus, ut dicemus, cùm res ejus sumus tradituri ; quam egregiè descripsit Isaias, si Hebraica, ut Judæi Syrusque interpres, legeris : *Multiplicasti gentem, eique magnificasti lætitiam. Lætati sunt, sicut qui exultant in messe, sicut exultant victores, quando dividunt spolia.* Isai. IX, 3.

Hæc sunt, quæ in re magni momenti disserere volui. Cetera in quibus Ægyptios & Sinenses non satis diligenter expressit Cl. de Paw, non nostri est instituti & otii longiùs prosequi. Id tantùm addidero Cl. virum, ut urbium & hominum inopiam Sinensibus exprobret, iis objicere Belgas & Batavos, apud quos tot sunt urbes, tot homines. Id objici posse incredibile est. Non memorabo Sinis esse 1510 urbes muris cinctas, quarum principes, ut *Péking*, *Nanking*, *Hang-tcheou*, *Canton*, &c. habent singulæ ampliùs decies centena millia incolarum, 1,000,000. præsidia insuper majora, *des forteresses*, muris munita, 493 ; præsidia minora, muris quoque vallata, 2508. Belgis & Batavis, quos in exemplum adduxit Cl. de Paw, non urbes Sinenses objecerim, sed duos tantùm pagos *King-te-tcking*, & *Fo-chan*. Hic distat solùm quatuor leucas ab urbe *Canton*, & refertus est sericis aliisque opificibus ; ille est in provinciâ *Kiang-si*, ibique degunt figuli vasorum, quæ dici-

 mus

mus *Porcelaines*: nec nomen, nec dignitatem urbium obtinent, quòd non sunt muris cincti. Singulis tamen sunt incolæ ampliùs decies, 1,000,000. Belgæ & Batavi habent ferme incolas 4,000,000. quot reperire est in paucis pagis, nedum urbibus, Sinensibus. Non juvat externa minuere, sed recta atque utilia ubivis fuerint æmulari, & nostra in melius mutare.

Brotier ad cap. XXIII. lib. XII. Tacit. Annal. ex edit. in 12mo. An. 1776.

DE EXSILIO, RELEGATIONE & DEPORTATIONE.

INTER optima instituta, quibus viguit respublica Romana, illud mihi potissimum videtur quo PATRIAM, sanctissimam parentem, liberis seque ipsis cariorem, venerabantur: pro quâ vivere, pro quâ mori, cui se totos dedere, in quâ sua omnia ponere, & quasi consecrare debebant. Cùm tanta forent patriæ nomina, meritò statutum erat ut nemo civis Romanus civitatem posset amittere, nisi ipse auctor esset. Inde, si quem, rei capitalis damnatum, ejectum vellent Romani, tecto, igne, aquâ, interdicebatur. Tunc, cùm in aliam civitatem se recepisset, nec duas simul habere posset, civitate Romanâ amissâ, redigebatur in peregrinitatem. Hæc pœna *exsilii*. Exsul civitatem, patriam in liberos potestatem, testamenti factionem, bona, & omnia omnino jura sua amittebat, ut videre est in Digest. lib. XLVIII. Tit. 1. de Publicis Judiciis. Tit. 22. de Interdictis, Relegatis & Deportatis. Apud Caium, Institut. libr. I. Tit. 6.

Relegatio ab exsilio erat penitus diversa. Relegatus civitatem, patriam potestatem, testamenti factionem, omnia sua jura & bona retinebat; ni fortè bona, parsve bonorum, speciatim adimerentur: tantùm ab urbe Româ, aliove loco abesse tenebatur. Inde Ovidius, V. Trist. Eleg. II, 59,

Ira quidem moderata tua est; vitamque dedisti;
Nec mihi jus civis, nec mihi nomen abest.

Et

Et Eleg. XI, 15.

Nec vitam, nec opes, nec jus mihi civis ademit;
Quæ merui vitio perdere cuncta meo.
Sed quia peccato facinus non adfuit illi,
Nil nisi me patriis jussit abesse focis.

. . . .

. . . .

Ipse relegati, non exsulis, utitur in me
Nomine: tuta suo judice causa mea est.

Deportationem reperit Augustus, specie clementiæ, quasi servarentur homines, qui perire debuissent; re, ut exsilii pœna intenderetur, neve exsulum libertas, aut consensus, Principatui noceret. Deportatione civitas, patria potestas, testamenti factio, bona, jura omnia sublata. Quod autem exsilio terribilius, circumscriptus est habitandi locus: sæpe quoque addita infamia, cùm vincti compedibus, & servis publicis traditi, deportarentur.

Verùm licet exsulum & deportatorum bona publicarentur, noli tamen eos omnino inopes existimare. Vel reorum inopiam non ferebat Imperii luxus. Ideo cùm eorum opes adhuc formidaret Augustus, *vetuit ne quis eorum quibus aquâ & igni esset interdictum, in continenti degeret, aut in insulâ ullâ. nisi quæ ultra quinquaginta millia passuum ab continente distaret; solis tamen insulis Co, Rhodo, Sardiniâ, & Lesbo, exceptis . . . . neve quis eorum aliò trajiceret, aut plures naves, quàm unam onerariam, mille amphoras capientem, & duas actuarias, neve servos aut libertos super viginti, ne plus quingentis millibus nummûm.* Gallicæ monetæ libris 97,265, *possideret.* Ἀπηγόρευσε μηδένα πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθέντα, μήτε ἐν ἠπείρῳ διατρίβειν, μήτε ἐν νήσῳ τῶν ὅσαι ἔλαττον τετρακοσίων ἀπὸ τῆς ἠπείρου ϛαδίων ἀπέχουσι· πλὴν Κῶ καὶ Ῥόδου, Σαρδοῦς τε καὶ Λέσβου . . . . Ἐκεῖνά τε οὖν αὐτοῖς προσέταξε, καὶ τὸ μήτε περαιοῦσθαί πῃ ἄλλοσε, μήτε πλοῖα πλείω φορτικοῦ τε ἑνὸς χιλιοφόρου, καὶ κωπήρων δύο κεκτῆσθαι· μήτε δούλοις, ἢ καὶ ἀπελευθέροις, ὑπὲρ εἴκοσι χρῆσθαι· μήτ' οὐσίαν ὑπὲρ δώδεκα καὶ ἡμίσειαν μυριάδα ἔχειν. Dio LVI. pag. 587. Meritò ergò Seneca, Consolat. ad Helviam, XII, exclamat: *Eò temporum luxuria prolapsa est, ut majus viaticum exsulum sit, quàm olim patrimonium principum fuit.*

Brotier ad cap. XXII. lib. XIII. Tacit. Annal.

DE TESTUDINE ROMANA.

Ἡ δὲ δὴ χελώνη τοιάδε τίς ἐστι, καὶ τόνδε τὸν τρόπον γίγνεται· τὰ μὲν σκευοφόρα καὶ οἱ ψιλοὶ οἵ τε ἱππεῖς ἐν μέσῳ τοῦ στρατεύματος τετάχαται· τῶν δ᾽ ὁπλιτῶν οἱ μὲν ταῖς προμηκέσιν ἀσπίσι ταῖς κοίλαις ταῖς σωληνοειδέσι χρώμενοι, περί τε τὰ ἔσχατα, ὥσπερ ἐν πλινθίῳ τινὶ, τάσσονται, καὶ τοὺς ἄλλους, ἔξω τε βλέποντες, καὶ τὰ ὅπλα περιβεβλημένοι, περιέχουσιν· οἱ δ᾽ ἕτεροι οἱ τὰς πλατείας ἀσπίδας ἔχοντες, ἔν τε τῷ μέσῳ συσπείρονται, καὶ ἐκείνας καὶ ὑπὲρ ἑαυτῶν καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἁπάντων ὑπεραίρουσιν· ὥστε μήτ᾽ ἄλλο τι πλὴν ἀσπίδων διὰ πάσης ὁμοίως τῆς φάλαγγος ὁρᾶσθαι, καὶ ἐν σκέπῃ τῶν βελῶν πάντας αὐτοὺς ὑπὸ τῆς πυκνότητος τῆς συντάξεως γίγνεσθαι. Οὕτω γάρ τοι δεινῶς ἰσχυρίζεται, ὥστε καὶ βαδίζειν τινὰς ἐπάνω αὐτῆς, καὶ προσέτι καὶ ἵππους, καὶ ὀχήματα, ὁσάκις ἂν ἔν κοίλῳ τινὶ καὶ στενῷ χωρίῳ γένωνται, ἐνελαύνεσθαι. Τοιοῦτο μὲν δὴ τὸ σχῆμα τῆς τάξεως ταύτης ἐστὶ, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν τῆς χελώνης ἐπίκλησιν, πρός τε τὸ ἰσχυρὸν καὶ πρὸς τὸ εὐσκέπαστον αὐτῆς, εἴληφε. Χρῶνται δὲ αὐτῇ διχῆ. Ἢ γὰρ φρουρίόν τι προσμίσγοντες προσπορεύονται, καὶ πολλάκις καὶ ἐπ᾽ αὐτὸ τὸ τεῖχος ἀναβιβάζουσι τινὰς, ἢ ὑπὸ τοξοτῶν ποτε περιστοιχισθέντες, κυπτάζουσι πάντες ἅμα (καὶ γὰρ καὶ οἱ ἵπποι ὀκλάζειν καὶ κατακλίνεσθαι διδάσκονται) κἀν τέλῳ δόκησιν σφίσιν ὡς καὶ κεκμηκότες παραχόντες, ἐξεγείρονταί τε, πελασάντων αὐτῶν, ἐξαίφνης, καὶ ἐς ἔκπληξιν σφᾶς καθιστᾶσιν. *Testudo autem talis est, & hoc modo fit. Impedimentis & levis armaturæ militibus, equitibusque in medio exercitûs collocatis, gravis armaturæ pedites, hi qui oblongis clipeis cavis, ac in morem tubi incurvatis, utuntur, in extremis partibus velut in latericio quodam opere quadrato, ita collocantur; ut foras spectantes, & armis tecti, ceteros undique contineant: alii, qui lata gestant scuta, in medio conferti, ea supra se & reliquos omnes tollunt, ita ut nihil aliud quàm clipei per totam phalangem conspiciantur, omnesque propter densitatem aciei a telis protecti sint. Est enim hæc clipeorum densatio adeò firma, ut & super ea ingredi aliquot homines possint, imo equi & currus agi, si in cavo ac angusto loco constipetur. Hæc figura est illius aciei, nomenque illa testudinis propter firmitatem, ac quod tam egregiè exercitum contegit, invenit. Usus porro ejus duplex est. Nam aut in oppugnando aliquo castello, factâ testudine, succedunt ad murum, ac sæpe numero in ipsum murum quosdam eâ attollunt: aut a sagittariis circumdati, omnes genu nituntur simul, (nam & equi in genua inclinare adsuefacti sunt) opinione de se, tanquam confectis, præbitâ hostibus, accedentibus eis, repentè, nec sine terrore eorum,*

eorum, insurgunt. Dio, XLIX. pag. 409. Imaginem testudinis adhuc videre est Romæ in Trajani columnâ.

Mirum verò quàm hæc cum Tacito consentiant. Ex iis enim intelligas quomodo, Annal. XIII, 39, Hi *in testudinem conglobati subruendo vallo* inducuntur. Hist. III, 27. Ad Brixianam portam, *alii falces, scalasque convectant: tum elatis super capita scutis densâ testudine succedunt. Romanæ utrimque artes: pondera saxorum Vitelliani provolvunt; disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur, donec solutâ compage scutorum, exangues aut laceros prosternerent multâ cum strage.* Hist. III, 28. *Non jam sanguis, neque vulnera morabantur, quin subruerent vallum, quaterentque portas, innixi humeris, & super iteratam testudinem scandentes, prehensarent hostium tela brachiaque, integri cum sauciis, semineces cum expirantibus volverentur.* Hist. IV, 23. *Invasere vallum, appositis plerique scalis, alii per testudinem suorum.* Alia plurima ex aliis scriptoribus, congerere facile foret, quæ Dionis descriptionem confirmarent. At satis sit historici prudentissimi, in ipsa militari arte exercitati, res ætate suâ gestas narrantis, auctoritatem adduxisse, ut quæ adversùs testudinem Romanam nuper commentus est recens & ingeniosus scriptor, sed παραδόξων paulo amantior, literatus quisque dijudicet. In testudine Romanâ, qualem Dio, Tacitus, aliique scriptores Græci ac Latini, & columna Trajani, exhibent, omnia arti militari & mechanicæ legibus sunt consona. Contrà verò octo pluresve scansiles militum armatorum ordines, aliaque id genus, fabulæ sunt, quas cum ingenioso scriptore nos quoque ultro ac libenter explodimus.

Brotier ad cap. XXXIX. lib. XIII. Tacit. Annal.

DE

DE PESTILENTIA, *quæ Romæ grassata est anno* U. C. DCCCXVIII, J. C. 65. *& de peste, quæ ibidem, Tito Principe, sævit.*

Annus Urbis conditæ DCCCXVIII tempestatibus & morbis fuit insignis. Tanta fuit in Urbe vis pestilentiæ, ut in uno autumno triginta hominum millia perierint. Teste enim Suetonio in Ner. XXXIX, *accesserunt tantis ex Principe* Nerone *malis, probrisque, quædam & fortuita : pestilentia unius autumni, quâ triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.* Eadem exscripsit Orosius VII, 7.

Lipsius tamen, Urbis magnificentiâ motus, Suetonium ejusve librarios hìc errasse contendit, & emendat, *trecenta funerum millia* : eumdem postea numerum Cl. Chevreau, multique rerum Romanarum scriptores postea prodidere ; nullâ omnino necessitate, immo historiæ damno. Abundè enim Libitinæ satisfactum, si pestilentiâ, *de maladie épidémique,* triginta hominum millia uno autumno occumbant. Pestilentiam quoque illam Tacitus inter morbos, non inter pestes, recenset.

Ex numero autem Romæ incolarum, quem exhibui in Notis ad Annal. XII, 23, emortualis numerus fuit Romæ singulis annis hominum circiter 36,900. Hoc anno, quo sævit pestilentia ad minimum fuit hominum 57,700. Illum ergo annum morbis fuisse insignitum meritò scripsit Tacitus.

Alia omnino ratio, cùm urbs, qualis erat Roma, peste vastaretur. Hanc luctuosam calamitatem, quantaque aliàs non fuerat, Romæ contigisse, Tito Principe, novimus ex Suetonio in Tit. VIII, & ex Victore in Epitom. Illam Eusebius in Chronic. perperam ad Vespasiani Principatum retraxit. Quam verò stragem ediderit, his verbis docet : *Lues ingens Romæ facta, ut per multos dies in ephemeridem decem millia ferme mortuorum hominum referrentur.* Quæ cùm multi legunt, vel quanta fuerit hæc lues non attendunt, vel, si attenderint, non satis percipiunt, grandioresque esse numeros exclamant.

Quibus ut fiat satis, observandum est plurimis tristissimisque urbis Londini experimentis compertum esse, auctore Cl. Petty, *Several Essays on Political Arithmetick,* pag. 31, peste absumi quintam ejus incolarum partem, $\frac{1}{5}$. Sic anno 1665, quo teterrima pestis Londini sævit, periere homines 97,000, quæ tunc erat hujus urbis pars quinta. Verùm ut notat idem Cl. Petty, ibid. pag. 61, si pestis in calidioribus Orientis, Hispaniæ, Italiæ, Ægypti urbibus sævierit, duplum perit, $\frac{2}{5}$, aut etiam aliquantò plus. In hac ergo peste, quæ, optimo Principe Tito, deflagravit, si periisset tantum

quinta

quinta incolarum Urbis pars, $\frac{1}{5}$, occubuissent homines circiter 236,000; si perierit, utì contingere solitum est, altera pars quinta, $\frac{2}{5}$, occubuere homines 472,000. In tantâ strage non mirum si *per multos* dies, teste Eusebio, *in ephemeridem decem millia ferme mortuorum hominum* relata sint.

Brotier ad. cap. XIII. lib. XVI. Tacit. Annal.

DE MILLIARIO AUREO.

PRIMUS C. Gracchus, circa annum Urbis conditæ DCXXV, vias per milliaria dimensus, columnas lapideas, distantiarum signa, locavit, Κίονας λιθίνους σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν, Plutarch. in Gracch. pag. 838. Milliaria illa constabant mille passibus, seu quinque millibus pedum Romanorum, mensuræ nostræ Gallicæ 756. *toises*. A pomerio, portisve Urbis numerabantur. Deinde Augustus, optimi cujusque instituti æmulator & perfector, novam in reficiendis dirigendisque viis operam posuit, &, anno U. C. DCCXXXIV, milliarium aureum fecit, τὸ χρυσοῦν μίλιον κεκλημένον ἔστησε, Dio, LIV, pag. 526. Aureis literis ei inscripta fuisse præcipuarum urbium intervalla existimat P. Eschinardi, *Agro Romano*, cap. 3. Alii aureum totum fuisse volunt. Illud in capite fori Romani, ac proinde in celeberrimâ Urbis parte, posuit Augustus, ut, splendido superboque aspectu, Urbis victricis & Italiæ terrarum orbi dominantis memoria semper occurreret. In hoc milliarium vias militares Italiæ omnes desiisse testatur Plutarchus, in Galbâ, pag. 1064, Ἐβάδιζεν εἰς ἀγορὰν, οὗ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν. Unde patet, non ab illo milliario, sed ab Urbis pomerio, seu veteri portarum situ ante productionem mœniorum ab Aureliano factam, itinerum mensuras incœpisse, ut optimè advertit eruditus Fabretti, *de Aquis & Aquæductibus veteris Romæ*, pag. 136. Idem plurimis experimentis constat. Labentibus tamen sæculis, quidam scriptores itinerum mensuras ab aureo milliario repetiere, utì videre est apud. Cl. de la Nauze, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Tom. XXVIII, pag. 388 & seqq. Alia est mensura, apud Jurisconsultos pervulgata, & in judiciis usurpata, quæ neque ab Urbis pomerio, neque a milliario aureo initium ducebat, sed a continentibus ædificiis, Gallicè *l'extrémité des fauxbourgs*. De hac mensurâ Macer, Di-

gest. libr. L. Tit. 16. *de verborum significatione*, Leg. 154. *Mille passus non a milliario Urbis, sed a continentibus ædificiis numerandi sunt.*

Nunc verò, cùm jam dudum Romanos in sternendis viis simus æmulati, eos nunc in signandis milliariis imitemur, id unum superest, ut ante Parisiensem B. V. MARIÆ ædem, unde ducta itinerum initia, exsurgat milliarium aureum, nomine LUDOVICI XV insigne, cujus providentiâ magnificentiâque factum, ut viarum multitudine, amplitudine, commoditate & umbraculis Romanos vicerimus.

Brotier ad cap. XXVII. lib. I. Hist. Tacit.

DE VENERE PAPHIA.

VENUS Paphia est illa ipsa cœlestis Venus, quam mortales, deum rerum omnium auctorem obliti, tamquam vitalem hominum, pecudum, volucrum, ceterorumque animantium, quæ viverent, causam, & amoris, quo stant vigentque omnia, conciliatricem venerati sunt. Hanc Venerem fecundamque ejus vim expresso nomine Lucretius I, I. tacito Virgilius Æneid. VI, 724. egregiis versibus commendant. Ejus quoque laudes paucis complexus est Apuleius libr. XI. *Tu Cœlestis Venus, quæ primis rerum exordiis sexuum diversitatem generato amore sociasti, & æternâ sobole humano genere propagato, nunc circumfluo Paphi sacrario coleris.*

Cultûs, ut erroris, origo apud Assyrios primùm invaluit, inde ad Cyprios Phœnicesque & alios populos devecta, auctore Pausaniâ in Attic. I, 14. Πρώτοις δὲ ἀνθρώπων Ἀσσυρίοις κατέστη σέβεσθαι τὴν (Ἀφροδίτην) Οὐρανίαν· μετὰ δὲ Ἀσσυρίους, Κυπρίων Παφίοις, καὶ Φοινίκων τοῖς Ἀσκάλωνα ἔχουσιν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ· παρὰ δὲ Φοινίκων, Κυθήριοι μαθόντες σέβουσιν. *Primi omnium Assyrii Venerem Cœlestem coluere: a quibus Paphii in Cypro acceptum sacrorum ritum cum Phœnicibus, qui in Palestinâ Ascalonem urbem incolunt, Phœnices cum Cytheriis, communicarunt.*

Cùm autem rudes adhuc homines deos in humani oris speciem adsimulare nondum novissent, Venerem Paphiam, orbiculatâ primùm, deinde in tenuem ambitum exsurgente figurâ, metæ modo, adumbratam coluere. Quod certissimum est antiquissimæ venerationis

tionis argumentum. Tales deorum formas memorat Maximus Tyrius, Differt. XXXVIII. pag, 384. Παίονες σέβουσι μὲν Ἥλιον, ἄγαλμα δὲ Ἡλίου Παιονικὸν, δίσκος βραχὺς ὑπὲρ μακροῦ ξύλου. Ἀράβιοι σέβουσι μὲν, ὅντινα δὲ οὐκ οἶδα· τὸ δὲ ἄγαλμα ὃ εἶδον λίθος ἦν τετράγωνος. Παφίοις ἡ μὲν Ἀφροδίτη τὰς τιμὰς ἔχει, τὸ δὲ ἄγαλμα οὐκ ἂν εἰκάσαις ἄλλῳ τῳ ἢ πυραμίδι λευκῇ. *Paeones Solem colunt, Solisque apud hos simulacrum brevis discus est, perticæ suprà longissimæ affixus. Colunt & Arabes Deum; quem verò haud facilè dixerim: quod autem vidi apud eos simulacrum, lapis erat quadrangularis. Venerem Paphii colunt, cujus statuam albæ pyramidi non dissimilem dixeris.*

Venerem hanc Paphiam exhibent plurimi Cypriorum nummi. At quòd magis singulare, reperta est in Herculanensibus ruinis tabula, quæ ipsissimam hujusce deæ ejusque cultûs imaginem refert. Tabulam hanc publicavere eruditi Academici Herculanenses, uberrimisque notis illustravere, quas vide, *Pitture antiche d'Ercolano.* Tom. III. tab. LII. Cùm autem Venus illa Parcarum natu maxima haberetur, inde in nummis Cypriorum & in tabulâ Herculanensi tres metæ exhibentur; idque approbat vetus Inscriptio, quam memorat Pausanias, in Attic. 1, 19. Τὸ δὲ ἐπίγραμμα σημαίνει τὴν Οὐρανίαν Ἀφροδίτην τῶν καλουμένων Μοιρῶν εἶναι πρεσβυτάτην. Columnæ illæ fastigiantur in φαλλοὺς, fecunditatis testes. Cinyræ autem, regi, religionis apud Cyprios auctori, datum est, ut ipse cum omni suâ familiâ atque etiam prosapiâ in templo Veneris conderetur, teste Arnobio, libr. VI. Veneris Paphiæ religio, in insulâ Cypro percelebris, alias quoque urbes pervasit. Manent adhuc monumenta in nummis Chalcidis, Eubœæ insertum an Syriæ urbis, & Æliæ Capitolinæ, nunc *Jerusalem,* qui Venerem, metæ modo, qualem descripsit Tacitus, exhibent. Nummos, minimè vulgares, vide apud Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples & de Villes.* Tom. II. pag. 211. tab. LXXX. num. 76. & Tom. III. pag. 250. tab. CXXXV. num. 9.

Brotier ad cap. III. lib. II. Hist. Tacit.

DE NUMERO ET NOMINIBUS LEGIONUM.

NE animus fatigetur nominibus ac mutationibus legionum, qui maximus est in evolvendis Historiarum libris labor, earum numerum nominaque explanabo, deinde earum loca adsignabo: quibus cognitis, facile erit, sine ullo labore, quas partes in his civilibus bellis sint secutæ, dignoscere.

LEGIO PRIMA, in inferiore Germaniâ. Tacit. Hist. I, 55. & IV, 19.

LEGIO PRIMA ITALICA, Lugduni in Galliâ. Tacit. Hist. I, 60, 64. II, 100. & III, 22. A Nerone fuerat lecta. Dio, LV. pag. 564. Ejusque ætate erat in Mœsiâ inferiori. Quòd autem ex Italicis militibus conscripta, nuncupata est Italica. In nummis Gallieni LEGI ITAL VIP VIF. vel VIIP VIIF. Id est, *Legio prima Italica, sextùm pia, sextùm fidelis*, vel *septimùm pia, septimùm fidelis* De his ceterisque Gallieni nummis vide Cl. Banduri, *Numismata Imperatorum Romanorum*. Tom. I. pag. 166 & seqq.

LEGIO PRIMA ADJUTRIX CLASSICORUM, primò Romæ, deinde in Hispaniâ. Tacit. Hist. I, 6. & 36. II, 43 & 67. III, 44. Si Tacitum loc. cit. & Dionem LV, pag. 564. comparaveris, videbitur legionem illam, quam Nero e classe conscripserat, primùm dictam fuisse *Classicorum*, deinde a Galbâ, obliterato minimè nobili Classicorum nomine, nuncupatam *Adjutricem*. In nummis Gallieni, LEGI ADI VIP VIF. *Legio prima Adjutrix, sextùm pia, sextùm fidelis*.

LEGIO SECUNDA, in Britanniâ. Tacit. Hist. III, 22. A Dione loc. cit. cognominatur *Augusta*. In nummo Carausii LEG II AVG. De hoc ceterisque Carausii nummis vide Cl. Stukley, *The Medallic History of Carausius Emperor in Britain*. Tom. I & II. In Inscriptione quoque veteri apud eruditum Shaw, *Voyages en Barbarie*, Tom. I. pag. 263. LEG. II. AVG.

LEGIO SECUNDA ADJUTRIX, recèns a Vespasiano in bellis civilibus conscripta. Tacit. Hist. IV, 68. & V, 16. Spartian. in Hadrian. II. Dionis ætate fuit in Pannoniâ inferiori. Dio, ibid.

LEGIO TERTIA, in Syriâ. In Mœsiam transiit, deinde in Syriam remissa. Tacit. Hist. II, 74. IV, 39. Tres fuere, teste Dione, loc. cit. legiones tertiæ, τρία τὰ τρίτα. Hæc a Dione cognominatur *Gallica*.

LEGIO TERTIA, in Ægypto. Tacit. Hist. V, I. Dionis, id est Severi Alexandri, tempore erat in Arabiâ, & dicebatur *Cyrenaica*,

naica, ut videtur ex Dione loc. cit. Immo Trajani ætate jam dicebatur *Cyrenaica*, ut patet ex veteri Inſcriptione, quam in Coloniâ Scillitanâ, nunc *Caſſareen, dans le Royaume de Tunis*, deſcripſit eruditus Shaw, *Voyages*, Tom. 1, pag. 263. LEG. III. CYR.

LEGIO TERTIA, in Africâ. Tacitus, Hiſt. IV, 48, memorat tantùm legionem in Africâ. Ea ſanè fuit *tertia Auguſta*, quæ ætate Dionis, loc. cit. erat in Numidiâ. Et in veteribus Inſcriptionibus, quas Lambæſæ, nunc *Tezzoute, dans le Royaume d'Alger*, reperit eruditus Shaw, *Voyages*, Tom. 1. pag. 149 & 197. memoratur LEG. III. AVG. id eſt *legio tertia Auguſta*.

LEGIO QUARTA, in ſuperiore Germaniâ. Tacit. Hiſt. I, 18. Legio illa dicta eſt *Macedonica*, Tacit. Hiſt. III, 22.

LEGIO QUARTA, in Syriâ, Tacit. Annal. XV, 6, 7 & 26. Dioni, loc. cit. dicitur *legio quarta Scythica in Syriâ*. Memoratur quoque in veteri Inſcriptione apud eruditum Gori, *Inſcript. Antiq.* Tom. I. pag. 248. LEGIO IIII SCYTHIC.

LEGIO QUINTA, in inferiore Germaniâ. Tacit. Hiſt. I, 55. Hujus legionis inſignia erant elephantes ob Africanam Cæſaris victoriam, de Jubâ reportatam. Appian. Bell. Civil. II. pag. 488. Ceterarum legionum multa manent inſignia in Gallieni, Carauſii, aliorumque nummis.

LEGIO QUINTA, in Judæâ. Tacit. Hiſt. V, I. Dein in Mœſiam remiſſa. Vide Appendicem ad librum V. Hiſtoriar. cap. 43. Dioni loc. cit. memoratur *legio quinta Macedonica in Daciâ*: Et in nummis Gallieni LEG V MAC. VIP VIF vel VIIP VIIF. id eſt *legio quinta, Macedonica, ſextùm pia, ſextùm fidelis*, vel *ſeptimùm pia, ſeptimùm fidelis*. Apud Cl. Gori, loc. cit. LEG. V MACED.

LEGIO SEXTA, in Hiſpaniâ. Tacit. Hiſt. III, 44. Ea eſt quæ Galbam Principem fecit. Tacit. Hiſt. V, 16. Duas legiones Sextas, ἕκτα δύο memorat Dio, loc. cit. Hæc autem legio ſexta eadem ſanè eſt, quæ poſtea fuit in inferiore Britanniâ *legio ſexta victrix*. Dio, ibid. In multis Britanniæ monumentis, LEG. VI. VICT. & in veteri Inſcriptione apud eruditum Gori, *Inſcript. Antiq.* Tom. III. pag. 173. LEG. VI. VICTRICIS.

LEGIO SEXTA, in Syriâ. Tacit. Annal. XV, 6 & 26. Dioni, loc. cit. dicitur *legio ſexta Ferrata, in Judæâ*.

LEGIO

LEGIO SEPTIMA CLAUDIANA, in Mœsiâ. Tacit. Hist. II, 85. In nummis Gallieni & Carausii, LEG VII CL. Dionis tempore fuit in Mœsiâ superiore. Dio, loc. cit.

LEGIO SEPTIMA GALBIANA, in Pannoniâ. Tacit. Hist. II, 86. Dionis ætate fuit in Hispaniâ. Dio, loc. cit.

LEGIO OCTAVA, in Mœsiâ. Tacit. Hist. II, 85. Dioni, loc. cit. memoratur *legio octava Augusta, in Germaniâ superiore.* In nummis Gallieni, LEG VIII AVG. In nummis Carausii LEG VIII INV. id est *legio octava invicta.*

LEGIO NONA, in Britanniâ. Tacit. Hist. III, 22. Apud Dionem nulla de eâ mentio. At in nummis Gallieni, LEG VIIII AVG. id est *legio nona Augusta*; Et in nummo Carausii, LEG VIIII GE . . id est *legio nona Gemina.* Cur legiones dicerentur *Geminæ* mox explicabitur. Vide *legionem tertiamdecimam geminam.*

LEGIO DECIMA, in Hispaniâ. Tacit. Hist. II, 58. & III, 44. Duæ fuere legiones decimæ. Ætate Dionis una erat in Pannoniâ superiore, altera in Judæâ. Quæ erat in Pannoniâ dicebatur *Gemina.* Οἱ δεκάτεροι, ὅι τε ἐν τῇ Παννονίᾳ τῇ ἄνω, ὁι Δίδυμοι, καὶ ὁι ἐν Ἰουδαίᾳ. Dio, loc. cit. Malè vertit Latinus Dionis interpres, legio *decima utraque Gemina.* In nummis Gallieni, LEG X GEM.

LEGIO DECIMA, in Judæâ. Tacit. Hist. V, I. Vide & Appendicem ad librum V. Historiar. cap. 43.

LEGIO UNDECIMA, in Dalmatiâ. Tacit. Hist. II, II & 86. III, 50. Legio illa cognominata est *Claudiana,* & Dionis tempore fuit in Mœsiâ inferiore. Septimam autem & undecimam legiones a Claudio nuncupatas fuisse *Claudianas,* quòd in Camilli seditione adversùs Claudium non rebellassent, docet Dio, loc. cit. In nummis Gallieni, LEG XI CL. id est *legio undecima Claudiana.*

LEGIO DUODECIMA, in Syriâ. Tacit. Hist. V, I. Dioni, loc. cit. *legio duodecima, in Cappadociâ, fulminifera,* τὸ δωδέκατον τὸ ἐν Καππαδοκίᾳ, τὸ κεραυνοφόρον. Legionis hujusce duodecimæ Fulminatricis

minatricis percelebre fuit nomen, Principe M. Aurelio adversus Quados pugnante. Id tamen nominis antè erat nacta, ut patet, ex veteri Inscriptione, Nervæ & Trajani temporibus suppari, apud Gruterum, pag. CXCIII. num. 3. LEG. XII. FVLM. Inditum videtur illud nomen ex fulminibus, quæ habuit inter insignia. In Notitiâ Imperii dicitur quoque *legio duodecima Fulminea Melitena*. Quando missa fuerit Melitenen diximus in Appendice ad libr. V. Histor. cap. 43.

LEGIO TERTIADECIMA GEMINA, in Pannoniâ. Tacit. Hist. II, 86. & III, 7. Ita quoque illam nominat Dio. At ejus tempore fuit in Daciâ. *Gemina* dicebatur, quia ex duabus legionibus una fuerat facta. Ex admixtis enim legionibus Geminæ nuncupabantur. Τὰ δὲ καὶ ἑτέροις . . . . ἀνεμίχθη, ἀφ' ὅπερ καὶ Δίδυμα ὠνομασμένα νενόμισται. Dio, loc. cit. Sic Pompeius, apud Julium Cæsarem, Bell. civil. III, 4, habebat legionem *unam ex Siciliâ veteranam, quam factam ex duabus, gemellam appellabat*. In nummis Gallieni, LEG XIII GEM.

LEGIO QUARTADECIMA, sæpe locum mutavit. Fuit in Dalmatiâ, in Britanniâ, in Germaniâ superiore. Tacit. Hist. II, 66 & 86. IV, 68 & 79. V, 19. Dionis tempore erat in Pannoniâ. Sed tunc cognominabatur *Gemina*. Dio, loc. cit. In nummis Gallieni, LEG XIIII GEM.

LEGIO QUINTADECIMA, in inferiore Germaniâ. Tacit. Hist. I, 55.

LEGIO QUINTADECIMA, in Judæâ. Tacit. Hist. V, I. mox in Pannoniam remissa Vide Appendicem ad librum V. Histor, cap. 43. Dionis tempore memoratur *legio quinta decima Apollinaris, in Cappadociâ*. Dio, loc. cit. In veteri quoque Inscriptione, ætate Trajani, apuderuditum Shaw, *Voyages*, Tom. I. pag. 263. LEG. XV. APOL.

LEGIO SEXTADECIMA, in inferiore Germaniâ. Tacit. Hist. I, 55. A Dione non memoratur. Ejus ætate fortè fuit alteri legioni admixta. Apud Gruterum, pag. DXVI. num. 7. exstat memoria duorum

duorum fratrum, qui militavere in LEGIONE. XVI. IN. GERMANIA.

Legio Septimadecima nec a Tacito, nec a Dione memoratur. Videtur Varianâ clade a Germanis fuisse cæsa : inde ejus memoria sanè obliterata. Apud Gruterum pag. DXXXIX. num. 6. memoratur Cn. Curio Sabinus LEG. XVII miles.

Legio duodevicesima a Tacito & Dione siletur. Periit clade Varianâ. Exstat insigne ejus monumentum, olim in Veteribus castris, hodie *Santen*, erectum, nunc studio illustrissimi Joannis Mauricii, Principis Nassaviæ, in oppido *Bergendal*, prope Clivos, *Cleves*. adservatum, teste Cl. Alting, *Notitia Germaniæ inferioris antiquæ*, pag. 33.

M. CAELIO. T. F. LEM. BONO
. . . . . O. LEG. XIIX. ANN. LIII.
. . . . CIDIT. BELLO. VARIANO. OSSA.
. . . . NFERRE. LICEBIT. P. CAELIVS. T. F.
LEM. FRATER. FECIT.

Explicat suppletque Cl. Alting :
Marco Cælio, Titi filio, Lemoniâ tribu, *bono nomine*, (Malim *Bono*, ut *M. Cælii* cognomen sit. Nec aliter in Plinianis Inscriptionibus, quæ in agro Comensi exstant C. PLINIO. L. F. OVF. CAECILIO SECUNDO. COS. AVG. &c. Id est *Caio Plinio*, *Lucii filio*, *Oufentinâ tribu*, *Cæcilio Secundo*, *consuli*, *auguri* &c.) *primo & legato* (displicet *primo &*) *legionis duodevigesimæ annorum quinquaginta trium*. *Cecidit* (Fortè *qui cecidit*) *bello Variano*. *Ossa inferre licebit*. *Publius Cælius Titi Filius*, *Lemoniâ* tribu, *frater fecit*.

Huic cenotaphio insculpta Cælii imago. Caput habet cinctum civicâ coronâ querceâ, brachia armillis redimita : supra humeros & in pectore gestat phaleras : dextrâ tenet hastam puram, sinistrâ vexillum. Inde facilè intelligas omnia Taciti loca, quibus compta signa, lætos exercitus, milites insignibus fulgentes memorat.

Legionis autem duodevicesimæ nomen Trajani ætate renovatum fuisse videtur, si nihil peccatum est in Inscriptione veteri, quam a Sirmondo accepit Gruterus, pag. MXCVI. num. 6. Ibi enim memoratur Cn. Marcius Gal. Plætorius Celer miles LEG. XVIII. FIRM. donis donatus a divo Trajano in bello Parthico, coronâ murali, torquibus, armillis, phaleris. Monuerim in hac Inscriptione postea errasse Gruterum, cùm edidit LEG. XXIIII GEM. MART.

MART. VICTR. Schedæ MSS. Sirmondi habent LEG. XIIII. GEM. MART. VICTR. Apud eruditum Shaw, *Voyages*, Tom. I, pag. 263. ex veteri Inſcriptione, Trajani ætate, memoratur quoque LEG. XVIII. PRIMIG. id eſt *legio duodevicesima primigenia*. Sed mendosè fortè pro LEG. XXII. Illa enim legio *primigenia* cognominabatur, ut videre eſt in Inſcriptione, quæ mox afferetur cap. 43.

Legio undevicesima. Nulla eſt ejus mentio apud Dionem, loc. cit. Nec a Tacito memoratur in Hiſtoriarum libris. Nempe una fuerat e tribus, quæ Varianâ clade periere, ut vidimus suprà Annal. I, 60.

LEGIO VICESIMA, in Britannia, Tacit. Hiſt. I, 60. & III, 22. Dioni, loc. cit. *legio vicesima Valeria Victrix in ſuperiore Britanniâ*. In nummis Gallieni, LEG XX. In Caraufii nummo apud Ch. Stukeley, LEG XX VV. id eſt *legio vicesima Valeria Victrix*. Eadem legio vicesima, ætate Dionis, fuit in ſuperiore Germaniâ.

LEGIO UNAETVICESIMA RAPAX, in Superiore Germaniâ. Tacit. Hiſt. I, 61 & 67. II, 43. In nummo Gallieni apud Cl. Banduri loc. cit. LEG XXI GEM. id eſt *legio unaetvicesima Gemina*. De eâ ſilet Dio. Ejus monumenta in agro Tigurino, anno 1724 eruta vide apud Scheuchzerum, *Amœnitates literariæ*, Tom. VII. pag. 1 & ſeqq.

LEGIO DUOETVICESIMA, in ſuperiore Germaniâ. Tacit. Hiſt. I, 18 & 55. III, 18. IV, 24. Frequens ejus mentio in Moguntinis monumentis. In nummis Gallieni LEG XXII. Nulla ejus memoria apud Dionem, loc. cit. Dicta eſt *primigenia* in veteri Inſcriptione apud eruditum Gori, *Inſcript. Antiq.* Tom. III. pag. 172. LEG. XXII. PRIMIG. Dicitur etiam *primigenia, pia, fidelis* in Inſcriptione poſitâ olim in Veteribus caſtris, *Santen*, nunc in oppido *Bergendal* ſervatâ, teſte Cl. Alting, loc. cit. pag. 32.

DE NUMERO ET NOMINIBUS LEGIONUM.

HERCVLI. SAX
SANO. SACRVM
C. SVLPICIVS. MA
TVRVS. LEG. XXII.
PR. P. F. ET COMMI
LITONES. LEG. EIV
SDEM. QVI. SVB.
EO SVNT.
V. S. L. M.

Id est *votum solverunt libentes meritò.*

LEGIO DUOETVICESIMA, in Ægypto. Tacit. Hist. V, I. Apud Gruterum, pag. DXXV. num. 2. memoratur T. Aufidius Balbus TR. MIL. ALEXANDRE AD AEGYPT. LEG. XXII. id est *tribunus militum Alexandriæ ad Ægyptum legionis duoetvicesimæ.* Et in Patrensibus nummis, Principibus Claudio & Galbâ, cusis, COL. A. A. PATR. id est *colonia Augusta Aroe Patrensis*; & inter aquilam signaque militaria, XXII. Id est *legio duoetvicesima.*

LEGIO E CLASSICIS, Legio illa memoratur Hist. III, 55: conscripta, ut videtur, a Vitellio, extremis ac ferme desperatis rebus. Statim Flavianis dedita, nusquam postea comparet. Eam sanè Vitellius e castris Ravennatium & Misenatium, quæ erant Romæ, conscripserat. Hæ sunt legiones, quæ inter hos civilium bellorum motus passim celebrantur. Ad faciliorem Taciti Historiarum intelligentiam suis quasque in locis nunc juvat repræsentare.

LEGIONES

DE NUMERO ET NOMINIBUS LEGIONUM.

LEGIONES

In Britanniâ,

SECUNDA, NONA, VICESIMA.

In Hispaniâ,

PRIMA ADJUTRIX, SEXTA, DECIMA.

In Galliâ,

PRIMA ITALICA.

In inferiore Germaniâ,

PRIMA, QUINTA, QUINTADECIMA, SEXTADECIMA.

In superiore Germaniâ,

QUARTA, UNAETVICESIMA, DUOETVICESIMA.

In Pannoniâ,

SEPTIMA GALBIANA, TERTIADECIMA.

In Dalmatiâ,

UNDECIMA, QUARTADECIMA.

In Mœsiâ,

SEPTIMA CLAUDIANA, OCTAVA.

In Syriâ,

TERTIA, QUARTA, SEXTA, DUODECIMA.

In Judæâ,

QUINTA, DECIMA, QUINTADECIMA.

In Ægypto,

TERTIA, DUOETVICESIMA.

In Africâ,

TERTIA.

Demum cùm historiam Romanam usque ad Trajani tempora illustrandam susceperim, paucis addam apud Dionem loc. cit. memorari legiones, quæ post civilia bella a Principibus lectæ sunt. Nempe lecta a Vespasiano, LEGIO QVARTA FLAVIA, quæ Dionis ætate fuit in Syriâ. In nummis Gallieni & Carausii, LEG IIII FL vel FLAVIA. A Domitiano, LEGIO PRIMA MINERVIA, quæ Dionis tempore fuit in Germaniâ inferiori. In nummis Gallieni, LEGIMIN. A Trajano, LEGIO SECVNDA AEGYPTIA, & LEGIO TRICESIMA GERMANICA VLPIA. In nummis Gallieni & Carausii appellatur tantùm, LEG XXX VLP vel VLPIA. In veteribus Inscriptionibus, LEG. XXX. V. V. Id est *legio tricesima, Ulpia, victrix*. *Legio* autem *secunda Ægyptia* eadem sanè est, quæ in Inscriptione infrà, dicitur II TRAIANA.

O 2 His

NOMINA. LEG

His præmonitis, nulla, ut opinor, restat difficultas: manet tantùm admiratio terrarum orbem tam paucis legionibus fuisse devictum, aut in obsequio retentum; insuperabili servitio, ni ducum ambitio, militum cupido legiones, ut cetera imperii, perdidissent. At hæc mirari desinet, qui militarem Romanorum disciplinam, legionumque formam, *divinitatis instinctu* potiùs, quàm *humano consilio* constitutam noverit. Veget. II, 21. Hæc cùm diu secum reputasset vir in re bellicâ summus, & de Galliâ optimè meritus, legionariam militiam, quam validiorem expeditioremque, & impensarum parcam, existimabat, restitutam voluit. Vide *Mémoires sur l'Infanterie*, ou *Traité des Légions, suivant l'exemple des anciens Romains, par M. le Maréchal de Saxe.*

Brotier ad cap. VI. lib. II. Hist. Tacit.

LEGIONIBUS diversa fuere cognomina, a Principibus, regionibus, insignibus, egregiis facinoribus, aliisve casibus accepta. Sæpe occurrunt in Inscriptionibus. Præcipua autem duo monumenta, Severi Imperatoris temporibus æqualia, alterum in Capitolio, alterum apud Maffæos, retulit Gruterus, pag. DXIII. num. 2 & 3. Posterius, ut pote paulo amplius, juvat hìc referre.

NOMINA. LEG

II. AUG*usta*	II. ADIVT*rix*	IIII. SCYTH*ica*
VI. VICT*rix*	IIII. FLAV*ia*	XVI. FLAV*ia*
XX. VICTR*ix*	VII. CLAVD*ia*	VI. FERR*ata*
VIII. AVG*usta*	I. ITALI*ca*	X. FRETE*nsis*
XXII. PRIM*igenia*	V. MACED*onica*	III. CYREN*aica*
I. MINER*via*	XI. CLAVD*ia*	II. TRAIAN*a*
XXX. VLP*ia*	XIIII. GEM*ina*	III. AVG*usta*
I. ADIVT*rix*	XII. FVLM*inea*	VII. GEM*ina*
X. GEM*ina*	XV. APOL*linaris*	II. ITALIC*a*
XIII. GEM*ina*	III. GALLI*ca*	III. PARTH*ica*
I. PARTH*ica*	II. PARTH*ica*	

Legionis unius et vicesimæ Rapacis multa quoque exstant monimenta. Unum vide infrà ex notis & Emendationibus ad Annal. XVI. 8. In veteri inscriptione apud Gruterum, pag. CCCLXXXII. num. 6.

C. CAL-

DE VENTRE & GULA VITELLII.

C. CALPURNIUS. L. F. OVF
FABATVS
VI. VIR. IIII. VIR. I. D. PR. M
PRAEF. PRAET. TRIB. MIL. LEG. XXI. RAPAC
PRAEF. COH. VII. LVSITAN. ET
NATION. GETVLIC. ARSEN.
QUAE. SUNT. IN. NVMIDIA
FLAM. DIVI. AVG
EX. PATRIMONIO. T. F. I.

C. Calpurnius Fabatus, Lucii filius, erat e tribu *Oufentinâ.* Mortuus est, imperante Trajano, ut patet ex epistolâ Plinii X, 121.

Brotier ad cap. XLIII. lib. II. Hist. & ad cap. VIII. lib. XVI. Annal. Tacit.

DE VENTRE & GULA VITELLII.

Vitellius, inter popinas adultus, ut primùm adeptus est imperium, totam principatûs fortunam in ingluviem vertit. Quâ quidem intemperantiâ *novies millies sestertiûm,* Gallicæ monetæ libras 175,095,225, *paucissimis mensibus intervertisse creditur,* Tacit. Hist. II, 95. Nec sanè mirum, cùm tam profundæ esset gulæ, ut *epulas trifariam semper, interdum quadrifariam* dispertiret, *in jentacula, & prandia, & cenas, comissationesque: facilè omnibus sufficiens vomitandi consuetudine.* Sueton. in Vitell. XIII.

Quàm enormes fuerint tales epulæ æstimari potest, cùm in unam cenam impenderit *quadragies sestertiûm,* ἑκατὸν μυριάδας, Gallicæ monetæ libras 778,315. Dio LXV. pag. 735. Immo celebrata sunt, ni fortè ob versûs rationem, numerum auxerit Sidonius Apollinaris, Carm. V, 324.

. . . . *Quina Vitelli*
Millia, famosi ventris damnata barathro.

Quina millia sunt Gallicæ monetæ libræ 972,846.

Si tantum opum cibis exhaustum vix intelligas, occurrat animo *famosissima super ceteras cena* Vitellio *data adventitia a fratre, in quâ duo millia lectissimorum piscium, septem* millia *avium apposita traduntur.* Sueton. loc. cit.

Quanta

DE VENTRE & GULA VITELLII.

Quanta quanta fuerit hæc cena, *hanc quoque exsuperavit* Vitellius, teste Suetonio ibid. Vulgares nempe patinas, quasi ventre suo minores, aversatus, unam, quam ob immensam magnitudinem, clipeum Minervæ, Αἰγίδα Πολιέχε, dictitabat, X HS, Gallicæ monetæ libris 194,531, licèt foret fictilis, condidit: *cui faciendæ fornax in campis exædificata erat.* Plin. XXXV, 12. Tum novo luxûs monumento superbus, cenam fecit, dedicaturus patinam, *in quâ scarorum jecinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterûm, murænarum lactes, a Carpathio usque*, le Canal de Rhodes & de Candie, *fretoque Hispaniæ*, le détroit de Gibraltar, *per navarchos & triremes petitarum commiscuit.* Sueton. in Vitell. XIII.

Cùm ita se publicis opibus ingurgitaret, privatas adhuc inhiabat; *aliud*que *alii eâdem die* epulum indicebat: *nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus nummûm*, Gallicæ monetæ libris 77,812, constabant. Sueton. loc. cit.

Sic exhaustæ plurimorum opes: multi quoque, quibus non idem erat aut edendi, aut vomitandi usus, enecti. Unde Vibius Crispus, cùm ob morbum convivio aliquando non interfuisset, minimè inficetè dixit, ni ægrotasset, se periturum. Εἰ μὴ ἐνενοσήκειν, ἀπωλόμην ἄν. Suidas, verbo Βιτέλλιος.

Nec unquam requievit insaturabile Vitellii abdomen. Si iter faceret, passim exstruebantur convivia. Si navigaret, utebatur *delicatissimis navigiis, variarum coronarum genere redimitis, inter profusissimos opsoniorum apparatus.* Sueton. in Vitell. X.

Cetera autem tanto luxui paria, majorisve impendii. Immensa enim erat odorum unguentorumque prodigentia. Et, ut omnia paucis verbis complectar, licèt memoriam moresque Neronis summopere celebraret Vitellius, eum tamen reprehendere erat solitus, quòd malè habitasset, paucâque & vili supellectili fuisset usus: ᾐτιᾶτο αὐτὸν, κακῶς τε ᾠκηκέναι, καὶ σκευῇ ὀλίγῃ καὶ ταπεινῇ χρῆσθαι λέγων. Dio LXV. pag. 735. Scilicet jam sordebat aurea domus! jam aurum, jam gemmæ, jam murrhina, jam naturæ artiumque miracula eviluerant! Adeò prona in luxu satietas!

Verum ergo exstitisse unum hominem, cujus gulæ, si diutiùs vixisset, vix suffecisset imperium Romanum; cujus luxui impar fuisset.

Brotier ad cap. LXII. lib. II. Hist. Tacit.

DE CAPITOLIO EJUSQUE MAGNIFICENTIA.

Mons Tarpeius, dictus postea Capitolinus, aditu difficillimus, ac præruptus, fastigiato adsurgebat vertice, cùm Tarquinius Priscus, non præsentis temporis, sed futuri imperii magnitudinem animo complexus, augustissimum Jovis templum in hoc vertice ædificare meditatus est. Jecit fundamenta, & immensis ac laboriosissimis substructionibus, congestisque aggeribus, planam effecit aream, ad excipiendas sacras ædes aptissimam. Dionys. Halicarnass. *Antiq. Rom.* III, 49 & 69. Hæ sunt substructiones, quas Plinius XXXVI, 15, *insanas* appellat, ob incredibilem operum difficultatem, & immensas lapidum moles.

Servius Tullius & Tarquinius Superbus, grande opus prosecuti, templum exstruxere. Fundatum est in altâ crepidine, octo jugerum ambitu, ducentis ferme pedibus patens per latera singula, exiguâ latitudinis & longitudinis differentiâ: latitudo enim a longitudine non totis quindecim pedibus superabatur. Ex eâ parte, quâ frons templi meridiem spectabat, triplici columnarum ordine cingebatur, a lateribus verò duplici. Intus tres erant cellæ, quæ æquali distantiâ communibus lateribus continebantur: media erat Jovis: a lateribus altera Junonis, altera Minervæ, & sub uno eodemque tecto comprehendebantur. Hæc Dionysius Halicarnass. *Antiq. Rom.* IV, 61.

Quantum autem impensarum in hoc templo ædificando fuerit factum æstimari potest, cùm, teste Livio, I, 55, *quadringenta talenta,* Gallicæ monetæ libræ 2,178,750, *vix in fundamenta suppeditavere.* In hæc fundamenta impensa fuisse quadraginta millia pondo argenti, Gallicæ monetæ libras 2,514,500, tradit Plutarchus, in Poplicolâ, pag. 105. Λέγεται δὲ Ταρκυνιον εἰς τὰς θεμελίως ἀναλῶσαι λίτρας ἀργυρίω τετρακισμυρίας.

Tanta autem ædes (ea tum erat morum simplicitas) exædificata est, ut fictilis effigies Jovis in Capitolio locaretur. Aurum enim & argentum ne diis quidem conficiebatur. Fictilis tantùm colebatur Jupiter, & ideo miniari solitus: fictiles quoque in fastigio templi quadrigæ. Plin. XXXV, 12. In hac tamen æde Jovis Capitolini scalpturatum pavimentum primum factum est post tertium Punicum bellum initum. Plin. XXXVI, 25. Ejus autem laquearia post Carthaginem eversam inaurata sunt. Plin. XXXIII, 3.

Confla-

DE CAPITOLIO EJUSQUE MAGNIFICENTIA.

Conflagravit istud templum, Syllano bello, anno Urbis condit. DCLXXI. Mox iisdem rursus vestigiis situm est. Sed cùm luxuria tunc adolesceret, certatum est ut Tarquiniorum opus magnificentiâ vinceretur. Sylla, Romanorum ditissimus, Athenis ex Jovis Olympii templo columnas Capitolinis ædibus advexit. Plin. XXXVI, 6. Catulus tegulas æreas inauravit. Plin. XXXIII, 3. Cetera ejus decora, aliis sæpe memorata, quid repetam? Satis sit observasse ejus opes in immensum fuisse auctas triumphantium, magistratuum, urbium, provinciarum, populorum, exterorum etiam regum, ac demum Cæsarum donariis. Principes in eas liberalitates adeo effusi, *ut in cellam Capitolini Jovis sedecim millia pondo auri*, Gallicæ monetæ libras, 15,120,000, *gemmas ac margaritas quingenties sestertiûm*, Gallicæ monetæ libras 9,727,512, *unâ donatione contulerit* Augustus. Sueton. in Aug. XXX.

Imaginare nunc picturas, statuas, & præstantissima artium miracula, quæ huc undique congerebantur. Quantò autem studio adservarentur, ex uno disce. *Ætas nostra vidit in Capitolio, priusquam id novissimè conflagravit a Vitellianis incensum, in cellâ Junonis, canem ex ære vulnus suum lambentem, cujus eximium miraculum, & indiscreta veri similitudo, non eo solùm intelligitur, quòd ibi dicata fuerat, verùm & novâ satisdatione: nam summa nulla par videbatur: capite tutelarios cavere pro eâ, instituti publici fuit.* Plin. XXXIV, 7.

Tantas opes Capitoliumque iterum absumpsit bellorum civilium furor. Quantò majore magnificentiâ a Vespasiano Domitianoque fuerit restitutum dicetur in Notis & Emendationibus ad Hist. IV, 53.

Brotier ad cap. LXXII. lib. III. Hist. Tacit.

DE

DE LEGE IMPERII, *dictâ quoque Lege Regiâ.*

REGUM primò, deinde duodecim Tabularum *legibus* paruit populus Romanus. Ortâ post hac discordiâ plebem inter & patres, plebs sibi jura constituit, quæ *plebiscita* vocata sunt, & pro legibus lege Hortensiâ observata. At labentibus sæculis plurimisque victoriis ita crevit populus Romanus, ut in tantâ hominum turbâ plebs difficilè conveniret: itaque necessitas ipsa curam reipublicæ ad senatum deduxit. Cœpit ergo senatus se interponere; & quidquid constituisset, observabatur: jus illud appellabatur *senatusconsultum*. Cùm juris constituendi vis ad pauciores ita devenisset, Caius Julius Cæsar in se unum illam traxit; & quam armis sibi jam adseruerat, eam adhuc legum auctoritate munitam voluit. Anno Urbis conditæ DCCVI, ei datum, ut de Pompeianis arbitratu suo statueret: mox, arreptâ ex motibus Africæ specie, decretum ut ei belli pacisque in omnes homines jus esset, etsi neque ad senatum, neque ad populum de iis retulisset. Τούς τε γὰρ τὰ τοῦ Πομπηΐου φρονήσαντας ἐπέτρεψαν αὐτῷ πᾶν ὅ, τι ποτ' ἂν ἐθελήσῃ δρᾶσαι . . . καὶ πολέμων καὶ εἰρήνης κύριον, προφάσει τῶν ἐν τῇ Ἀφρικῇ συνισταμένων, πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ἀπέδειξαν αὐτὸν, κἂν μηδὲν μήτε τῷ δήμῳ μήτε τῇ βουλῇ περὶ αὐτῶν κοινώσηται. Dio XLII. pag. 194.

Inter hæc dominationis molimina, libertas Cæsarem oppressit. Tum respublica triumvirorum arbitrio permissa. Nihil in publicam utilitatem consultum: omnia libidinibus paruere. Respublica, libertatis imagine, quàm ipsâ servitute, magis conflictata, ad Octavium Augustum ultro confugit, qui omnia, discordiis civilibus fessa, sub nomine *Principis* accepit. Cùm ita necesse fuisset reipublicæ per unum consuli, *constituto Principe, datum est ei jus, ut quod constituisset ratum esset.* Pomponius, Digest. lib. I. Tit. 2. *de Origine juris.* Leg. 2.

Jus illud dictum est *lex imperii*, quæ postea, cùm non ita invisum foret Romanis regum nomen, dicta est *lex regia:* de quâ Ulpianus, Digest. libr. I. Tit. 4. *de Constitutionibus Principum.* Leg. 1. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem: utpote cùm lege regiâ, quæ de imperio ejus lata est, populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem conferat.*

Lex, quæ, Vespasiano imperium capessente, lata est, ære incisa, Romæ ruinis diu obruta jacuerat; cùm pars ejus præstantissima, quoniam in eâ Sanctio contineatur, effossa, primùm in Ecclesiâ Lateranensi prope tabernaculum SS. Corporis Christi affixa est, mox in ædes Capitolinas translata, ubi nunc inter egregia antiquitatis monumenta adservatur. Quam cùm ibi viderim, juvat eam

P paulo

paulo accuratiorem, quam a Grutero, *Thesaur. Inscript.* pag. CCXLII, edita est, repræsentare notisque explanare.

FOEDVSVE. CVM. QVIBVS. VOLET. FACERE. LICEAT.
ITA. VTI. LICVIT. DIVO. AVG.
TI. IVLIO. CAESARI. AVG. TIBERIOQVE. CLAVDIO.
CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. EI. SENATVM. HABERE. RELATIONEM. FACERE.
REMITTERE. SENATVS.
CONSVLTA. PER. RELATIONEM. DISCESSIONEMQVE.
FACERE. LICEAT.
ITA. VTI. LICVIT. DIVO. AVG. TI. IVLIO. CAESARI.
AVG. TI. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. CVM. EX. VOLVNTATE. AVCTORITATEVE. IVSSV.
MANDATVVE. EIVS.
PRAESENTEVE. EO. SENATVS. HABEBITVR. OMNIVM.
RERVM. IVS. PERINDE.
HABEATVR. SERVETVR. AC. SI. E. LEGE. SENATVS.
EDICTVS. ESSET. HABERETVRQVE.

VTIQVE. QVOS. MAGISTRATVM. POTESTATEM. IMPERIVM. CVRATIONEMVE.
CVIVS. REI. PETENTES. SENATVI. POPVLOQVE. ROMANO. COMMENDAVERIT.
QVIBVSQVE. SVFFRAGATIONEM. SVAM. DEDERIT.
PROMISERIT. EORVM.
COMITIS. QVIBVSQVE. EXTRA. ORDINEM. RATIO. HABEATVR.

VTIQVE. EI. FINES. POMERII. PROFERRE. PROMOVERE.
CVM. EX. REPVBLICA.
CENSEBIT. ESSE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. TI.
CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. QVAECVNQVE. EX. VSV. REIPVBLICAE. MAIESTATE. DIVINARVM.
HVMANARVM. PVBLICARVM. PRIVATARVMQVE. RERVM.
ESSE.
CENSEBIT. EI. AGERE. FACERE. IVS. POTESTASQVE.
SIT. ITA. VTI. DIVO. AVG.
TIBERIOQVE. IVLIO. CAESARI. AVG. TIBERIOQVE.
CLAVDIO. CAESARI.
AVG. GERMANICO. FVIT.

VTIQVE.

VTIQVE. QVIBVS. LEGIBVS. PLEBEIVE. SCITIS. SCRIPTVM. FVIT. NE. DIVVS. AVG.
TIBERIVSVE. IVLIVS. CAESAR. AVG. TIBERIVSQVE.
CLAVDIVS. CAESAR. AVG.
GERMANICVS. TENERENTVR. IIS. LEGIBVS. PLEBISQVE. SCITIS. IMP. CAESAR.
VESPASIANVS. SOLVTVS. SIT. QVAEQVE. EX. QVAQVE. LEGE. ROGATIONE.
DIVVM. AVG. TIBERIVMVE. IVLIVM. CAESAREM. AVG. TIBERIVMVE.
CLAVDIVM. CAESAREM. AVG. GERMANICVM. FACERE. OPORTVIT.
EA. OMNIA. IMP. CAESARI. VESPASIANO. AVG. FACERE. LICEAT.

VTIQVE. QVAECVNQVE. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. ACTA. GESTA.
DECRETA. IMPERATA. AB. IMPERATORE. CAESARE. VESPASIANO. AVG.
IVSSV. MANDATVVE. EIVS. A. QVOQVE. SVNT. EA. PERINDE. IVSTA. RATAQ.
SINT. AC. SI. POPVLI. PLEBISVE. IVSSV. ACTA. ESSENT.

SANCTIO.

SIQVIS. HVIVSCE. LEGIS. ERGO. ADVERSVS. LEGES. ROGATIONES. PLEBISVE. SCITA.
SENATVSVE. CONSVLTA. FECIT. FECERIT. SIVE.
QVOD. EVM. EX. LEGE. ROGATIONE.
PLEBISVE. SCITO. S. VE. C. FACERE. OPORTEBIT. NON.
FECERIT. HVIVS. LEGIS.
ERGO. ID. EI. NE. FRAVDI. ESTO. NEVE. QVIT. OB. EAM.
REM. POPVLO. DARE. DEBETO.
NEVE. CVI. DE. EA. RE. ACTIO. NEVE. IVDICATIO. ESTO.
NEVE. QVIS. DE. EA. RE. APVD.
se AGI. SINITO.

Initia legis periere, quibus, ut conjicere licet, omnium rerum jus, arbitrium vitæ & necis, belli ac pacis commercia Veſpaſiano permittebantur ita, uti divo Auguſto, Tiberio, Claudioque fuere permiſſa. Iis ſubnectitur:

Fœdusque, cum quibus volet, facere liceat ita, uti licuit divo Augusto, Tiberio Julio Cæsari Augusto, Tiberioque Claudio Cæsari Augusto Germanico. Tiberius adoptione in Juliam familiam transierat: inde illi nomen *Tiberio Julio Cæsari.* Et ut jura dominandi magis ac magis firmaret, vulgò dicebatur TI. CAESAR. DIVI AVG. F. DIVI. IVLI. NEP. AVG. id est, *Tiberius Cæsar, divi Augusti filius, divi Julii nepos, Augustus.* In veteribus quoque Inscriptionibus memorantur servi, qui appellantur TIB. IVLIVS. AVG. LIB. id est, *Tiberius Julius Augusti libertus*; quod nomen a patrono suo Tiberio Julio Augusto sane acceperant. Nomina autem Julii Cæsaris, Caii Caligulæ, Neronis, hìc & in sequentibus capitibus omittuntur. Ac meritò quidem. Nullum enim imperium, nulla lex imperii, cùm C. Julius Cæsar cecidit: Caii verò Caligulæ ac Neronis memoria damnata, proinde silenda. Ceterorum Principum Galbæ, Othonis & Vitellii fluxum imperium, nec in hoc civilium bellorum fine memorandum.

Utique ei senatum habere, relationem facere, remittere; senatusconsulta per relationem discessionemque facere liceat ita, uti licuit divo Augusto, Tiberio Julio Cæsari Augusto, Tiberio Claudio Cæsari Augusto Germanico. Quod, liberâ olim republicâ, majoribus tantùm magistratibus erat datum, id Principi concessum est, ut senatum haberet, de negotiis relationem faceret, relationemve ad senatum remitteret, ut senatusconsulta faceret per relationem, conquisitis nempe singulorum sententiis, vel per discessionem, cùm curia in partes discedebat. Hujusce autem usûs ratio, quòd sæpe rubor timorve inerat, si singuli sententias suas proferrent; contrà verò nec rubor, nec timor, si in partes discedebatur. Inde Dio, XLI. pag. 153. Διαψηφίσεως δὲ ἐπὶ τούτοις οὐ κατ' ἄνδρα (μὴ καὶ δι' αἰδῶ ἢ καὶ φόβον τινὰ παρὰ τὰ δοκοῦντα σφίσιν ἀποφήνωνται) ἀλλ' ἐπὶ τάδε καὶ ἐπ' ἐκεῖνα τοῦ βουλευτηρίου μεταστάσει γενομένης. Cùm tale senatusconsultum fieret, verba solemnia erant: QVI HAEC SENTITIS; IN HANC PARTEM. QVI ALIA OMNIA IN ILLAM PARTEM ITE, QVA SENTITIS. Vide Plinium, Ep. VIII, 14. Hujusmodi senatusconsultum, Tiberio Principe, factum memorat Suetonius in Tiber. XXXI. Quàm parcè autem jus relationis Augusto primitus fuerit tributum (scilicet ut quoties senatus haberetur, etiamsi consulatum non gereret, jure unius relationis, de quacumque re vellet, uteretur) docet Dio, LIII. pag. 518. Χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνός τινος ὅτου ἂν ἐθελήσῃ καθ' ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ, ἔδωκε.

Utique cùm ex voluntate, auctoritateve, jussu, mandatuve ejus, præsenteve eo, senatus habebitur, omnium rerum jus perinde habeatur, servetur, ac si e lege senatus edictus esset, habereturque.

Utique

Utique quos, magistratum, potestatem, imperium, curationemve cujus rei petentes, senatui populoque Romano commendaverit, quibusque suffragationem suam dederit, promiserit, eorum, comitiis quibusque, extra ordinem, ratio habeatur.

Duobus istis capitibus non subjungitur formula, *utì licuit divo Augusto, Tiberio, Claudioque,* quia iis capitibus ampliata est Vespasiani potestas, eique tributum jus, quod divo Augusto, Tiberio, Claudioque priùs non fuerat lege imperii concessum. In exemplum ergo adduci non potuere. His autem duobus capitibus quàm in immensum Vespasiani auctoritas favorque intenderentur, patet cuique singula verba perpendenti.

Utique ei fines pomerii proferre, promovere, cùm ex republicâ censebit esse, liceat ita, utì licuit Tiberio Claudio Cæsari Augusto Germanico. Fines pomerii a Claudio prolatos vidimus suprà Annal. XII, 23. Eos quoque protulerat Augustus; qui tamen hìc siletur, quòd illos protulerit, Ægypto in populi Romani ditionem redactâ, ac proinde ante legem imperii. Adde ab Augusto, nondum dominationis certo, & in senatum indulgente, consules in hujus gloriæ societatem fuisse vocatos. Immo *ex senatusconsulto* consules Censorinus & Gallus *fines pomerii terminaverunt,* ut constat ex Inscriptione, quam videre est in notis ad Annal. XII, 23. Nero quoque, utì ibidem monuimus pomerium auxerat: sed minimè memorandus, ob damnatam memoriam, de quâ jam supra.

Utique quæcunque ex usu reipublicæ, majestate divinarum, humanarum, publicarum privatarumque rerum esse censebit, ei agere, facere jus potestasque esto ita, utì divo Augusto, Tiberioque Julio Cæsari Augusto, Tiberioque Claudio Cæsari Augusto Germanico fuit. Hac in re insigne exemplum exstat Annal. III, 60 & seqq.

Utique quibus legibus, plebeive scitis, scriptum fuit ne divus Augustus, Tiberiusve Julius Cæsar Augustus, Tiberiusque Claudius Cæsar Augustus Germanicus tenerentur, iis legibus plebisque scitis Imperator Cæsar Vespasianus solutus sit; quæque ex quaque lege, rogatione, divum Augustum, Tiberiumve Julium Cæsarem Augustum, Tiberiumve Claudium Cæsarem Augustum Germanicum facere oportuit, ea omnia Imperatori Cæsari Vespasiano Augusto facere liceat. Inde manifestum est nec Vespasianum, nec priores Principes omnibus legibus fuisse solutos. Iis tantùm legibus aut plebiscitis soluti sunt, quibus neque divus Augustus, neque Tiberius, neque Claudius tenebantur. Quibus autem non tenerentur minimè dixerim, cùm priores leges imperii, quibus id continebatur, perierint. Novimus tamen ex Dione LVI. pag. 582, anno Urbis conditæ DCCLXII, Augustum solutum fuisse legibus in petendo consulatu, τὸ τὴν ὑπα-

θείαν

[illegible] δίκαιον παρὰ τὸ νενομισμένον λαβεῖν. Legibus quoque conjugalibus Principes fuisse solutos conjicit eruditus Gravina, *Origines Juris Civilis*, pag. 140. Quod enim habet Ulpianus, Digest. libr. I. Tit. 3. *de Legibus & senatusconsultis*, leg. 31. *Princeps legibus solutus est*, id acceptum ex Ulpiani commentariis ad legem Juliam & Papiam, quæ leges sunt conjugales. Postea crevit Principum immunitas; nec Principes in leges jurabant. Ideo Trajanus tantopere laudatus a Plinio, in Panegyric. LXIV & LXV, quod processerit in rostra, *inadscensumque illum superbiæ Principum locum* triverit, in legem juraverit, se legibus subjecerit. *Quod ego*, exclamat Plinius, *nunc primum audio, nunc primum disco, non est Princeps super leges, sed leges super Principem.* Celeberrimum quoque est Imperatoris Severi Alexandri effatum: *Licet enim lex imperii solemnibus juris Imperatorem solverit: nihil tamen tam proprium imperii est, quàm legibus vivere.* Cod. libr. III. Tit. *de Testam.*

Utique quæcunque ante hanc legem rogatam acta, gesta, decreta, imperata ab Imperatore Cæsare Vespasiano Augusto, jussu mandatuve ejus a quoque sunt, ea perinde justa rataque sint, ac si populi plebisve jussu acta essent. Hæc lex a magistratibus ducibusque Flavianarum partium rogata. Quod verò additur: *perinde justa rataque sint, ac si populi plebisve jussu acta essent*, id ex vetere usu repetitur, quo justa rataque erant, quæ populi plebisve jussu, id est centuriatis, aut tributis, comitiis acta fuerant. *Populi* appellatione continentur universi cives cum ipsis patriciis ac senatoribus; *plebis* nomine, cæteri cives sine patriciis & senatoribus.

SANCTIO. *Si quis hujusce legis ergo adversus leges, rogationes, plebisve scita senatûsve consulta fecit, fecerit, sive quod eum ex lege, rogatione, plebisve scito senatûsve consulto facere oportebit, non fecerit hujus legis ergo, id ei ne fraudi esto, neve quid* (scriptum quit ob veterem pronuntiandi modum) *ob eam rem populo dare debeto; neve cui de eâ re actio, neve judicatio esto; neve quis de eâ re apud* (tres sequentes literæ desunt ob fractum æreæ tabulæ angulum) *se agi sinito.* Sanctio, quâ lex munita violari non potest; inviolabilis quoque declaratur, qui ex hac lege, vel ob hanc legem egit egeritve.

Utinam plures hujusce generis leges extarent! Iis compertum foret, quibus gradibus increverit Romanorum Principum auctoritas. Ea jam erat summa ante Principis Severi Alexandri tempora. Solemnia enim sunt Ulpiani verba: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem: ut pote cùm lege Regiâ, quæ de imperio ejus lata est, populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem conferat. Quodcumque igitur Imperator per epistolam & subscriptionem statuit,*

vel

vel cognoscens decrevit, vel de plano interlocutus est, vel edicto præcepit, legem esse constat. Digest. libr. I. Tit. 4. *de Constitutionibus Principum.* Leg. I.

Brotier ad cap. VI. lib. IV. Hist. Tacit.

DE BENEFICIIS & BENEFICIARIIS.

Beneficia gradus erant militiæ, ad quos milites beneficio Imperatoris, præfecti prætorio, proconsulis, prætoris, proprætorisve, aut tribuni promovebantur. Promoti autem dicebantur *beneficiarii*. Si privilegiis muniebantur, *principales beneficiarii* nominati sunt. Hæc satis innuit Vegetius II, 7. *Beneficiarii, ab eo appellati, quòd promoventur beneficio tribunorum* . . . & paulò infrà. *Hi sunt milites principales, qui privilegiis muniuntur. Reliqui munifices, quia munia facere coguntur.* Aliter Festus: *Beneficiarii dicebantur, qui vacabant muneris beneficio; e contrario munifices vocabantur, qui non vacabant; sed munus reipublicæ faciebant.* Porro non tribunorum tantùm, sed aliorum quoque magistratuum erant beneficia. Atque ut antiquioribus exemplis supersedeam, ipse Tacitus, Hist. I, 25 & IV, 48, beneficia præfecti prætorio, proconsulis, legati memorat. Et apud Suetonium in Tiber. XII, videre est Tiberium in suspicionem venisse *per quosdam beneficii sui centuriones, a commeatu castra repetentes.* Sic quoque in Inscriptionibus veteribus passim occurrunt non modò beneficia, sed spes etiam beneficiorum, quam Gallicè dicimus *l'expectative.* Insignis hac de re Inscriptio exstat apud Gruterum, pag. CCCXCIII. num. 5.

C. COELIO. ANICETO. MIL. COH. II. PR. SING
TRIB. SPE. BENEFICIAR. HVIC. ORDO
SANCTISSIMVS. DECVR. OB. SPEM
PROCESSVS. EIVS. HONOREM. DECV
RIONATVS. GRATVITVM. OBTVLIT
QVI. VIXIT. ANN. XXIIII. M. V. D. II
COELIA. PRIMA. MATER. FILIO
DVLCISSIMO. SIMVL. NYMPHICVS. VOL
CEAN. ET. SIBI. FECERVNT

Errant

Errant autem qui existimant beneficiarios dictos fuisse, quòd obtentâ priùs militiæ vacatione, ad eamdem honestis conditionibus invitati redirent. Immo inter ipsa militiæ stipendia conferebantur beneficia, ut patet ex multis inscriptionibus, ac maximè ex veteri lapide, apud eruditum Gori, *Inscript. Antiq.* Tom. II, pag. 358. num. 1.

D. M.
Q. VOLCACIO. Q. F.
CELERI. MILITI
COH. VIIII. PR
BENEFICIARIO
TRIBVNI. ATTICI.
MILITAVIT. ANNIS. VII
VIXIT. ANNIS. XXV

Si *principalium beneficiariorum* monumenta cognoscere volueris, adi Gruterum, pag. DLI. num. 3. & Fabrettum, cap. III, num. 114. Splendidam fuisse beneficiorum militiam innuit tum Tacitus, cùm Hist. I, 25, *primores militum per beneficia Nymphidii suspectos* refert, tum expressè Valerius Maximus IV, 7. num, 5. de L. Petronio, qui *admodum humili loco natus ad equestrem ordinem, & splendidæ militiæ stipendia, P. Cælii beneficio pervenerat.* Adde Plinium, Ep. X, 32, quo teste, Trajanus præceperat, ut Gabius Bassus, præfectus oræ Ponticæ, *contentus esset beneficiariis decem, equitibus duobus, centurione uno.*

Brotier ad cap. XLVIII. lib. IV. Hist. Tacit.

De

De Capitolio

a VESPASIANO & DOMITIANO

Principibus restituto.

UBI deferbuit bellorum civilium æstus, resque publica, Vespasiano Principe, acquievit, præcipua omnium cura fuit ut restitueretur Capitolium. Consultum religioni, ut iisdem tertium vestigiis reponeretur: sed, quod unum veteri magnificentiæ defuit, adjecta ædibus altitudo. Id quoque factum ob grandes columnas, quas memorat Suetonius in Vespas. XVIII. In hoc imperii splendore, & cùm Vespasianus in religiosos publicosque usus foret munificentissimus, quàm magnificus fuerit in ædificando Capitolio facilè judicari potest. Ut annuis reditibus templum locupletaretur, jussit Judæos, ubicumque degerent, Jovi Capitolino quotannis solvere didrachma, quod templo Hierosolymitano, antequam everteretur, pendere erant soliti. Joseph. Bell. Jud. VII, 6. num. 6. Fuisse in imperio Romano plus quàm vicies centena millia, seu 2,000,000, Judæorum, qui tributum illud solverent, nemo sanè diffitebitur. Fuit ergo vel ex hac unâ tantùm parte annuus templi Capitolini reditus librarum Gallicæ monetæ plus quàm 2,900,000. Paucis annis stetit Capitolium a Vespasiano restitutum. Statim post ejus mortem incendio haustum est. Plutarch. in Poplicol. pag. 105.

Titus in Capitolii restitutionem confestim incubuit, ut videtur ex monumento fratrum Arvalium, apud eruditum Philippum a Turre, *Monumenta veteris Antii*, pag. 95. At, cum præproperâ morte fuisset raptus, opus aggressus est frater ejus Domitianus, quartumque Capitolium ædificavit. Nihil ædium magnitudini, nihil altitudini addi poterat. Princeps, quo nemo fuit in ædificando sumptuosior, vertit curas, ut regum, reipublicæ, Cæsarumque opera multitudine pretioque ornamentorum superaret. Non modò columnas marmoris Pentelici Athenis advexit: sed in inauratis operibus, quod vel maximas privati unius hominis opes superat, plus quàm duodecim millia talentorum, *Gallicæ monetæ libras* 65,362,500, impendit. Τῦτυ δὲ τῦ καθ' ἡμᾶς τὸν μέγιστον ἐν Ῥώμῃ τῶν ἰδιωτικῶν πλῦτον ἐκλογισθέντα, τὸ τῆς χρυσώσεως μὴ τελέσαι ἀνάλωμα, πλέον ἢ δισχιλίων καὶ μυρίων ταλάντων γενόμενον. Plutarch. loc. cit.

Novi equidem Radero aliisque nonnullis eruditis viris hanc pecuniæ summam visam esse immanem. At pace doctorum illorum

 virorum

virorum dixerim eos neque luxum hujus ætatis, neque prodigentiam Domitiani, neque multitudinem, magnitudinem, pretium inauratorum operum Capitolinorum satis attendisse. Is erat hujus ætatis luxus, ut in privatis domibus non *laquearia* tantùm, sed & *cameræ* & *parietes* ipsi *tamquam vasa* inaurarentur, teste Plinio, XXXIII, 3. Talis prodigentia Domitiani, ut omnia aurea gemmeaque vellet, teste Plutarcho loc. cit. Quæ autem multitudo operum, cùm templi Capitolini *aditus omnes, omnes gradus totaque area hinc auro, hinc argento* reluceret, teste Plinio in Panegyric. LII ? Quæ magnitudo, cùm cogitas templum ducentos pedes longum, totidem ferme latum, tectum fuisse inauratis tegulis æreis, quarum postea partem maximam Gizerichus, Vandalorum rex, in Africam asportavit : ejus fastigia quadrigis, colosseis statuis, aliisque plurimis inauratis ornamentis effulsisse, uti adhuc videre est in Domitiani nummis ? Quid nunc porticus, quid vestibulum loquar, cùm vel ipsæ portæ crassissimis & ponderosissimis obductæ essent laminis aureis, quas a Stilichone, Honorii duce, ablatas memorat Zosimus, libr. V, Οὗτος γὰρ, Στελίχων, θύρας ἐν τῷ τῆς Ῥώμης Καπιτωλίῳ, χρυσίῳ πολὺν ἕλκοντι σταθμὸν ἠμφιεσμένας, ἀπολεπίσαι προστάξαι. Hæc templi extera : majores intus opes. Si, vel in primo templo Capitolino, fictilis Jupiter aureum teneret fulmen quinquaginta pondo (*libræ* sunt *Gallicæ monetæ* 47,250), quantò plus auri impendit Domitianus, ut Jupiter non modò aureum haberet fulmen, sed ut tota ejus effigies, ejus sceptrum, ejus solium auro renideret ? Quantæ impensæ in Junonis Minervæque cellis ! Adde nunc innumera deorum simulacra : adde inaurata laquearia : adde cetera parietum totiusque templi aurea decora. Hæc si animo comprehenderis, simulque reputaveris quantum in urbe maximâ, maximo luxu, exquisitissimisque artibus foret manipretium, nihil esse nimium in pecuniæ summâ, quam Plutarchus adsignavit, facilè deprehendes.

Neque quis dixerit aurum esse sequax ac ductile, Romanosque artem illud dilatandi novisse. Id certè Romani novere, siquidem auri unciam *in septingenas & quinquagenas, pluresve bracteas, quaternûm utroque digitorum* dividebant, teste Plinio XXXIII, 3. At in præcipuis perennibusque operibus, crassioribus utebantur bracteis. Sic inauratum fuerat Fortunæ Prænestinæ simulacrum. Unde Plinius loc cit. *Crassissimæ ex his* bracteis *Prænestinæ vocantur, etiamnum retinentis nomen, Fortunæ inaurato ibi fidelissimè simulacro.* Et sanè, si Domitianus crassiores illas bracteas non induxisset, numquam eviluisset secundum templum Capitolinum, cujus & tegulæ & laquearia, & alia quamplurima ornamenta erant inaurata, insuper

ab

ab Augusto, magnificentissimo Principe, refectum. Eviluerat tamen, nec reperti, nisi senes aliquot, qui illud laudarent, non ob opes, sed vel antiquitatis studio, vel, ut opinor, ob symmetriam columnarum: nam Domitianus, cùm crassitiem columnarum marmoris Pentelici imminuisset, nonnihil venustatis addiderat, sed aliquid symmetriæ detraxerat, teste Plutarcho, loc. cit. Ceterùm vilius fuerat secundum templum Capitolinum. Inde Martialis, Epigramm. V, 10.

Esse quid hoc dicam, vivis quòd fama negatur,
Et sua quòd rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiæ nimirum, Regule, mores,
Præferat antiquos semper ut illa novis:
Sic veterem ingrati Pompeii quærimus umbram,
Et laudant Catuli Julia templa senes.

Domitiano, qui immensas opes in Capitolio impenderat, ingeniosè adulatur idem poeta, Epigramm. IX, 4.

Quantum jam superis, Cæsar, cœloque dedisti,
Si repetas, & si creditor esse velis.
Grandis in ætherio licèt auctio fiat Olympo,
Coganturque dei vendere quidquid habent:
Conturbabit Atlas, & non erit uncia tota,
Decidat tecum quâ pater ipse deûm.
Pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis,
Quid pro Tarpeiæ frondis honore potest?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo: res agit illa tuas.
Quid loquar Alciden, Phœbumque, piosque Laconas:
Addita quid Latio Flavia templa polo?
Exspectes & sustineas, Auguste, necesse est:
Nam tibi quod solvat, non habet arca Jovis.

His impensis suâque luxurie publicam pauperiem fecerat Domitianus. Liberalitate publicæ paupertati subvenit Trajanus, Princeps optimus. Capitolium quoque ornavit, privatâ Domitiani luxurie Jovi sacratâ. Id celebrat Martialis, Epigramm. XII, 15.

Quidquid Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, deisque nostris.
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Jupiter, & stupet superbus
Regis delicias, gravesque lusus.
Hæc sunt pocula, quæ decent Tonantem:
Hæc sunt, quæ Phrygium decent ministrum,
Omnes cum Jove nunc sumus beati:
At nuper, pudet, ah! pudet fateri,
Omnes cum Jove pauperes eramus.

Immo Trajanus, tertio suo consulatu, videtur auro solido Jovis, Junonis ac Minervæ statuas fecisse. Quod satis innuit Martialis, Epigramm. XI, 5.

Sacra, Laresque Phrygum, quos Trojæ maluit heres,
Quam rapere arsuras Laomedontis opes:
Scriptus es æterno nunc primùm Jupiter auro,
Et soror, & summi filia tota patris:
Et qui purpureis jam tertia nomina fastis,
Jane, refers Nervæ, vos precor ore pio.
Hunc omnes servate ducem, servate senatum:
Moribus hic vivat Principis, ille suis.

Nunc verò si templum Jovis Capitolini cum celeberrimis olim templis Beli, Babylone; Jovis, Thebis in Ægypto; Dianæ, Ephesi; aut etiam cum templo Hierosolymitano conferamus, templa quidem illa omnia auri specie tum internâ, tum externâ vicit templum Capitolinum. Vincebatur autem magnitudine. Victum quoque est Hierosolymitani & Babylonici templi opibus. Hierosolymitani satis perspecta omnibus opulentia; de quâ adhuc opportuniùs dicetur in Notis & Emendationibus ad Hist. V, 8. Opes autem templi Babylonici, earumque pondera, quæ efficiunt libras Gallicæ monetæ ampliùs, quàm 400,000,000, singulatim recenset Diodorus Siculus II, 9. pag. 70. Nec mirum tantas fuisse opes in templo Babylonico, cùm Cyrus, Persarum rex, captâ Babylone, devictâ Asiâ, teste Plinio, XXXIII, 3, *quingenta millia talentorum argenti* reportaverit, & *craterem Semiramidis, cujus pondus quindecim talenta colligebat:* quæ duo efficiunt Gallicæ monetæ libras 2,614,578,435. Hac nostrâ ætate alter Persarum rex, *Thamas-Kouli-Kan*, Mogolicas opes potitus, reportavit, minimâ quidem æstimatione, *roupiarum* argenti centum undecim *Kiururs*, ut loquuntur: quod efficit monetæ Gallicæ

licæ libras 2,497, 500,000. Immo alii, & ipse Cl. Voulton, tunc medicus Imperatoris Mogolici *Muhammed-cha*, scripsere a *Thamas-Kouli-Kan* reportatos esse trecentos *Kiurouros*, Gallicæ monetæ libræ 6,750, 000, 000. Quod inflatiùs scriptum puto.

De Jovis Thebani, Ephesiæque Dianæ templorum opibus non ita compertum. Notæ vero eorum magnitudo & magnificentia, quibus templo Capitolino antecellebant. De Dianæ templo vide Plinium XXXVI, 14. Thebis autem manent adhuc templi Jovis rudera, quæ exhibet Cl. Pococke, *Description of the East*. Tom. I. pag. 92. tabul. XXVIII. Ex iis ruderibus constat templum illud habuisse longitudine plus quàm mille & quadringentos pedes, latitudine trecentos quinquaginta: ambitum verò fuisse trium millium & quingentorum pedum.

Inter tanta templorum decora, nihil habet ætas nostra quod invideat. Summorum Pontificum studio pietateque factum, ut, religione victores, templi quoque majestate vinceremus. His omnibus templis præstat divi Petri in Vaticano templum, maximum artis miraculum, omnibus retro sæculis inauditum. Tanta autem est ejus amplitudo, ut, cum peristylio ædibus apposito pateat mille sexcentos pedes longitudine, ambitu quatuor millia pedum colligat.

Brotier ad cap. LIII. lib. IV. Hist. Tacit.

DE VESPASIANI MIRACULIS.

TITUM Livium, Plutarchum, ceterosque immensæ credulitatis scriptores miracula passim obtrudere minimè mirum est. At Tacitum, acerrimi judicii, constantissimæ mentis virum, non modò miracula narrare, sed etiam iis fidem facere velle, incredibile videretur, ni satis foret compertum, naturâ incertum an institutione, omnibus ferme Romanis insitum fuisse religionis sensum, quo in credulitatem propenderent. Quæ quidem credulitas, ut in humanis, sic quoque divinis in rebus, est bonæ animæ argumentum, nec nisi in religiosos animos irrepit. Unde magis miror exstitisse nonnullos, qui Tacitum ἀθεότητος insimulaverint. Quî enim ἄθεος haberi potest vir, qui præter plurima religionis monimenta Annalibus intersita, in his ipsis Historiarum libris *ope divinâ* mutari animos cap. 78, pronuntiaverit; qui nunc *cœli favorem, & numinum in Vespasianum inclinationem* profiteatur; qui demum *miracula* ita bonus enarrat, ut fidem iis facere haud leviter annitatur.

At

DE VESPASIANI MIRACULIS.

At quam fidem obtinere debent illa Vespasiani miracula? nullam, ut opinor. Atque, ut alios multos sileam, ita quoque sensit Illustrissimus Huetius, *Demonstrat. Evangelic.* Proposit. VI. num. 6. Neminem quoque dissensurum reor, qui perpenderit quæ fuerint illa miracula, quo in loco, & a quo sint edita. Ac primò quidem in illis Vespasiani miraculis nihil est, quod vim divinam miraculorum effectricem adstruat. Sanatur enim cæcitas hominis, cui, teste Tacito, *vis luminis non* erat *exesa*. Curatur manûs debilitas, quæ, eodem auctore, in pravum elapsa, poterat integrari. Quod adhuc argumentum est incertam fuisse illorum miraculorum famam, quem manu debilem facit Tacitus, eum claudum dicit Suetonius in Vespasian. VII: ea quoque patrata miracula Tacitus, *medicis*, Suetonius, *amicis hortantibus*, narrat. Ut ut est, hæccne miracula? Curationes vix dixeris. Ubi enim in rebus levissimis fallacibusque operosa est miraculorum ostentatio, non est miraculum, sed histrionum circulatorumve fraus ac mendacium.

Adde hæc miracula evenisse, Alexandriæ, in urbe vanissimâ, ad omne superstitionum genus projectissimâ, Serapidis religionibus insanâ, suis in Principes adulationibus vaferrimâ, utì testis est oculatus Philo, in *Legat. ad Caium*, pag. 1017.

Nunc verò quis hæc miracula ausus est? Vespasianus, novus & inopinatus Princeps, cui *auctoritas & quasi majestas* concilianda, ut fatetur Suetonius, loc. cit. Vespasianus, qui in omnes firmandæ dominationis artes intentus, religione maximè abutebatur. Inde acceptissimus ei fuit Josephus, quòd mendax ille Judæus oracula, quæ Christum regem ejusque imperium prænuntiaverant, in eum traxisset. Joseph. *Bell. Jud.* III, 8. Omnes quoque, qui se Davidicâ stirpe oriundos ferrent, inquiri necarique jussit. Euseb. *Hist. Ecclesiast.* III, 11. Vespasianus demum, qui, tunc temporis, Apollonii Tyanensis, hominum, quotquot umquam exstitere, fraudulentissimi, familiaritate consiliisque utebatur, ut videre est apud Philostratum, Vit. Apollon. V, 27. & seqq.

Hæc satis superque sunt, ut constet Vespasiani miracula fuisse in Ægyptiis artes fraudesque, in Vespasiano politicæ artis instrumenta, quibus quæsita novo Principatui auctoritas ac reverentia. Addit quidem Tacitus *utrumque* istud miraculum ab iis *qui interfuere nunc quoque* memorari, *postquam nullum mendacio pretium.* Neque id mirum. Excisa fuerat Flaviana domus; ac proinde nullum tunc erat a Principibus mendacio pretium. Sed semper manebat Ægyptiis superstitio; eadem Romanos quoque & Romam, quò pessima omnia confluebant, pervaserat: in dies invalescebat Serapidis veneratio. Quomodo ergo obrueretur rumor, quem servari intererat? Si quid mirum videri debet, id profectò quòd, cùm nullum sit

mendaciis

mendaciis pretium, nulla Serapidis religio, reperiantur tamen qui hæc miracula tueantur. At hæc est fabularum natura, ut vel suâ vanitate multis placeant.

Brotier ad cap. LXXXI. lib. IV. Hist. Tacit.

DE DEO SERAPIDE.

SERAPIS, apud Ægyptios deus maximus, plures præcipuosque referebat deos. Inde in aversâ parte nummi Antonini Pii, quem publicavit eruditus Oiselius, *Thesaurus Selectorum Numismatum*, Tab. XLIII. num. I. videre est Serapidis caput barbatum, cornutum, radiatum, cum modio in vertice: adest & tridens, cui serpens circumvolvitur. Quibus insignibus patet Serapidem esse Jovem, Solem, Osirim, Neptunum & Æsculapium. Vide quæ ad id confirmandum congessit Oiselius, loc. cit. pag. 218. At naturam cultumque Serapidis nemo accuratiùs expressit, quàm Macrobius saturnal. I, 20. Alexandria *eidem Ægypto adjacens civitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Sarapin atque Isin cultu pæne attonitæ venerationis observat: omnem tamen illam venerationem Soli se sub illius nomine testatur impendere, vel dum calathum capiti ejus insigunt, vel dum simulacro signum tricipitis animantis adjungunt; quod exprimit medio eodemque maximo capite leonis effigiem; dexterâ parte caput canis exoritur mansuetâ specie blandientis; pars verò læva cervicis rapacis lupi capite finitur: easque formas animalium draco connectit volumine suo capite redeunte ad dei dexteram, quâ compescitur monstrum. Ergo leonis capite monstratur præsens tempus; quia conditio ejus inter præteritum futurumque actu præsenti valida fervensque est. Sed & præteritum tempus lupi capite signatur; quòd memoria rerum transactarum rapitur, & aufertur. Item canis blandientis effigies futuri temporis designat eventum; de quo nobis spes, licèt incerta, blanditur. Tempora autem cui nisi proprio famularentur auctori? cujus vertex, insignitus calatho, & altitudinem sideris monstrat, & potentiam capacitatis ostentat: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur. Accipe nunc quid de Sole, vel Sarapi, pronuntietur oraculo. Nam Sarapis, quem Ægyptii deum maximum prodiderunt, oratus a Nicocreonte, Cyprio-*

rum

rum rege, quis deorum haberetur, his versibus sollicitam religionem regis instruxit.

Εἰμὶ θεὸς τοιόσδε μαθεῖν, οἷον κ' ἐγὼ εἴπω.
Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ' οὖατ' ἐν αἰθέρι κεῖται,
Ὄμμα τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Ex his apparet Sarapis & Solis unam & individuam esse naturam. Isis juncta religione celebratur, quæ est vel terra, vel natura rerum, subjacens soli. Hinc est quod continuatis uberibus corpus deæ omne densetur, quia terræ, vel rerum naturæ, altu nutritur universitas.

Hunc Macrobii locum Tacitumque egregiè illustrant præstantissimi duo nummi Vespasiani & Domitiani, quos edidit Cl. Pellerin, *Mélange de diverses Médailles*, Tom. I. pag. 224. In nummo Vespasiani, ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. id est, *Imperatoris Cæsaris Augusti Vespasiani*; caput Vespasiani laureatum. In aversâ parte, ΖΕΥΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. L. ΕΝΑΤ. id est, *Jupiter Serapis, anno nono* imperii Vespasiani. Stat Serapis, sinistrâ hastæ innixus, extentâ dextrâ, quâ monstrum triceps, de quo Macrobius compescere videtur. In vertice calathum, modiumve, habet. In nummo Domitiani, ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ. ΔΟ . . . ΤΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. id est, *Imperator Cæsar Domitianus Augustus Germanicus*; caput Domitiani laureatum. In aversâ parte, ΗΛΙΟΣ ΣΑΡΑΠΙΣ L. ΙΓ. id est, *Sol Serapis, anno tertiodecimo* imperii Domitiani. Serapis stans hastam sinistrâ tenet, dextrâ elatâ. In vetere autem Inscriptione, quæ exstat Ancyræ, nunc *Angora*, teste Cl. Tournefort, *Voyage du Levant*. Tom. II. pag. 449. ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑΛΩ ΣΑΡΑΠΙΔΙ, id est, *Jovi Soli Magno Serapidi*. Porro cùm Christiani Ethnicæ religionis deos horrerent, seque Deum unum, rerum omnium conditorem, venerari profiterentur; hinc, ut videtur, Hadrianus, religionum conciliator, eos inter Serapidis, seu dei Panthei, cultores annumeravit, teste ejus epistolâ apud Vopiscum, in Saturnin. cap. 8. *Illi qui Serapin colunt, Christiani sunt: & devoti sunt Serapi, qui se Christi episcopos dicunt . . . . Unus illis*, Ægyptiis ac maximè Alexandrinis, *deus est: hunc Christiani, hunc Judæi, hunc omnes venerantur & gentes.*

Si quis autem plura voluerit de urbe Sinope & deo Serapide, adeat Cl. de Fonteuu, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*. Tom. X. pag. 465. & seqq.

Brotier ad cap. LXXXIV. lib. IV. Hist. Tacit.

NOTÆ *quædam insigniores ad librum de Moribus Germanorum.*

QUAM graviter punirentur, qui reos inde depo suissent, æstimari potest ex Lege Salicâ, Tit. LXIX. Leg. 1. *Si quis hominem vivum de furcâ tollere præsumpserit, & fugâ lapsus fuerit, ille qui eum tulerit, aut vitam pro ipso amittat, aut VIII M den. qui faciunt solidos CC,* Gallicæ monetæ libras 2,620, *culpabilis judicetur.* Ne mortuum quidem deponere licebat. Ibid. Leg. 4. *Si quis sine consensu judicis, de ramo, ubi incrocatur, deponere præsumpserit, MCC denar. qui faciunt solidos XXX,* Gallicæ monetæ libras 393,*culpabilis judicetur.* Ita autem suspensos diu vixisse patet ex Riculfo clerico, de quo Gregorius Turonensis V, 50. *Ab horâ tertiâ diei, revinctis post-tergum manibus, suspensus ad arborem dependebat ; ad horam verò nonam depositus, extensusque ad trocleas, cædebatur fustibus, virgis, ac loris duplicibus, & non ab uno, vel duobus, sed quot accedere circa miseros potuissent artus, tot cæsores erant. Cùm autem jam in discrimine esset, tunc aperuit veritatem, & arcana doli publicè patefecit.*

Brotier ad voces " Arboribus suspendunt" cap. XII.

In pœnis attendebant Germani ad damna, ad acerbitatem injuriarum, ad dignitatem personarum. Inde in Lege Salicâ, Tit. III. *de Furtis animalium.* Leg. 1. *Si quis vitulum lactentem furaverit, MALB. PEDERO, aut FREODO, CXX den. qui faciunt solid. III.* Gallicæ monetæ libras 39, *culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ :* Gallicè *le capital & les frais de justice.*

Leg. 9. *Si quis taurum furaverit, qui de tribus villis communes vaccas tenuerit* (tres enim villæ, aut vici communem taurum pulcherrimumque alebant) *hoc est tres-bellio, MALB. CHAMI THEUTO MDCCC. den. qui faciunt solid. XLV,* Gallicæ monetæ libras 589, *culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.*

Leg. 10. *Si quis taurum regis furaverit, MAL. CHAMUTBVO M. M. DC.* Gallicæ monetæ libras 890, *excepto capitale & delaturâ.*

Apud venatorem populum pecorumque altorem magna in canibus utilitas. Inde Lex Salica, Tit. VI. *de Furtis canum*. Leg. 1. *Si quis canem segusium* (un chien de chasse) *magistro suo furaverit, MALB. LEODASDI, DC. den. qui faciunt solid. XV.* Gallicæ monetæ libras 196, *culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.*

Leg. 2. *Si quis segusium magistrum canem* (un chien dressé) *furaverit, MALB. TROVVIDOVVANNO TUENE CHUNNE, M. DCCC. den. qui faciunt solid. XLV.* Gallicæ monetæ libras 589, *culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.*

In summâ quoque artium ruditate magna cultellorum pretia. Ideo lex Salica, Tit. LXXIII. *de Cultello sexxaudro*, id est *cultro alterius*, ut explicat eruditus Eccardus. Leg. 1. *Si quis alteri cultellum furaverit, & ei fuerit adprobatum, ipsum in loco restituat, & insuper DC. den. qui faciunt sol. XV*, Gallicæ monetæ libras 196, *culpabilis judicetur.*

Apud Saxones fuit sanè equis gratia plurima, quoniam ad eos servandos a Germanicâ humanitate descivere, atrociterque statuerunt, ut videre est in Lege Saxonum, Tit. IV. *de Furtis*. Leg. 1. *Qui caballum furaverit, capite puniatur.* Id tantò magis singulare, quòd in eâdem lege, Tit. II. *de occisionibus*, si nobilis, litus, servusve occisus, pecuniâ componitur.

Illata vis majoribus pœnis subjacebat. Sic lex Salica, Tit. XII. *de Furtis ingenuorum vel effracturis*. Leg. 1. *Si quis verò ingenuus de foris casâ quod valent duo denarii furaverit, MALB. LEUDARDI, DC. den. qui faciunt solid. XV.* Gallicæ monetæ libras 196, *culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.*

Leg. 3. *Si verò ingenuus de intus casâ furaverit, aut fregerit quod valent duo denar. MALB. ANTIDIO, M. DCCC. qui faciunt sol. XLV.* Gallicæ monetæ libras 589, *culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.*

Leg. 5. *Si verò ingenuus clavem effregerit, aut adulteraverit, & sic domum ingressus fuerit, & per furtum aliquid tulerit, MALB. ANTIDIO, M. DCCC. den. qui faciunt sol. XLV.* Gallicæ monetæ libras 589, *culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.*

Leg. 6. *Si verò effregerit, & nihil tulerit, & fugiens evadit, propter effracturam tantùm M.CC. denar. qui faciunt sol. XXX.* Gallicæ monetæ libras 393, *culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.*

Tentatum quoque crimen puniebatur. Lex Salica, Tit. XX. *de Vulneribus*. Leg. 1. *Si quis alterum voluerit occidere, & colpus,* Gallicè *le coup*, *prætersallierit, MALB. seu LANDOVEVAS, MMD. den. qui faciunt sol. LXII. & dimidium,* Gallicæ monetæ libras 818, *culpabilis judicetur.*

Ceterum

Ceterum ex gravitate vulnerum major minorve pœna, teste Lege Salicâ, ibid. Leg. 3. *Si quis hominem plagaverit, & sanguis ad terram cadit, & ei fuerit adprobatum, MALB. CHARFRIDO, DC. den. qui faciunt solid. XV.* Gallicæ monetæ libras 196, *culpabilis judicetur.*

Leg. 4. *Si quis hominem in capite plagaverit, & exinde ossa exierint. MALB. CHARFRIDO, M.CC. den. qui faciunt solid. XXX. culpabilis judicetur.*

Leg. 5. *Si quis hominem ita plagaverit, ut cerebrum appareat, & tria ossa desuper cerebro exierint, MALB. AVDE AFENUS, M.DCCC. denar. qui faciunt solid XLV.* Gallicæ monetæ libras 589, *culpabilis judicetur.* Expressior adhuc hac in re Lex Saxonum, Tit. I. *de Vulneribus.* & Tit. XXII. *de Dolg.* ubi singulis ferme ictibus pœna pretiumque. Vide quoque Legem Ripuariorum, Tit. V. *de Debilitatibus.* Homicidii autem pretium habet Lex Salica, Tit. XLIV. *de Homicidiis ingenuorum.* Leg. 1. *Si quis ingenuus Franco aut barbarum, aut hominem, qui Salicâ lege vivit, occiderit, MALB. LEVDI VIIIM. den. qui faciunt sol. CC.* Gallicæ monetæ libras 2620, *culpabilis judicetur.*

Si quis autem hoc scelus occuleret, gravior erat pœna. Unde Lex Salica, ibid. Leg. 2. *Si verò eum in puteum aut sub aquam miserit, MALB. VVATH LEUDI. XXIIII M. denar. qui faciunt solid. DC.* Gallicæ monetæ libras 7860, *culpabilis judicetur.* & Leg. 5. ubi de homine nobili agitur. *Si verò eum de hallis aut de ramâ,* Gallicè *de halliers & de branchage, superoperuerit, similiter LXXIIM. den. qui faciunt solid. MDCCC,* Gallicæ monetæ libras 23,580, *culpabilis judicetur.*

Immo in his pœnis fuit populorum distinctio. Et Romana gens, tam diu domina gentium habita, deterrimæ conditionis facta est; ut patet ex Lege Ripuariorum, Tit. VII. *de Homicidio ingenuorum.* Leg. 1. *Si quis ingenuus hominem ingenuum Ripuarium interfecerit, ducentis solidis culpabilis judicetur.* & Tit. XXXVI. *de Diversis interfectionibus.* Leg. 1. *Si quis Ripuarius advenam Francum interfecerit, ducentis solidis culpabilis judicetur.* Leg. 2. *Si quis Ripuarius advenam Burgundionem interfecerit, centum sexaginta solidis culpabilis judicetur.* Leg. 3. *Si quis Ripuarius advenam Romanum interfecerit, centum solidis multetur.* Leg. 4. *Si quis Ripuarius advenam Alamannum, seu Fresionem, vel Bajuvarium, aut Saxonem interfecerit, centum sexaginta solidis culpabilis judicetur.* Pluribus abstineo, ne infinitus sim. Si quis autem Germanorum mores penitus cognoscere voluerit, eorum leges evolvat penitusque introspiciat.

Brotier ad voces "levioribus delictis" cap. XII.

Juxta leges Saxonum, Westfalaiorum, Angrariorum & Ostfalaiorum in Notis liceat videre, multas numero pecorum fuisse exsolutas. Plura adhuc & hac de re curiosa docent leges Ripuariorum, Tit. *XXXVI. de Diversis interfectionibus.* Leg. 11. *Si quis weregeldum* (id est multam, seu compositionem) *solvere debet, bovem cornutum videntem & sanum pro duobus solidis tribuat, vaccam cornutam videntem & sanam pro uno solido tribuat, equum videntem & sanum pro sex solidis tribuat, equam videntem & sanam pro tribus solidis tribuat, spatam cum scogilo* (id est gladium ensemve cum vaginâ) *pro septem solidis tribuat, spatam absque scogilo pro tribus solidis tribuat, bruniam bonam* (id est loricam bonam) *pro duodecim solidis tribuat, helmum cum directo* (id est cassem galeamve cum apice) *pro sex solidis tribuat, bainbergas bonas* (id est feminalia bona, Gallicè *des cuissarts*) *pro sex solidis tribuat, scutum cum lanceâ pro duobus solidis tribuat, acceptorem non domitum* (id est accipitrem juvenem nec venationi exercitatum) *pro tribus solidis tribuat, commorsum gruarium* (id est accipitrem, qui mordet gruem, seu qui in venatione gruum est exercitatus; inde adhuc nobis Gallicè *les grueries,*) *pro sex solidis tribuat, acceptorem mutatum* (id est, accipitrem qui plumas mutavit, Gallicè *après la mue*) *pro duodecim solidis tribuat.* Leg. 12. *Quòd si cum argento solvere contigerit, solido duodecim denarios, sicut antiquitus est constitutum.* Solidus ille Ripuariorum valebat Gallicæ monetæ libras ferme 4. Nihil hoc loco præstantius, ut Germanorum mores opesque æstimentur.

Brotier ad voces " pecorumque numero" cap. XII.

Germanorum pudicitiam, severitatemque matrimoniorum testantur veteres omnes leges. Unum tantum aut alterum exemplum e Lege Salicâ seligam. Lex Salic. Tit. XIV. *de Ingenuis hominibus, qui mulieres ingenuas rapiunt.* Leg. 8. *Si quis puellam sponsatam tulerit, & sibi in conjugium sociaverit, MALB. ANASTHEO, MMD. den. qui faciunt sol. LXII cum dimidio,* Gallicæ monetæ libras 818, *culpabilis judicetur.* Leg. 9. *Sponso autem ejus DC. den. qui faciunt sol. XV.* Gallicæ monetæ libras 196, *culpabilis judicetur.* Leg. 10. *Si quis puellam sponsatam, druthe ducente ad maritum* (id est, sponsâ maritum adeunte) *& eam in viâ aliquis adsallierit, & cum ipsâ violenter mœchatus fuerit, MALB. CHANGICALDO, VIIIM. den. qui faciunt solid. CC.* Gallicæ monetæ libras 2,620, *culpabilis judicetur.* Leg. 12. *Si quis sororem, aut fratris*

fratris filiam, aut certè alterius gradûs consobrinam, aut fratris uxorem, aut avunculi, sceleratis nuptiis sibi junxerit, huic pœnæ subjaceat, ut a tali consortio separetur; atque etiam si filios habuerint. non habeantur legitimi heredes, sed infamiâ sunt notati. Leg. 13. *Si quis ingenuam feminam aut puellam, contubernio facto, seu in itinere, aut quolibet loco adsallierit, & vim illi inferre præsumpserit, tam unus quàm plurimi, qui in ipsâ violentiâ fuerint admixti, CC. solid.* Gallicæ monetæ libras 2,620, *unusquisque ipsorum culpabilis judicetur. Et si adhuc de illo contubernio remanserint, qui scelus istud non admisisse noscuntur, & tamen ibidem fuerint, eorum quilibet pro ipsis XLV sol.* Gallicæ monetæ libras 589, *culpabilis, judicetur.* Vide & Tit. XXIII. *de Manu mulierum non stringendâ.*

Brotier ad vocem "matrimonia" cap. XVIII.

Apud Germanos emebantur uxores, ut patet ex Lege Saxonum, Tit. VI. *de Conjugiis.* Leg. 1. *Uxorem ducturus CCC solidos,* Gallicæ monetæ libras 3,930, *det parentibus ejus: si autem sine voluntate parentum, puellâ tamen consentiente, ducta fuerit, bis trecentos solidos,* Gallicæ monetæ libras 7,860, *parentibus ejus componat. Si verò nec parentes, nec puella consenserunt, id est, si per vim rapta est, parentibus ejus trecentos solidos, puellæ CCXL.* Gallicæ monetæ libras, 3,144, *componat, eamque parentibus restituat.* Plura vide, si volueris, in Lege Burgundionum, Tit. LXVI. & Tit. LXIX. *de Wittemon,* id est, *de Dote.* Vide quoque Legem Salicam, Tit. XLVII. & Legem Ripuariorum, Tit. XXXVII. Quâ autem pompâ uxorem peterent, intelligi potest ex epistolâ Sidonii Apollinaris, IV, 20. *Sidonius Donitio suo salutem. Tu cui frequenter arma, & armatum, & armatos inspicere jucundum est, quam voluptatem putamus mente conciperes, si Sigismerem, regium juvenem, ritu atque cultu gentilicio ornatum, ut pote sponsum, seu petitorem, prætorium soceri expetere vidisses! Illum equus quidem phaleris comptus, immo equi radiantibus gemmis onusti antecedebant, vel etiam subsequebantur: cùm tamen hoc magis ibi decorum conspiciebatur, quòd præcursoribus suis, sive pedissequis, pedes & ipse medius incessit, flammeus cocco, rutilus auro, lacteus serico. Tum cultu tanto, coma rubore cuti concolor. Regulorum quoque sociorumque comitantum forma & in pace terribilis: quorum pedes primi, perone setoso, talos adusque vinciebantur. Genua, crura, suræque sine tegmine. Præter hoc vestis alta, stricta, versicolor, vix appropinquans exertis poplitibus. Manicæ sola brachiorum principia velantes. Viridantia saga limbis marginata puniceis, penduli ex humero gladii balteis super currentibus strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus.*

Et

Eo quo comebantur ornatu muniebantur, lanceis uncatis, securibusque missilibus dextræ refertæ, clypeis lævam partem adumbrantibus, quorum lux in orbibus nivea, fulva in umbonibus, ita censum prodebat, ut studium. Cuncta prorsus hujusmodi, ut in actione thalamorum, non appareret minor Martis pompa, quàm Veneris.

Brotier ad voces " non uxor marito" cap. XVIII.

Cùm respublica liberis, in ejus spem defensionemque natis, nitatur, eorum saluti mira severitate consuluere Germani; ut videre est in Lege Salicâ, Tit. XXVIII. *de Homicidiis parvulorum.* Leg. 1. *Si quis puerum infrà duodecim annorum, non tonsoratum occiserit, MALB. ASCHARA LEVDARDI. XXIIII M. den. qui faciunt solid. DC.* Gallicæ monetæ libras 7,860, *culpabilis judicetur.* Leg. 4. *Si quis feminam ingenuam gravidam trabattit* (id est graviter percutit), *& ipsa femina fuerit mortua, MALB. ANVANO LEVDINIA XXVIII M. den. qui faciunt sol. DCC,* Gallicæ monetæ libras 9,190, *culpabilis judicetur.* Leg. 5. *Si quis verò infantem in ventre matris suæ occiderit, MALB. ANOVVADO, VIII M. den. qui faciunt sol. CC.* Gallicæ monetæ libras 2,620. Leg. 7. *Si quis feminam ingenuam, postquam infantes habere non potest, Occiderit, MALB. LEODINIA, VIII M. denar. qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur.* Leg. 8. *Si quis feminam ingenuam, postquam cœperit infantes habere, occiderit, MALB.* LEODINIA. *XXIIII M. den. qui faciunt solid. DC. culpabilis judicetur.* Leg. 9. *Si quis puellam ingenuam occiderit, MALB. EX MALA LEVDI, VIII M. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur.* Tantum liberis parentibusque pretium! Ex hoc sanè liberorum studio profluxit apud Germanos *jus Hagenstolziatûs,* quod adhuc viget in superiore Palatinatu & superiore circulo Rhenano, *le Haut-Palatinat & le Haut-Rhin. Hagestoltzen* autem, Gallicè *les vieux Garçons,* dicuntur cælibes, quinquaginta annos nati. Qui si moriantur, eorum quidem bona feudalia alodialiaque ad propinquos pertinent, at bona, eorum industriâ parta, in pœnam cælibis vitæ ærarium publicum sibi vindicat. Vide Cl. Hubner, *Géographie universelle,* Tom. VI. p. 471.

Brotier ad vocem " finire" cap. XIX.

Cùm apud Germanos homicidia primùm armentorum pecorumque numero, ac deinde augescentibus opibus, pecuniâ luerentur, ne tamen reorum paupertate gliscerct audacia, bene consultum, ut satisfactio in interfectoris domum transiret. Quibus autem ritibus id

id perageretur, docet Lex Salica, Tit. LXI. *de Chren crude.* Id est, *de vacuo.* Leg. 1. *Si quis hominem occiderit, & in totâ facultate non habuerit, unde totam legem impleat, duodecim juratores dabit, quod nec subtus terram, neque supra terram plus de facultate habeat, quàm donavit. Et postea debet in casam suam intrare, & de quatuor angulis terræ pulverem in pugno colligere, & postea in duropello,* id est casæ limine, *stare, & intus casam cuptare,* id est respicere, *debet, & sic de sinistrâ manu trans suas scapulas jactare super proximiorem parentem. Quòd si jam pater, aut mater, seu frater pro ipso solverunt, super sororem tunc matris, aut super ejus filios debet illam terram jactare: quod si isti non fuerunt, super tres de generatione patris & matris, qui proximiores sunt: & postea in camisiâ discinctus, discalceatus, palo in manu supra sepem salire, ut pro medietate quantum pro compositione deberet, aut quantum lex addicat, illi tres solvant de maternâ generatione: hoc & illi alii, qui de paternâ generatione veniunt, facere debent.* Lege autem 2. *Si verò aliquis ex illis pauperior fuerit, & non habet unde solvat debitum, quicumque de illis plus alio habet exsolvat, & iterum super illum Chrene chruda, ille qui est pauperior jactet, ut ille totam legem solvat. Quòd si hic etiam non habet, ut legem solvat, & totam legem componat, tunc illum, qui homicidium facit, tollit, qui eum in fide suâ habet, & per quatuor Mallos præsentem faciat; & si eum per compositionem aut fidem nullus suorum tulerit, hoc est, eum redimat, aut pro eo persolvit, tunc de vitâ componit.* Licèt autem in hac lege *Chren crude* plurimum esset utilitatis, nonnihil tamen erat vitii, quòd homicidarum furore, & legis severitate, multæ everterentur familiæ. Unde legem illam postea abrogavit Childebertus rex, *Decret.* Leg. 15. *de Chrenecrudâ lex, quam paganorum tempore observabant, deinceps nunquam valeat, quia per ipsam cecidit multorum potestas.* Meliùs ergo a Canadensibus previsum, penes quos non interfectoris domus, sed ipse vicus satisfacit. Tunc enim nulla ingruit ruina; reo autem plus pudoris. Vide P. de Charlevoix, *Journal historique d'un voyage de l'Amerique.* Lettre XVIII. pag. 274.

Brotier ad voces " nec implacabiles" cap. XXI.

Apud nos, invicem per commercia innexos, languet hospitalitas, viget apud barbaros latrociniis infames. Hujus discriminis causa in aperto. Scilicet commercia populos conjungunt; privatos dividunt, penes quos commerciorum usu omnia fiunt venalia. Et quantò magis apud gentem aliquam fervent commercia, tantò magis ab hospitalitate abhorret. Contrà barbari commercia non norunt; latrocinia exercent, cùm indigent; hospitales sunt, quòd in

hanc

hanc liberalitatem natura propendet, ipsisque expedit. Hæc pluribus ingeniosè explicat Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XX, 2.

Brotier ad vocem " hospitiis" cap. xxi.

Hæc conditionum diversitas passim occurrit in veteribus Germanorum legibus. Sic in lege Angliorum & Werinorum, Tit. I. *de Homicidiis*. Leg. 1. *Si quis Adalingum occiderit, DC. sol.* Gallicæ monetæ libras 7,860, *componat*. Leg. 2. *Qui liberum occiderit, CC. sol.* Gallicæ monetæ libras 2,620, *componat*. Leg. 4. *Qui servum occiderit, XXX. sol.* Gallicæ monetæ libras 390, *componat*. Sic quoque Saxonibus fuere Edlingi, Frilingi & Lassi, id est nobiles, ingenui, & serviles, ut videre est apud Lindenbrogium, in Glossario, pag. 1347. Idem patet ex lege Frisionum, Tit. XV. Francis quoque fuere Antrussiones, seu nobiles, Ingenui, Lidi, Servi. Inde in Lege Salicâ, Tit. LXXIV. *de Chreodiba*. Id est, *de cadaveris combustione*. Leg. 1. *Si quis hominem ingenuum seu in silvâ seu in quolibet loco occiderit, & ad celandum in igne combusserit, XXIIII M. den. qui faciunt sol. DC.* Gallicæ monetæ libras 7,860, *culpabilis judicetur*. Leg. 2. *Si quis antrussionem vel feminam taliter interfecerit, aut celaverit, aut igne cremaverit, LXIIM* (Veriùs *LXXIIM.*) *den. qui faciunt sol. MDCCC.* Gallicæ monetæ libras 23,580, *culpabilis judicetur*. Tit. XXXVIII. *de Homicidiis servorum, vel expoliationibus*. Leg. 5. *Si quis servum alienum mortuum expoliaverit per furtum, & spolia ipsa plus quàm XL denarios*, Gallicæ monetæ libras 13, *valeant, tulerit, MALB. THEU FRIO MOSIDO, DC. den. qui faciunt sol. XV.* Gallicæ monetæ libras 196, *culpabilis judicetur*. Leg. 6. *Si quis verò homo ingenuus Lidum alienum expoliaverit, MALB. THEU MOSIDO, MCCCC den. qui faciunt solid. XXXV*, Gallicæ monetæ libras 458, *culpabilis judicetur*. Servorum verò nomina, quæ postea apud Germanos, ut & apud nos, in dignitatum titulos evasere, simul & pretia habet Lex Salica, Tit. XI. *de Servis mancipiis furatis*. *Si quis Majorem*, le Grand-Maître, *Infertorem*, le maître d'Hôtel, *Scantionem*, le Bouteillier ou l'Echanson, *Mariscallum*, le Maréchal, *Stratorem*, l'Ecuyer, *Fabrum ferrarium. Aurificem sive Carpentarium, Vinitorem, vel Porcarium, vel Ministerialem furaverit, aut occiderit, vel vendiderit, valentem sol. XXV.* Gallicæ monetæ libras 327. *MALB. THEUCA TEXARA M CCCC den. qui faciunt sol. XXXV.* Gallicæ monetæ libras 458, *culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ.* Hæc sint satis de conditionum diversitate apud Germanos. Vide & Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XXX, 25.

Brotier ad voces " super ingenuos et super nobiles" cap. xxv.

NOTÆ

AD LIBRUM

DE MORIBUS GERMANORUM.

Notæ aliæ excerptæ è libro de Moribus Germanorum & quæ textui editionis majoris subjiciuntur.

CAP. I.

GERMANIA *omnis*. Germania, de quâ nunc agitur, est Transrhenana. Ad Occasum Rheno, ad Meridiem Danubio, ad Orientem Vistulâ, Sarmatiâ Daciâque, ad Septemtrionem Oceano terminatur. Occidentem versùs prætenduntur Galli, versùs Meridiem Ræti & Pannonii, versùs Orientem Sarmatæ & Daci; cetera versùs Septemtrionem ambit Oceanus, latos sinus, *les Golfes de Bothnie & de Finlande*, complectens.

CAP. II. *Indigenas*. Indigenæ, & quasi e terrâ prognati, veteribus scriptoribus dicti sunt populi omnes, quorum origo eos latebat. Nostram superioremque ætatem meliora docuit major eruditionis copia, facilior frequentiorque peregrinationum usus, ac maximè linguarum notitia. Iis subsidiis aperta mundi commercia. Eruditis omnibus jam compertum Scythicam esse Germanorum originem. Ipsaque *Germania* Scythiæ *contermina*, Plin. VIII, 15.

Germaniam peteret. Nondum satis valida ratio. Rudes barbarique homines tutas potiùs, quàm lætas, sedes quæsiere. Inde loca horrida, quæ vix habitari posse crederemus, a nonnullis antehabita. Fateor, gratissimæ sunt Asiæ, Africæ, Italiæque sedes. At neque statim florentes fuere, sed lentè, vigentibus imperiis, & adulto luxu. Præterea nec illæta Germania, nec suis caret commodis: immo viris virtutique aptissima. Adde non statim relictas sedes lætissimas, ut tristiores occuparentur: sed, ut in Germaniâ, de quâ nunc agitur, immorer, Asia, hominibus fœta, primùm in Scythiam effusa: Scythia in conterminam Germaniam: ac si quid decessit voluptati, accrevit humanitati, ut toto hoc libro demonstrabitur.

Carminibus antiquis. Omnibus retro sæculis, & apud barbaras omnes gentes, ut ex Americæ populis nobis adhuc compertum, idem

fuit

fuit carminum usus, eadem utilitas. Carolus Magnus, teste Eginhardo, in ejus vitâ, cap. 29, *barbara & antiquissima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur, scripsit, memoriæque mandavit.*

Nunc Tungri, tunc Germani. Rem egregiè illustrat Julius Cæsar Bell. Gall. 11, 4, docetque primos, qui Rhenum transgressi sunt, fuisse *Condrusos, Eburones, Cæresos, Pæmanos, qui uno nomine Germani appellantur.* Germanus, id est *Wehr mann*, armorum vir, *homme d'armes, homme de guerre.* Vetus enim & frequens *W* in *G* mutatio. Primò nomen hoc fuit nationis victricis Cisrhenanæ, non verò totius gentis Transrhenanæ: sed paulatim evaluit; & Transrhenani omnes nomen, quod victor ob metum incutiendum repererat, ipsi usurpavere, reputantes idem nominis ob bellicæ gloriæ claritudinem sibi deberi. Tungrorum olim magnum fuit nomen; exstatque adhuc veteris gloriæ memoria in eâ locorum amplitudine, quam dicimus, *l'ancien diocèse de Tongres.* Observandum autem est eumdem esse Tungrorum locum, quem Franci, duce Pharamundo, primùm occupavere, quem postea Clodoveus Magnus armis recepit. Et hæc sunt Francici nostri regni incunabula.

Et Herculem. Nulla exstitit bellicosa gens, quæ Herculem, id est virum, stupendâ vi grandibusque factis insignem, non habuerit; eoque non superbierit. Sunt quoque eruditi viri, qui existiment coloniarum duces ab Asiâ profectos, ut diversas Europæ regiones occuparent, vulgò vocitatos fuisse Hercules.

CAP. III. *Barditum vocant.* Sunt qui *barritum* mallent: at *barrire* elephantorum est, quos ne noverant quidem Germani. *Bardire* verò cervorum est, quos sæpissimè audiebant continuóque venabantur tum Germani, tum Galli, apud quos celeberrimus fuit barditus. Inde vates, qui hoc modulo utebantur, dicti sunt bardi. De quibus egregiè Lucanus I, 447.

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremptos
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina bardi.

Canadensibus quoque populis sua sunt carmina, *des chansons de guerre,* cuique genti, cuique etiam familiæ propria. Vide P. de Charlevoix, *Journal historique d'un voyage de l'Amérique,* Lettre XIV, pag. 217.

CAP. V.

CAP. V. *Impatiens.* Tunc enim acriora, longioraque erant frigora, cùm terra ſilvis horreret. Sic apud Canadenſes populos, in Americâ, cælum ſolumque miteſcere cœperunt, cùm immenſa ſilvarum ſpatia incenſa ſunt. Adde Germanos ne frugiferas quidem arbores coluiſſe, ſolaſque ſegetes terræ imperaſſe, ut dicetur infrà cap. 26.

Plerumque improcera. Id jam obſervatum Annal. IV, 72. At cur magna hominum corpora, pecorum improcera? Cauſa, ni fallor, quòd homines validis exercitiis, vitâ liberrimâ, & omnibus curis vacuâ, copioſis pinguibuſque cibis, largo potu in magnitudinem excreſcerent. Contrà pecora pluviis, frigore, gelu diu rigida minuerentur, ſine eâ frontis gloriâ, quæ adeò vividè emicat in iis omnibus locis, ubi ſerenum ſudumque eſt cælum. Mutato poſtea Germaniæ cultu, mutata quoque pecorum forma, & fuere proceriora. Pecora autem ſunt oves, capræ, boves, jumenta, &c. Armenta maximè boves. Vide Digeſt. libr. XXXII, de legatis & fideicommiſſis 3, leg. 81, & libr. L, Tit. 16, de verborum ſignificatione, leg. 89.

Nec tamen adfirmaverim. Meritò quidem. Nam ipſe Tacitus, cùm poſtea Annales ſcriberet, prodit Annal. XI, 20. Curtium Rufum in agro Mattiaco recluſiſſe ſpecus, *quærendis venis argenti*, tenuemque fuiſſe fructum. Nunc verò compertum inter cetera metalla nonnullas auri argentique fodinas in Germaniâ reperiri. Rariores ſunt auri fodinæ; exſtant tamen, & in quibus non fulvum modo, ſed album quoque aurum invenitur. Vide Balbinum, *Miſcellanea Hiſtorica regni Bohemiæ*, Tom. I, pag. 37, 40 & ſeqq.

Serratos, Bigatoſque. Interiores Germani ſimpliciter agebant, &, ut mos barbaris omnibus, permutatione utebantur. Rheni autem & Danubii ripis proximi, ob uſum commerciorum, aurum & argentum in pretio habebant: formas quaſdam Romanæ pecuniæ agnoſcebant, atque eligebant. Pecuniam probabant veterem & diu notam, ſerratos maximè & bigatos denarios. Quâ in re ſe cautiſſimos præbebant, more barbarorum, qui falli ſe ſemper opinantur. Nam invaleſcentibus apud Romanos vitiis, corrupta fuerat moneta. *Livius Druſus in tribunatu plebis octavam partem æris argento miſcuit*, Plin. XXXIII, 3. *Miſcuit denario triumvir Antonius ferrum. Miſcentur æra falſæ monetæ: alii e pondere ſubtrahunt... igitur ars facta denarios probare*, Plin. XXXIII, 9. Germani, ne his fraudibus deciperentur, pecuniam probabant veterem & diu notam; eligebant maximè denarios ſerratos, id eſt quorum margines in modum ſerræ erant inciſi: ſic enim apparebat ſincerine nummi & ſolido argento, an adulterini, intus ferro æreve pleni, & extrà

argenti bracteâ obtecti, quales olim multos vidi in Museo Collegii Ludovici Magni. Eligebant quoque bigatos denarios. Eorum nominis originem docet Plinius, XXXIII, 3. *Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ: & inde bigati quadrigatique dicti.* Bigati autem erant optimo argento, & Imperatorum denariis ponderosiores. Ideo a barbaris eligebantur. Hic est hujusce loci sensus, quem mirum in modum vexabant interpretes, rati *serratos* dici nummos, quibus serræ forma erat impressa, quales numquam exstitere in Romanâ pecuniâ; aut serrâ, coronâve, cinctos, ne arroderentur diminuerenturve, quod Gallicè dicimus *le cordon*, cujus usum non novere Romani. Serratorum, bigatorum, quadrigatorumque nummorum magna copia fuit in Museo Collegii Ludovici Magni.

Cap. VI. *Missilia.* Licèt valde mutata sit pugnandi ratio, manent tamen nobis veterum Germanorum arma. Ut iis, ita nobis sunt duo gladiorum genera: alii acuti, *l'épée*; alii sine acumine, *le sabre*: majores lanceæ, *la halebarde*: hastæ, seu frameæ, *la longue pique*: missilia, *la hache d'armes*. Sic & Canadensibus populis suum est missile, *le cassetête*. Præterea reperiuntur in veterum Germanorum sepulcris globuli lapidei perforati, quos sanè, alligatis funibus, ejaculabantur. Eorum imagines vide apud eruditum Eccardum, *de Rebus Franciæ Orientalis*. Tom. I, pag. 892.

Scuta tantum. Scuta Germanorum *immensa*, id est magnitudine corporis, Annal. II, 14, lectissimis coloribus fucata. Hæc prima virtutis, deinde nobilitatis, insignia; inde, labentibus sæculis, Heraldicæ artis, quam dicimus *les Armoiries, le Blason*, origo. Privatorum scuta coloribus tantùm distincta, principes ad decus, & ad tutamentum, (nam difficiliùs penetrabantur) animalium effigies scutis addebant.

Centeni ex singulis pagis. Ut hæc intelligantur, observandum Germanos divisos fuisse in populos, populos in pagos, pagos in vicos. Germani appellavere pagos suos *Gowen*. Sic adhuc Helvetii in pagos, Gallicè *en Cantons*, dividuntur. Vici autem dicebantur *Hunderte*. Inde originem sumpsere Anglorum Hundredæ. Centeni ex singulis pagis legebantur: & quod primò numerus fuit, jam nomen & honor est. Nempe, auctore erudito Dithmaro, vocabantur *die hunderte*, seu centeni: nobis, *les Centeniers*. Plures a magnis populis fuisse lectos videtur ex Julio Cæsare, Bell. Gall. IV, 1. *Suevorum gens est longè maxima, & bellicosissima Germanorum omnium. Ii centum pagos habere dicuntur; ex quibus quotannis singula millia armatorum, bellandi causâ, suis ex finibus educunt. Reliqui domi remanent. Sic neque agricultura, neque ratio, neque usus*

usus belli intermittitur. Armati legebantur heribanno, seu exercitûs edicto. Inde apud nos adhuc manet vox *Arriereban.*

Præcipuum flagitium. Id quoque immeritò objicere summa erat injuria. Inde in lege Salicâ Tit. XXXIII, 5. *Si quis homo ingenuus alio improperaverit, quòd scutum suum jactasset, & fugâ lapsus fuisset, & non potuerit adprobare.* MALB. AVSTRAPO, DC *den. qui faciunt sol. XV,* Gallicæ monetæ libras 196, *culpabilis judicetur.* Cùm ad explicandum illustrandumque hunc Taciti librum sæpe laudanda sit lex Salica, satis sit hìc præmonuisse apud Romanos semper citari legem materiamque legis; sic legem ambitûs, majestatis, peculatûs, repetundarum dici: haud aliter apud Germanos citari judicium & materiam judicii. Itaque MALB. seu malbergium, idem est ac judicium. *Austrappen* significat fugere. MALB. AVSTRAPO est *judicium de fugitivis.* Vide eruditum Eccardum in Notis ad Legem Salicam.

CAP. VII. *Duces ex virtute.* Reges, regno; duces bello præerant. Ex his Germanorum ducibus originem apud Gallos habuisse Majores domûs, *les Maires du Palais,* meritò sensit Cl. de Vertot, *Mémoires de l'Académie des Inscriptions,* Tom. 2, pag. 627. Vide & Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix,* XXXI, 4. Si reges virtute æquè, ac nobilitate præstabant, imperatoriam illam dignitatem obtinebant. Plures autem reges ducesve vulgò in bella conveniebant: tum præstantior imperabat, & communem in bello obtinebat magistratum, qui nullus erat in pace. Inde Julius Cæsar Bell. Gall. VI, 22. *In pace nullus est communis magistratus.* Impositus autem scuto, & sustinentium humeris vibratus, dux eligebatur; ut dictum est Hist. IV, 15. Apud bellicosam gentem idem regibus factitatum, ut videre est apud Gregorium Turonensem II, 40. *Plaudentes tam parmis, quàm vocibus, eum,* Clodovechum, *clypeo evectum super se regem constituunt.* Apertiùs autem Vitiges, Gothorum rex, apud Cassiodorum, *Variarum,* libr. X, Ep. 31. *Indicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more majorum, scuto supposito, regalem nobis contulisse, præstante Deo, dignitatem. Ut honorem arma darent, cui bella opinionem pepererant. Non enim in cubilibus angustis, sed in campis latè patentibus electum me esse noveritis: nec inter blandientium delicata colloquia, sed, tubis concrepantibus, sum quæsitus; ut tali fremitu concitatus desiderio virtutis ingenitæ regem sibi martium Geticus* (seu *Gothicus) populus inveniret.*

Infinita, aut libera. Inde Ambiorix, Eburonum, gentis Germanicæ, rex, profitebatur *sua esse ejusmodi imperia, ut non minus haberet*

haberet in se juris multitudo, quàm ipse in multitudinem, Jul. Cæsar, Bell. Gall. V, 27. Si Germanorum Canadensiumque principum potestatem conferas, eamdem omnino reperies. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XVIII, pag. 268.

Nisi sacerdotibus permissum. Ita ut tamen vitæ necisque potestas maneret penes magistratum, de quo Jul. Cæsar, Bell. Gall. VI, 23. *Cùm bellum civitas aut illatum defendit, aut infert, magistratus qui ei bello præsint, ut vitæ necisque habeant potestatem, deliguntur.* Pœna sacerdotibus commissa, ut imperantibus minus foret invidiæ, punientibus plus reverentiæ.

CAP. VIII. *Deas.* Nempe cùm viveret Aurinia, nondum invaluerat superstitio, quæ eas fecit deas. Inde Tacitus Hist. IV, 61. *Vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas, &, augescente superstitione, arbitrentur deas.* Plura vide apud eruditum Keyslerum, *Antiquitates Septentrionales,* in Dissertat. de Mulieribus Fatidicis pag. 456 & seqq. Effigiem feminæ fatidicæ apud Gothos exhibet Columna Theodosiana, quam vide in Cl. Banduri *Imperio Orientali.* Postea verò tam immodicè feminas illas fecere deas, ut inter monumenta Germanica passim occurrant aræ Inscriptionesque positæ MATRIBVS vel MATRONIS SVEBIS, seu Suevis, TREVERIS, AVFANIS &c. Unicum tantùm exemplum proferam e Grutero, pag. xc, n. 10.

IN H. D. D
DIS. DEAB. Q. OMNIB.
MATRIBVS. VAP
THIABVS. ET GENIO.
LOCI. SACRVM. C
TAVRICIVS. B-F. COS. PRO SE
ET. SVIS. V. S. L. M.
POSVIT. ET. DEDI

Id est: *In honorem divinæ domûs, diis, deabusque omnibus, matribus Vapthiabus & Genio loci sacrum Caius Tauricius, beneficiarius*

consulis,

consulis, pro se et suis votum solvens lubens meritò posuit & dedit, &c.

Cap. IX. *Deorum.* A Tacito dissentire videtur Julius Cæsar, Bell. Gall. VII, 21. *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur, Solem & Vulcanum & Lunam: reliquos ne famâ quidem acceperunt.* Distingue tempora, & summa erit Cæsarem inter ac Tacitum consensio. Cæsaris ætate suos, & barbaris fere omnibus familiares, deos habuere Germani Solem, Lunam & Vulcanum, id est ignem, quem sive e silice elicerent, sive velocissimo duorum lignorum affrictu, ut Canadensibus barbaris adhuc mos est, excitarent, sive calidas aquas, quæ in regione occurrunt, spectarent, sive inter tonitrua stridentem audirent, admirari pariter ac venerari cœpere. Postea Gallorum & Romanorum contactu, Mercurium, Herculem, Martem accepere. Eorum cultus ætate Taciti vigebat. Cùm per Germaniam iter facerem plurima Neptuni monumenta reperi: alia aliorum deorum occurrunt. Scilicet, labentibus annis, Neptunus, ceteraque deorum caterva, in Germaniam venêre.

Mercurium. Eadem sane fuit apud Germanos, quæ apud Gallos, Mercurii cultûs causa. De Gallis Julius Cæsar. Bell. Gall. VI, 17. *Deum maximè Mercurium colunt; bujus sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium ferunt; hunc viarum atque itinerum ducem; hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur.* Inde cùm olim in civitate Aquensi, nunc *Baden*, celebrarentur commercia, atque hàc iter esset in Helvetios, præcipua ibi fuit Mercurii veneratio in monte lucoque prope *Baden.* Quem locum cùm adissem, ut ibi Mercurii monumentum inspicerem, reperi veterem lapidem, quem votivum fuisse puto, cui rudis imago Mercurii insculpta; undequaque longéque disjecti ingentes lapides jacebant: aras fuisse, & antiquissimæ religionis, cùm humanæ hostiæ litarentur, monumenta, arbitror. Hæc cùm cernerem, animum subibat Lucanus III, 399. & I, 444.

Concessis animalibus. Herculi quoque & Marti humanis hostiis litatum fuisse crediderim. De Marte constat, saltem flagrantibus bellis. Sic enim Annal. XIII, 57. *Victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur.* Procopius quoque, Bell. Goth. libr. II, homines Marti mactatos memorat. At ut Germani Scythicâ sunt origine, ita quoque multum Scythicæ religionis retinuere. Hæc igitur, si lubet, confer cum iis quæ de Scythis habet Herodotus IV, 59 & seqq. pag. 240 & 241.

Isidi

Isidi sacrificat. Asiam Europamque pervagata est religio Ægyptiaca. Repertæ in Germaniâ Inscriptiones non modo ISIDI, sed & I. O. M. SARAPIDI. Multa alia Ægyptiacorum sacrorum apud Germanos monumenta exhibet eruditus Schoepflinus, *Alsatia Illustrata*, Tom. I, p. 499. Cultum autem Isidis in liburnam figuratæ illustrat Cl. Muratori, *Thesaur. Inscript.* Tom. I, p. xxv. Ibi videre est deam CLATRAM, quæ eadem est ac dea Isis. Dextrâ sistrum & serpentem tenet; sinistrâ, mensuram Nili crescentis: supra caput calathum gerit: retro est liburna. Cùm Germani deos in humani oris speciem non adsimularent, Isidem, figuratam in liburnam, venerati sunt Suevi. Ipsos autem, qui Albim, Danubiumque accolerent, a mercatoribus Romanisve edoctos, Isidem, navigantium deam, coluisse minime mirum est. Sacrum illud pervulgatum, ac maximè agebatur mense Martio, cùm renovaretur navigatio. Inde in Kalendario vetere. III Nonas Martii. ISIDIS NAVIGIUM. Vegetius V, 9, memorat hunc *natalem, ut ita dicam, navigationis, qui solemni certamine, publicoque spectaculo multarum gentium celebratur.* Qui plura volet de cultu Isidis apud Suevos, adeat Cl. de Fontenu, qui duas hoc de argumento dissertationes edidit, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Tom. V, pag. 63 & seqq.

Advectam religionem. Ut Romani in veteribus suis nummis æreis, qui exstant plurimi, Saturni adventum puppi testati sunt, sic aliæ gentes ad se advectas religiones liburnâ in nummis suis expressâ sæpe declaravere.

CAP. X. *Virgam.* Præsagas quoque virgas apud Scythas memorat Herodotus IV, 67, pag. 242, apud Alanos Ammianus Marcellinus XXXI, 2. Germanorum divinationem illustrat Rugianorum usus, de quo Saxo Grammaticus, Historiæ Danicæ libr. XIV, pag. 288, Rugiani, Balthici maris accolæ, *tribus ligni particulis, parte alterâ albis, alterâ nigris, in gremium sortium loco conjectis, candidis prospera, furvis adversa signabant.* Sortem illam & surculos, quos *tenos* vocabant, memorat lex Frisionum, Tit. XIV, leg. 1. Alia adhuc & antiquissima hujus divinationis vestigia vide apud Ezechielem XXI, 21 & Osee. IV, 13.

Committunt. Inde singularia certamina, *les duels*, ferociæ ac superstitionis monumenta, diu tamen tamquam Dei judicium habita. Quâ de re multa habet Cl. de' Montesquieu, *Esprit des Loix*, XXVIII, 17.

CAP. XI.

Cap. XI. *Pertractentur.* Insignem hunc locum & in arte politicâ summum tractat Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, VI, 11. Tale libertatis & auctoritatis temperamentum Germanicis in silvis fuisse repertum miratur; & Anglos inde hausisse politicam imperii sui formam docet. Illam a Tacito expressam laudatamque vide Annal. IV, 33.

Credunt. Adeò antiqua & apud omnes populos pervulgata lunaris potestatis fama, quæ ne in hac quidem literarum luce penitus ex hominum animis exolevit! Quàm insanæ vires lunæ tribuerentur, vide apud Plinium II, 99.

Noctium computant. Hoc primævæ antiquitatis monumentum. Nec a diebus, sed a noctibus cœpta tempora, Genes. I, 5. Galli, ut ceteri barbari, id obliti, *se omnes a Dite patre prognatos prædicant, idque a Druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt, & dies natales, & mensium & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.* Jul. Cæsar, Bell. Gall. VI, 18. Antiquitatis memoria exstat in veteri sermone Gallico *anuict*, pro hac nocte, seu hodie, ut Sirmondo, Pithœo, aliisque probatum. Inde & vetus formula, *comparoir dedans les nuicts.*

Sic condicunt. Cùm tempus, quo quid faciendum constituunt; quo in jus veniendum condicunt; non tot dies, sed tot noctes constituunt condicuntve. Sic in Lege Salicâ Tit. XLVIII *inter decem noctes.* Tit. L. *in noctes XL.* & alibi passim *noctes* pro *dies* usurpantur.

Considunt armati. Medioque in campo. Horum adhuc conciliorum manent vestigia immensis lapidibus conspicua. Vide Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Dannemarck.* pag. 102 & seqq. Huc quoque referendum videtur Britannicum *Stone-Henge*, quod adhuc exstat prope oppidum *Ambersbury*, in *Wiltshire*: de quo vide *Camden's Britannia, by Gibson*, pag. 95. In iis verò conciliis videmus originem nostrorum conciliorum, quæ sub Merovingiis nostris regibus dicta sunt *les champs de Mars*; sub Carlovingiis, *les champs de Mai*; deinde *les Cours plénieres de Noel & de Pâque*; ac demum *les Etats généraux.*

Cap. XII. *Ignavos & imbelles.* Vidimus suprà cap. 6, infrà quoque videbimus cap. 14 & 31, ignavos & imbelles vixisse, sed squalidos & probrosos, ut tales homines decet. Qui sunt ergo ignavi illi & imbelles, quorum flagitium capitale est? Existimaverim eos esse, qui, dato militiæ nomine, ad bellum non proficiscerentur. Vide Julium Cæsarem, Bell. Gall. VI, 22. Postea edixit Impera-

 tor

tor Hlotharius in lege Longobardorum, libr. III, Tit. XIII, Leg. 1. *Quicumque liber homo a Comite suo fuerit admonitus, aut ministris ejus, ad patriam defendendam, & ire neglexerit, & exercitus supervenerit ad istius regni vastationem, vel ad contrarietatem fidelium nostrorum, capitali subjaceat sententiæ.* Illud crimen adhuc summum est apud Canadenses barbaros. Vide P. de Charlevoix, *Journal Historique d'un voyage dans l'Amérique,* Lettre XIV, pag. 217. Porro cùm proditorum, transfugarum, ignavorum & imbellium odiosissima essent scelera flagitiave, inde, si immeritò objicerentur, atrocia erant convicia. Huc spectat lex Salica, Tit. XXXIII, *de Conviciis,* Leg. 3. *Si quis alterum concacatum aut vulpeculam vocaverit,* CXX *den. qui faciunt sol.* III, Gallicæ monetæ libras 39, *culpabilis judicetur,* Leg. 4. *Si quis alterum leporem clamaverit,* CCXL *den. qui faciunt solid.* VI, Gallicæ monetæ libras 78, *culpabilis judicetur.*

Corpore infames. Flagitium illud apud Germanos adeò fuit pudendum, ut vel ejus nomen viro objecisse gravissimè plecteretur. In lege Salicâ, Tit. XXXIII, *de Conviciis,* Leg. 1. *Si quis alterum cinnitum vocaret,* MALB. QVINTVO, DC *den. qui faciunt sol.* XV, Gallicæ monetæ libras 196, *culpabilis judicetur.* Erravit Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix,* XXX. 19, qui hæc ad corpore infames, *les poltrons,* retulit.

Flagitia abscondi. Egregiè dictum. Flagitia enim vel pœnâ discuntur. Publicâ autem famâ crescit horror scelerum. Turpia sunt flagitia, iniqua scelera. Inde Livius XXXIX, 16. *Minus tamen esset, si flagitiis tantùm effeminati forent (ipsorum magnâ ex parte dedecus erat) a facinoribus manus, mentem fraudibus abstinuissent.* In lege Burgundionum Tit. XXXIV, Leg. 1. *Si qua mulier maritum suum, cui legitimè juncta est, dimiserit, necetur in luto.*

Pars multæ. Multa illa passim in lege Salicâ appellatur *fredum,* id est *pax,* quòd solveretur regi vel civitati, quasi tutoribus firmatoribusque pacis ac securitatis publicæ. Hac de re egregiè disseruit Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix,* XXX, 20. At idem Cl. Scriptor, loc. cit. cap. 19, opinatur Germanos adhuc fuisse in statu naturæ tempore Taciti. Cui vix assentiar. Ubi enim reges, ubi civitates, ubi freda, seu multæ, quæ regi, vel civitati, ubi Widrigilda, id est, certæ compositiones, quæ ipsi qui vindicatur, vel propinquis ejus exsolvantur, ibi desiit status naturæ, ibi vigent legum imperia.

Et Principes. Paucis explicanda civilis Germanorum οἰκονομία. Erant divisi in *populos.* Alii regnabantur, ibi *reges;* aliis placuit civitas,

civitas, quæ prima est reipublicæ forma, ibi *principes*. *Reges* regno, *principes* civitati præerant. Tum in regnis, tum in civitatibus rem militarem regebant *duces*. *Populi* autem dividebantur in *pagos*. Sic Semnones centum pagis habitabantur, ut dicetur infrà cap. 39. Helvionum gens quingentis pagis incolebat, Plin. IV, 13. Singulis *pagis* unus erat princeps, aut potiùs comes, qui jura reddebat. *Pagi*, ut notatum est suprà cap. 6, subdividebantur in *Vicos*, seu Hundredas, quæ centenæ centuriæve dicebantur, quod centum villas continerent. In unoquoque vico unus erat ex plebe comes, aut potiùs centenus, qui & centenarius appellatus est. Coram centeno centenariove minores causæ dirimebantur. Coram comite causæ omnes tam majores, quàm minores, cognoscebantur ac judicabantur. Inde in lege Alamannorum, Tit. XXXVI, leg. 1. *Conventus secundùm antiquam consuetudinem fiat in omni centenâ coram comite, aut suo Misso, & coram centenario ipsum placitum fiat.* Et in Capitularibus Caroli Magni & Ludovici Imperatoris, III, 79: *Ut nullus homo in placito centenarii neque ad mortem, neque ad libertatem suam amittendam, vel ad res reddendas, vel mancipia judicetur; sed ista in præsentiâ comitis, vel Missorum nostrorum, judicentur.* Penes illos comites & centenarios consilium erat & auctoritas, ut patet. Centeni autem a Tacito dicti sunt *Comites* ex usu Romanorum, apud quos honorum nomina erant Cæsar, Legatus Cæsaris, & comites legati. Vide Digest. libr. I, Tit. 22, *de Officio Assessorum*, leg. 4. Tempora autem conventuum placitorumque Gallicè, *les plaids*, ita determinat lex Alamannorum, Tit. XXXVI, leg. 2. *Ipsum placitum fiat de sabbato in sabbatum, aut quali die comes, aut centenarius voluerit, a septem in septem noctes, quando pax parva est in provinciâ: quando autem melior est, post* XIIII *noctes fiat conventus in omni centenâ, sicut superiùs diximus.* Sub dio, loco paulo editiore, ulmo, quercu, aliâve densâ arbore obumbrante, conventus celebrabantur.

Cap. XIII. *Armati agunt.* Ipsique judices armati. Inde in Lege Salicâ, Tit. XLVII, leg. 1. *In ipso Mallo*, id est, placito, seu conventu judiciali, *scutum habere debent.* Morem illum retinuere populi omnes Germanicæ originis. Apud eos decoris & urbanitatis est in publicum non prodire, nisi gladio accinctos. Contrà verò Romani tantùm in bello armati.

Juvenem ornant. Hæc Equestris nobilitatis, *la Chevalerie*, avorum nostrorum memoriâ celebratissimæ initia. Filii regum a regibus exteris arma accepisse videntur. Inde cum Audoin, Gepido-

 rum

rum victor, a Langobardis incitaretur, ut cum filio suo Alboin, victoriæ participe, pranderet, id negavit: *scitis enim, inquit, non esse apud nos consuetudinem, ut regis filius cum patre prandeat, nisi priùs a rege gentis exteræ arma suscipiat.* Warnefridus, *de Gestis Langobardorum*, I, 23.

Toga. Ut toga, de quâ dictum Annal. XII, 41, Romanæ juventæ primus honos, sic scutum frameaque prima Germanicæ juventutis decora. Quæ assecuti videntur duodecimo aut quintodecimo ætatis anno. Interim nullis educationis deliciis fracti, ut videbimus infrà cap. 20, ad bellicam virtutem adolescebant, seque civitatibus approbabant. Inde Seneca Ep. XXXVI. *Si in Germaniâ natus esset, protinus puer tenerum hastile libraret.* Idem Seneca, de Irâ, I, 11. *Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriunturque: quorum unica illis cura est, in alia negligentibus. Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magnâ ex parte non tegumenta corporum provisa sunt; non suffugia adversùs perpetuum cœli rigorem.* Plura vide infrà cap. 24.

CAP. XIV. *Exigunt enim.* Inde originem juris clientelaris, *l'origine du Vasselage*, non immeritò repetit Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XXX, 3. Tunc quidem bellator princeps, bellatrici nobilitati equum, frameam, cibos dabat. Deinde, ortâ cupiditate, data pecunia, demum prædia, quæ primùm beneficia tantùm fuere, postea hereditaria: tunc dicta sunt *les Fiefs.* Unde leges, quæ maximè nunc vigent, *les Loix féodales.*

CAP. XV. *Ipsi hebent.* Egregiè dictum. Nec in Canadensium silvis aliter vivitur. Id graphicè expressit P. Creuxius, *Historia Canadensis*, pag. 65. *Si iter venationemque exceperis, humi sedent, aut in latus alterum incumbunt: stare ipsis pro carnificinâ: crura illico intumescere causantur.* Causa hujus inertiæ jam suprà attulerat idem scriptor, pag. 57. *Extra venationem bellaque, quidquid laborum ærumnarumque vitam quotidianam exercitam habet, totum fere id in miseras feminas viri rejiciunt, tamquam contra decorum sit quidquam a se hujuscemodi ministeriorum attingi.*

CAP. XVI. *Spatio circumdat.* Illud spatium, domui circumjectum, & sepibus cinctum, fuit celebratissima illa terra Salica, quæ erat virilis, non muliebris, sexûs hereditas.

Adversus casus ignis. Et pace quidem, magisque adhuc bello, metuendos. *Ferventes* enim *fusili ex argillâ glandes fundis, & fervefacta*

vefacta jacula in casas, quæ stramentis erant tectæ, jacere noverant, ut accipimus ex Julio Cæsare, *Bell. Gall.* V, 42. Canadenses populi, Germanis incautiores, casas parum separant; ideoque incendiis sæpe obnoxii.

Illinunt terra. Terram illam sanè e suis montibus effodiebant. Fortè etiam e Britanniâ advectam usurpabant. Anno 1647, in insulâ *Walcheren*, in Zelandiâ, reperta sunt plurima monumenta deæ Nehalenniæ posita. Inter votivas Inscriptiones una exstat: OB MERCES RITE CONSERVATAS M. SECVND. SILVANVS NEGOTTOR (id est *negotiator*) CRETARIVS BRITANNICIANVS V. S. L. M. Id est *votum solvit lubens meritò.*

Subterraneos specus. Sic quoque de Sarmatis Mela II, 1. *Ob sæva hiemis admodum assiduæ, demersis in humum sedibus, specus aut suffossa habitant.* Kircherus, ætate suâ, cùm Germania per quadraginta fere annos bellis conflagravit, vidit Germanos quamplurimos, qui se cum pecoribus, armentis, ceterisque facultatibus in altissimorum montium antra reciperent. De his aliisque subterraneis specubus multa & curiosa habet Kircherus, *Mundus Subterraneus*, VIII, 3. pag. 100.

CAP. XVII. *Sagum.* Pallium quoddam quadrum fuit sagum, dictus quoque *rheno:* haud absimilis Hungarico Polonove pallio, *le manteau de Houssard.* Jul. Cæsar, Bell. Gall. VI, 21. *Pellibus, aut parvis rhenonum tegumentis utuntur; magnâ corporis parte nudâ.* Hæc fortè pauperum tegumenta. Si de Germanorum vestibus plura volueris, adi eruditum Pelloutier, *Histoire des Celtes*, II, 6.

Juxta focum atque ignem. Et sanè inter fumi vortices. Sic vivunt Canadenses populi. Ingentes ignes in stramineis eorum casis ardent. Superne quidem imminet magnum foramen, quod noctu adversùs imbrium nivisque casus claudunt. Tanta verò fumi nubes, ut, ni longa esset adsuetudo, & in terrâ ubi levior est aer, recubarent, penitus suffocarentur.

Spargunt maculis. Varietate colorum lætantur omnes barbari. Inde Germani pelles suas maculis spargebant, & e diversarum belluarum pellibus diversas lacinias adsuebant, ut major esset varietas. Nos quoque, licèt elegantiùs, nivea murium Ponticorum vellera, *les Hermines*, nigris agnorum maculis spargimus.

Oceanus exterior, atque ignotum mare. Oceanus Septemtrionalis ac mare pigrum, *la mer glaciale*, de quo dicetur infrà cap. 45.

Purpura. Haud sanè exquisitâ illâ purpurâ, quâ fulgebant proceres Romani; sed aliâ vulgari, de quâ Plinius XVI, 18, *Item vaccinia . . . Galliæ etiam purpuræ tingendæ causâ ad servitiorum vestes.*

CAP. XVIII. *Prope soli barbarorum.* Inter Canadenses populos eadem temperantia apud Hurones reperta. P. de Charlevoix, *Journal Historique d'un voyage dans l'Amérique, Lettre* XIX, pag. 283.

CAP. XIX, *Maritis permissa.* Atque ita quidem lex Wisigothorum, libr. III, Tit. IV, *de Adulteriis*, leg. 3. *Si cujuslibet uxor adulterium fecerit; & deprehensa non fuerit, ante judicem competentibus & indiciis maritus accuset. Quod si mulieris adulterium manifestè patuerit, adulter & adultera secundùm superioris legis ordinem ipsi tradantur: ut quod de eis facere voluerit, in ejus proprio consistat arbitrio.* Leg. 4. *Si adulterum cum adulterâ maritus vel sponsus occiderit, pro homicidâ non teneatur.* Lex autem Burgundionum, Tit. LXVIII, leg. 1. *Si adulterantes inventi fuerint, & vir ille occidatur & femina.* Leg. 2. *Nam hoc observandum est, ut aut utrumque occidat: aut si unum occiderit, pretium ipsius solvat, sub eâ traditione pretii, quæ est prioribus legibus constituta.*

Accisis crinibus. Apud Germanos multum decus in crinibus. Ideo accisi crines ob scelus, pœna; sine crimine, injuria fuit. Vide Legem Salicam, Tit. XXVIII, *de Homicidiis parvulorum*, leg. 2 & 3, & legem Burgundionum, in additamento primo, Tit. V. *De his, qui mulieribus corruptis crines in curte suâ capulaverint.* Id est, *amputaverint.*

Verbere agit. Apud Saxones ipsæ feminæ erant violatæ pudicitiæ vindices, teste S. Bonifacio, Archiepiscopo Moguntino, in Epistolâ ad Ethelbaldum, Anglorum regem. *In antiquâ Saxoniâ,* nunc *la Westphalie, si virgo paternam domum cum adulterio commaculaverit, vel si mulier maritata, fracto fœdere matrimonii, adulterium perpetraverit, aliquando cogunt eam propriâ manû per laqueum suspensam vitam finire, & super bustum illius incensæ & concrematæ corruptorem ejus suspendunt: aliquando congregato exercitu femineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt; virgis cædentes & vestimenta ei abscindentes juxta cingulum & cultellis suis totum corpus ejus secantes & pungentes, minutis vulneribus cruentatam & laceratam de villâ in villam mittunt, & occurrunt semper novæ flagellatrices, zelo pudicitiæ adductæ, usque dum eam aut mortuam, aut vix vivam derelinquant; ut ceteræ timorem adulterandi & luxuriandi habeant.* Vide Michaelem Alfordum, *Annales Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ*, Tom. II, pag. 569, & Eccardum, *de rebus Franciæ Orientalis*, Tom. I, pag. 472.

Tamquam matrimonium. Sic, vel exstincto marito, superstes manebat matrimonii fides, pro quâ apud nonnullas gentes erat morien-

moriendum. Unde S. Bonifacius, in Epist. cit. *Winedi, quod fœdissimum & deterrimum genus hominum, tam magno zelo matrimonium mutuo amore observant, ut mulier viro proprio mortuo, vivere recuset: & laudabilis mulier inter illos esse judicatur, quæ propriâ manu sibi mortem attulit, ut in unâ strue pariter ardeat cum viro suo.* De Herulis idem habet Procopius, Bell. Gothic. libr. II. Canadenses populi aliter suam in matrimonium observantiam testantur. Primo enim nuptiarum anno castè vivunt, & si qua mulier hoc temporis spatio gravida videtur, ab omnibus irridetur. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XIX, pag. 286. Sic matrimonium ipsi barbari coluere, ut omnem libidinis suspicionem amotam vellent.

Quemquam ex agnatis. *Adgnati* dicuntur, qui *sunt per patrem cognati ex eâdem familiâ.* Digest. libr. XXVI, Tit. 4, leg. 7, & libr. XXXVIII, Tit. 10, leg. 10, num. 2. Præterea apud Romanos, *adoptio non jus sanguinis, sed jus adgnationis affert.* Digest. libr. I, Tit. 7, *de Adoptionibus*, leg. 23. Porrò cùm apud Germanos vigeret adoptio, flagitium sanè apud eos fuit non modò ex liberis, cognatis, sed & ex adoptatis quemquam necare.

Boni mores valent. Haud aliter de Scythis Justinus II, 2. *Justitia, gentis ingeniis culta, non legibus.* Apud Germanos plus boni mores valebant, quàm apud Romanos bonæ leges, de quibus dictum Annal. III, 25 & 26. Quàm audacter autem eæ leges spernerentur sæpissimè queruntur Patres, ac maximè Minucius Felix, in Octavio, cap. 30. *Vos enim video procreatos filios nunc feris & avibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere: sunt quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis exstinguant, & parricidium faciant antequam pariant.* Adeò malum illud Romæ inoleverat, ut ipse Plinius XXIX, 4, sect. 37, atocium excuset, *quoniam aliquarum fecunditas plena liberis tali veniâ indiget.* Meliùs Wisigothi, in hanc corruptelam fortè contactu Romanorum tracti, id scelus severissimis pœnis coercuere. Sic enim lex Wisigothorum, libr. VI, Tit. 3, leg. 1. *Si quis mulieri prægnanti potionem ad avorsum aut pro necando infante dederit, occidatur: & mulier, quæ potionem ad avorsum facere quæsivit, si ancilla est, CC flagella suscipiat; si ingenua, careat dignitate personæ, & cui jusserimus servitura tradatur.* Vide & ibid. legem 7.

CAP. XX. *Donec ætas.* Illa ætas primùm videtur fuisse annus duodecimus. Tunc enim puer legibus obnoxius, ut patet ex Lege Salicâ, Tit. XXVIII, *de Homicidiis parvulorum*, Leg. 6. *Si quis puer infrà duodecim annorum aliquam culpam commiserit, fredus ei*

non

non requiratur. De fredo dictum suprà cap. XII. Deinde illa ætas fuit annus quintusdecimus. Sic enim in Lege Ripuariorum, Tit. LXXXI. *Ut parvulus non respondeat ante quindecim annos,* Leg. unic. *Si quis homo Ripuarius defunctus fuerit, vel interfectus, & filium reliquerit, usque ad quintumdecimum annum plenam nec causam prosequatur, nec in judicio interpellatus responsum reddat. Quindecimo autem anno aut ipse respondeat aut defensorem eligat. Similiter & filia.* Nec aliter lex Burgundionum, Tit. LXXXVII, *de Minorum contractibus,* Leg. 1. *Minorum ætati ita credidimus consulendum, ut ante XV. ætatis annos eis nec libertare,* (id est, libertate donare,) *nec vendere, nec donare liceat.* Hæc ergo fuit majorum ætas, Gallicè *la majorité.* Postea serior fuit, cùm graviora fuere arma. Vide Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix,* XVIII, 26.

Pares validæque. Pares ætate, conditione, viribusque miscentur. Ubi enim inæqualis erat conditio multabantur. Lex Alamannorum, Tit. LVII, Leg. unic. *Si autem duæ sorores absque fratre relictæ post mortem patris fuerint, & ad ipsas hereditas paterna pertingat, & una nupserit sibi coæquali libero, alia autem nupserit aut colono regis, aut colono Ecclesiæ: illa quæ illi libero nupsit sibi coæquali, teneat terram patris earum. Res enim alias æqualiter dividant. Illa enim quæ illi colono nupsit, non intret in portionem terræ, quia sibi coæquali non nupsit.* Aliter imminebat pœna. In Lege Salicâ, Tit. XXIX, Leg. 5. *Si quis Francus alienam ancillam sibi publicè junxerit, ipse cum eâ in servitute permaneat.* In Lege Longobardorum, libr. II, Tit. 9, Leg. 2. *Si servus liberam mulierem aut puellam ausus fuerit sibi conjugio sociare, animæ suæ incurrat periculum: & illam, quæ servo fuerit consentiens, habeant parentes potestatem occidendi, aut foris provinciam transvendendi, & de rebus ipsius mulieris, faciendi quod voluerint. Et si parentes ejus infra anni spatium hoc facere distulerint, tunc liceat gastaldio,* (id est, comiti) *regis, aut actori, aut sculdasio* (id est, judici), *ipsam in curtem,* (id est, in cortem) *regis ducere, & intra pensiles ancillas constituere.* Vide & Legem Frisionum, Tit. 6.

Cap. XXI. *Suscipere tam inimicitias.* Sic apud veteres populos consultum ne impunitate gliscerent injuriæ. Inde illi ultores sanguinis, quos videre est etiam apud Moysen, Num. XXXV, 19 & seqq. Legibus quoque Romanis statutum, Cod. libr. VI, Tit. XXXV, *de his, quibus, ut indignis, hæreditates auferuntur,* leg. 1. *Heredes, quos necem testatoris inultam omisisse constiterit, fructus integros cogantur reddere.*

Nefas

Nefas habetur. Sic quoque Julius Cæsar, Bell. Gall, VI, 23. *Hospites violare, fas non putant, qui quâque de causâ ad eos venerunt, ab injuriâ probibent, sanctosque habent: iis omnium domus patent, victusque communicatur.* Mela III, 3. *Jus in viribus habent, adeò ut ne latrocinii quidem pudeat, tantùm hospitibus boni, mitesque supplicibus.* In lege Burgundionum, Tit. XXXVIII, leg. 1. *Quicumque hospiti venienti tectum aut focum negaverit, trium solidorum,* Gallicæ monetæ librarum 39, *inlatione mulctetur.* At hospitium virtuti, non sceleri, datum. Rectè enim lex Salica, Tit. XVII, *de Expoliationibus*, leg. 2. *Si quis hominem mortuum exfodierit & expoliaverit*, MALB. THVRNICHALT, IIIIM. *qui faciunt solid.* C. Gallicæ monetæ libras 1310, *culpabilis judicetur.* Leg. 3. *Et postea parentes defuncti judicem rogare debent, ut inter homines non habitet auctor sceleris; & qui ei hospitium dederit, antequam parentibus satisfaciat,* DC. *den. qui faciunt solid.* XV, Gallicæ monetæ libras 196, *culpabilis judicetur.*

CAP. XXII. *Cæde & vulneribus.* Cruentam quoque & feralem Canadensium ebrietatem exprimit P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* VIII, pag. 142. Apud Germanos severè coercitam hanc conviviorum feritatem reperimus in Lege Salicâ, Tit. XLVI. *De Homicidiis in convivio factis*, leg. 1. *Si in convivio, ubi quatuor aut quinque fuerint homines, unus ex ipsis interfectus fuerit, ille qui remanet* (id est, *illi qui remanent*) *aut unum convictum reddant, aut omnes mortis illius compositionem collectent, quæ lex usque ad septem, qui fuerint in convivio illo, convenit observare.*

CAP. XXIII. *Potui humor.* Potum illum Cerevisiam, *la Biere*, vocamus. De quo Plinius XIV. 22. *Est & Occidentis populis sua ebrietas fruge madidâ . . . Ægyptus quoque e fruge sibi potus similes excogitavit: nullâque in parte mundi cessat ebrietas: meros quippe hauriunt tales succos, nec diluendo, ut vina mitigant. At Hercules illic tellus fruges parere videbatur. Heu, mira vitiorum solertia! inventum est quemadmodum aqua quoque inebriaret.*

Lac concretum. Quod ne accipias de caseo, licèt auctore Julio Cæsare, Bell. Gall. VI, 22, *major pars victûs eorum lacte, & caseo, & carne consistit.* Plinius, qui Germanorum mores penitus noverat, accuratior. *Mirum,* inquit, *barbaras gentes, quæ lacte vivunt, ignorare aut spernere tot sæculis casei dotem, densantes id alioquin in acorem jucundum & pingue butyrum: spuma id est lactis, concretiorque, quàm quod serum,* le petit lait, *vocatur. Non omittendum in eo olei vim esse, & barbaros omnes infantesque nostros ita ungi.* Plin. XI, 41. Lac ergo concretum, de quo Tacitus, butyrum est, Germanorum cibus & unguentum, ut videre est apud Apollinarem

Sidonium, qui eorum habitum epulasque allio & cepâ fetidas describit, Carm. XII, 1.

Quid me, & si valeam, parare carmen
Fescenninicolæ jubes Diones
Inter crinigeras situm catervas,
Et Germanica verba sustinentem,
Laudantem tetrico subinde vultu,
Quod Burgundio cantat esculentus,
Infundens acido comam butyro!
. . . .
Felicemque libet vocare nasum
Cui non allia sordidæque cepæ
Ructant mane novo decem apparatus.

Aut mercedem. Immensæ verò Romanorum in ludis impensæ. Immania histrionum pretia; &, vel vigente republicâ, Roscius IIı D annua, Gallicæ monetæ libras 97,265, *meritasse proditur.* Plin. VII, 39. Excessere hæc pretia, luxuriante sub Principibus Româ.

Temeritate. De hac barbarorum pervicaciâ pervulgatum exemplum protulit D. Ambrosius, in Tobiam, cap. XI. *Ferunt Hunnorum populos*, Scythicam gentem ut & Germanos, *omnibus bellum inferre nationibus, fœneratoribus tamen, iis qui e ludo fœnerantur, esse subjectos, & cùm sine legibus vivant, aleæ solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul & arma portare, & plures suis, quàm hostilibus ictibus interire. In victoriâ suâ captivos fieri, & spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste non noverint. Ideo numquam belli studia deponere, quòd victi aleæ ludo, cùm totius prædæ munus amiserint, ludendi subsidia requirunt bellandi periculo. Frequenter autem tanto ardore rapi, ut cùm ea, quæ sola magna æstimant, arma victus tradiderit, ad unum aleæ jactum vitam suam potestati vel victoris, vel fœneratoris, addicat. Denique constat, quòd quidam, & Imperatori Romano cognitus, in fide pretium servitutis, quod sibi tali sorte superatus intulerat, suppliciis imperatæ mortis exsolverit.* Quo furore, ipso quoque libertatis periculo, talis suis, *le jeu des osselets*, ludant Canadenses populi memorant P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XVII. pag. 261. & P. Lafitau, *Mœurs des Sauvages Américains*, Tom. II, pag. 340.

Alligari se ac venire patitur. Non ita mirum est Germanos, ludi furore actos, voluntariam servitutem adiisse; cùm, multa post sæcula, licèt religio accessisset, humanitasque atque opes auxissent, homines

homines ingenui & suæ mentis compotes, se ipsi venderent, & servituti manciparent. Quâ de re inter veteres Formulas, solemnis est Formula IX. Venditio de semetipso: qualiter homo liber venumdetur. *Domino semper meo illo N. Ego ille N. Placuit mihi, ut statum ingenuitatis meæ in vestrum deberem obnoxiare servitium. Quod ita & feci. Unde accepi a te pretium, in quod mihi bene complacuit, solidos tantos; ita ut ab hodiernâ die quicquid de me servo tuo, sicut de reliqua mancipia tua* (Barbarè dictum pro *de reliquis mancipiis tuis*) *facere volueris, a die præsente liberam habeas potestatem. Et quod fieri non credo, si fuerit ulla quislibet persona qui contra hanc venditionem, quam ego meâ spontaneâ voluntate fieri rogavi, qui contra eam aliquid agere & calumniam generare conaverit, illud, quod repetit, non vindicet, & contrà cui litem intulerit, auri libra una, argenti pondo quinque coactus exsolvat; & hæc venditio firma permaneat.* Duæ nempe sunt res apud homines validissimæ, libido & necessitas. Ut libidini consulerent, servitutem non reformidabant Germani. Sponte quoque illam adibant, ne inopi necessitati succumberent.

Fidem vocant. Hæc est fides, quâ semper viguit, semperque vigebit alea. Verè enim D. Ambrosius loc. cit. *Habet & alea suas leges, quas fori jura non solvant. Notatur (si credi potest) infamiâ, qui putaverit renitendum, & infamium sententia gravius, quàm censura judicialis inurit opprobrium.* Hanc fidem retinemus; & inde nobis *les dettes d'honneur.*

Cap. XXV. *Per familiam ministeriis.* Videre licet Annal. XIV, 43. Pedanium Secundum, qui in unâ domo ipsâque in Urbe quadringentos servos haberet. Divisa inter eos ministeria, aut potiùs ministeriorum nomina, quæ passim occurrunt in veteribus Inscriptionibus, ac maximè apud Cll. Piranesi, Gori, ceterosque qui sepulcralia Romanorum monumenta illustravere. Hæc familia urbana. Alia erat in agris familia rustica: ibi nova ministeria, nova nomina; in quibus plus quidem utilitatis, plurimum adhuc luxûs.

Hactenus paret. Licèt servus apud Germanos suam sedem habeat, suos penates regat, paret tamen domino, nec habet libertatem: hactenus servus est. Tales fuere apud nos ante quatuor sæcula, quos servos, *les Serfs*, dicebamus. Postea Germani, Romanos imitati, servos habuere, deterioris conditionis; tunc penes eos mansit servorum nomen. Servi verò, ut ita dicam, coloni, dicti sunt Lidi. Hoc servorum discrimen patet ex Lege Salicâ, Tit. XXX. & ex Lege Frisionum, Tit. XV.

 Impune.

Impune. Non impunè inimicum occidebant, siquidem homicidium numero pecorum lueretur. Suum verò servum occidere impune erat. Sed si quis alienum servum occideret, tunc solvendum erat servi domino pretium. Inde in Lege Salicâ, Tit. XI. leg. 2. *Si quis alienum servum furaverit, aut occiderit, aut vendiderit, aut ingenuum dimiserit, & ei fuerit adprobatum,* MALB. THEV TEXACA, M. CCCC. *den. qui faciunt sol.* XXXV, Gallicæ monetæ libras 458. *culpabilis judicetur, excepto capitale & delaturâ. De ancillâ verò solidos* XXX, Gallicæ monetæ libras 393. Capitale verò Gallicè dicitur, *le capital, le prix de la chose.* Delatura, *les frais de justice.*

Libertini. Servi, si manumitterentur, libertatem adipiscebantur, & nuncupabantur liberti. Ordo illorum hominum, libertinorum dicebatur, non verò libertorum, ut rectè observat Cl. Ernestus. Cùm invaluit pecuniæ usus, servi manumittebantur, excusso ex eorum manu coram rege, vel civitate, denario. Unde homines isti *denariati* appellati sunt. Apud Germanos non multùm supra servos erant; & si sine liberis mors eis obvenisset, eorum hereditas ad fiscum pertinebat, ut docet Lex Ripuariorum, Tit. LVII. leg. 4. *Si autem homo denariatus absque liberis discesserit, non alium nisi fiscum nostrum heredem relinquat.*

Ingenuos & super nobiles. Hìc videmus quatuor conditionum discrimina: nobiles nempe, ingenuos, libertinos, servos. Nobiles genere, dignitate, muneribus præcellebant. Ingenui origine stirpeque liberi, atque etiam, cùm postea exigebantur tributa, a tributis immunes. Vide Gregorium Turonensem VII, 15. Libertini, qui, priùs servi, fuerant manumissi: nondum tamen erant ingenui, sed libertini tantùm, & libertinitatis obsequiis devincti. Servi autem, licèt coloni, cùm non essent sui juris, sed alienæ potestatis, verè serviebant. Illa conditionum diversitas sæpe memoratur in veteribus Germanorum legibus. Eam quoque videre est apud Saxonem Grammaticum in legibus Frothonis, Danorum regis, quas egregiè explicavit Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Danemarck*, pag. 111. Quomodo autem quis, non natus ingenuus in ingenuitatem assereretur docent veteres Formulæ, Formul. XII, de Ingenuitate. *Qui debitum sibi nexum relaxat servitium, in futurò apud Dominum sibi retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille N. pro remedio animæ meæ, vel æternâ retributione, servum juris mei nomine illum N. ingenuum esse præcipio, & in sacrosanctâ Ecclesiâ beatissimi Sancti illius N. sub præsentiâ sacerdotum ibidem consistentium ante cornu altaris ab omni vinculo servitutis eum absolvo. Ita ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus vel* procrea-

procreatus, sit, pergat partem quam maluerit, & sicut alii cives Romani vitam ducat ingenuam. Et si aliqua procreatio filiorum, vel filiarum, ex ipso orta fuerit, similiter vivat ingenua, & nulli heredum meorum, nec cuicunque aliæ personæ quicquam debeat servitutis, nec libertinitatis obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subjecta sunt; vel pro cujus amore ipsum devotus obtuli patrocinium & defensionem cuicumque se elegerit in omnibus illius perfruatur arbitrio. Si quis verò quod futurum esse non credo, si fuerit aliquis ex heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc ingenuitatem venire aut eam refragare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit, solidos LX *componat. Et præsens ingenuitas meis vel bonorum hominum manibus roborata cum stipulatione subnixa omnique tempore valeat inconvulsa.*

CAP. XXVI. *Bona ignorantur.* Cùm pomaria non consererent Germani, messibus contenti, fructiferum autumnum ignorabant. Nunc quidem omnes autumni fructus novit Germania; manet tamen veteris memoriæ monumentum: neque ullum adhuc nomen autumni proprium: communi vocabulo appellatur *Herbst*, id est messis, quam unam noverant veteres Germani. Videtur autem primos mortalium duas tantùm anni tempestates, æstatem & hiemem, observasse. Unde Moses in Genesi VIII, 22. *Æstas & hiems, nox & dies.* Deinde tres, ac demum quatuor anni tempestates distinxere.

CAP. XXVII. *Nulla ambitio.* Contrà apud Romanos maxima. C. Cæcilius Claudius Isidorus *funerari se jussit* H-S XI, Gallicæ monetæ libris 213,984. Plinius, XXXIII, 10. Hæc adhuc privati funera, & ante imperii luxum. At *periti rerum asseverant Arabiam non ferre tantum* odorum *annuo fetu, quantum Nero princeps novissimâ Poppææ suæ die concremaverit.* Plin. XII, 18.

Equus adjicitur. Sic in sepulcro Childerici, Francorum regis, reperta ejus arma, framea, gladius: inventum quoque equi ejus caput, & solea, fibulæ præterea phaleræque aureæ: quæ omnia vide apud eruditos Joan. Jac. Chiffletium, *Anastasis Childerici regis*, pag. 96, 219 & seqq. ac Montfaucon, *les Monuments de la Monarchie Françoise*, Tom. I. pag. 10 & seqq. Pars magna adhuc exstat Parisiis in Cimelio Regio. Præter jam memorata corpusque Childerici, reperta adhuc calvaria una, quæ fortè fuit ejus equisonis. Sic enim de Scythis, Germanorum auctoribus, prodit Herodotus, IV, 71.

Viris

Viris meminisse. Id quoque apud Canadenses populos vulgatum: *Lacrimæ viros dedecent.* Et ad bellum profecturi, suos tantùm ita alloquuntur: *Sit nostrî memoria.* Feminæ autem viros, liberos, per annum integrum lugent, eosque noc toto tempore continuis ejulatibus mane, vespere, medio die, domi, foris vocant. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XXVI, pag. 376.

Cap. XXIX. *Decumates agros.* Decumates agri, nunc *la Suabe.* Cùm, sub finem imperii Cæsaris Augusti, Marcomanni, relictis suis sedibus Rheno proximis, in Boiemum migrassent, vacua eorum loca ex Gallis, Rauracis scilicet & Sequanis, levissimus quisque occupavere. Agri illi Decumates inde dicti videntur, quòd incolæ, Germanorum incursionibus obnoxii, ut in Romanorum fidem reciperentur, proventuum decimam solverint. Eos vallo munivit Hadrianus. Vallum Neostadio, *Neustat,* oppido ad Danubium haud procul Almoni, *Altmühl,* fluvii ostiis sito, ad fluvium Nicrum, *le Nekre,* versùs oppidum Wimpinam, *Wimpfen;* per sexaginta leucarum Francicarum spatia continuatum. De Decumatibus agris, valloque, quod iis prætendebatur, plura vide apud eruditum Schoepflin, *Alsatia illustrata,* Tom. I. pag. 174, 241 & seqq.

Cap. XXX. *Ultra hòs Catti.* Ultra Decumates agros Catti, quorum amplissima sedes inter Rhenum, Mœnum, Salamque fluvios & silvam Bacenim, *le Rhin, le Mein, le fleuve Sala, & partie de la forêt de Hartz au-delà du Weser;* ubi nunc *la Hesse, la Turinge, partie du diocese de Paderborn, de l'Abbaye de Fulde & de la Franconie.* Observandum, quod eruditi viri sæpe jam monuere, ea, quæ Julius Cæsar, Florus, Ptolemæus, de Suevis dixere, de Cattis esse intelligenda. Eruditus Leibnitius, *Scriptores Brunsvicenses,* Tom. I. pag. 10, putat Cattos dictos esse a felibus, acerrimo animali quod ab aliis *Catte,* ab aliis *Hesse* nuncupatur.

Cap. XXXI. *Vertit.* Id est, versum est. Sic Quintus Curtius IV, 6. *Ira deinde vertit in rabiem.*

Crinem barbamque. Sic privatâ audentiâ crinem barbamque summisit Civilis, ut videre licet Hist. IV, 61. Sic apud Paulum Warnefridum, Hist. Langobard. III, 7. *Sex millia Saxonum, qui bello superfuerant, devoverunt se, neque barbam, neque capillos incisuros, nisi se de hostibus Suevis ulciscerentur.* Recentior memoria Gulielmi Lumeii ex comitibus a Marcâ, qui se obstrinxit voto *non positurum se antè capillum, quàm Egmontii atque Hornani mortem ultus esset.* Strada, de Bello Belgico, libr. VII. pag. 344.

Pretia

Pretia nascendi. Egregiè dictum. In tot tantasque miserias mortale genus nascitur, ut unicum nascendi pretium sit virtus. Singulare autem & atrox fuit apud Canadenses populos illius Iroquæi, *Iroquois*, dictum, qui cùm patrem suum diverso in exercitu offendisset, eum jugulaturus, restitit, & ait: Vitam quam a te semel accepi, tibi hodie reddo. Noli aliàs occurrere. Nihil tibi jam debeo. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XXI. pag. 309

Impares faciat. Ii sunt Catti, qui quinquaginta & centum circiter pòst annis cum Cheruscorum cis Visurgim, *le Wéser*, reliquiis, cum Attuariis, Sicambris, Chamavis, Bructeris, Chaucis, Francicum fœdus iniere, victisque Romanis, Gallias occupavere. Inde nobis nomen. Inde mores. Inde leges.

Cap. XXXIV. *Immensos insuper lacus.* Ibi jam Romanorum temporibus immensi lacus. Quos majores adhuc fecere plurimæ maris inundationes, ac maximè ea quæ contigit anno 1530, quæ duos ac septuaginta pagos tumulavit. Anno 1569, alia fuit & tetrior exundatio, quæ magnam litoralis Hollandiæ partem, totam fere Frisiam contexit, & vel in solâ Frisiâ viginti millia hominum hausit.

Herculis columnas. Ubi terrarum termini, nec plus ultra, ibi maritimæ gentes finxere Herculis columnas. Quas quidem inquirere vanum est. Quæ tamen apud Frisios celebrabantur, fuere sanè in Frisionum finibus, minimè verò in Sueciâ promontorioque Cimmerio, ut vult eruditus Rudbeckius, *Atlantica.* pag. 251 & seqq.

Cap. XXXVII. *Cimbri tenent.* Manet adhuc eorum nomen, & quas incoluere terras dicimus *la Chersonese, ou la presq'isle Cimbrique*; ubi *le Jutland, Slesvig, le Holstein.* Cimbrorum gloriam variosque casus paucis, sed accuratè, descripsit Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Danemarck*, pag. 13 & seqq.

Parva nunc civitas. Parva quidem tunc erat civitas, migrationibus, inundationibus, bellis, cladibusque exhausta, ut videre est apud Florum III, 3. Sed postea revaluit. Et ex hac gentium vaginâ emersere Franci, Saxones, Normanni, aliique plurimi populi, qui totam ferme Europam juris Germanici fecere.

Servilio Cæpione, Cn. quoque Manlio. Utramque cladem distinxit quoque Florus, III, 3. *Nec primum impetum barbarorum Silanus, nec secundum Manlius, nec tertium Cæpio sustinere potuerunt.* Utramque conjungit Livius in Epitome LXVII. *Ab iisdem hostibus*

(Cimbris)

(Cimbris). *Cn. Manlius, consul, & Q. Servilius Cæpio, proconsul, victi prælio, castris quoque binis exuti sunt.* Dies, quo hæc clades contigit anno Urbis conditæ DCXLIX, inter nefastos relatus est, teste Plutarcho in Lucullo, pag. 510. Uno antè anno Cæpio consul, direptâ Tolosâ, nunc *Toulouse*, abstulerat *argenti pondo centum decem millia*, Gallicæ monetæ libras 7,189,875, *auri pondo quindecies decies centum millia.* At error est in auri numero. Immanis enim summa. Emendandum puto *auri pondo quindecim millia*, Gallicæ monetæ libras 14,175,000. Justin. XXXII, 3.

Cap. XXXIX. *Regnator omnium Deus.* Hæc est prima hominum fides, Regnator omnium Deus, cui cetera subjecta sunt atque parentia. Quò antiquiora sunt & sinceriora gentium monumenta, eò illustrior effulget divinitatis veneratio, maximè apud Scythas, quorum propago erant Germani. At a puro simplicique cultu ita degeneraverant Semnones, ut & secreto silvæ, & cæso homine, barbarè supplicarent.

Centum pagis. Ne existimes fuisse vicos, *des Villages*, sed pagos, *des Cantons.* Vide quæ notata sunt suprà cap. 6.

Cap. XL. *Langobardos.* Augusti principatu Langobardi cis Albim, inter *Lunebourg & Magdebourg*, habitavere. A Tiberio victi, & trans Albim pulsi, Strabo VII, pag. 290. Velleius Patercul. II, 106. Sueton. in Aug. XXI, loca illa tenuere, ubi nunc *Prignitz, Ruppin & partie de la moyenne Marche.* Postea regnum Langobardicum in Italiâ condiderunt, quod, capto rege Desiderio, subactâque Italiâ, a Carolo Magno excisum est anno Jesu Christi 774. Exstant adhuc leges Langobardorum apud Lindenbrogium. Burgundiones hìc omisit Tacitus, quòd tunc sanè parva fuerat eorum civitas. Postea cum Langobardis Decumates agros limitemque Romanum insedere. Inde in Galliam erupere, easque terras occupavere, quas de eorum nomine adhuc dicimus *les Duché & Comté de Bourgogne.* Exstant quoque Burgundionum leges, quas vide apud Lindenbrogium.

Angli. Nunc *partie du Holstein & de Sleswick.* Ibi adhuc est regio *Angeln*, inter *Flensborg & Sleswick.* Sæculo post Christum natum quinto, Angli, comitibus Saxonibus, in Britanniam immigravere, nomenque Angliæ dedere; quo uno facto perennitati suæ meliùs, quàm Suevi Cimbrique consuluere.

Varini. Nunc *la partie Orientale du Mecklenbourg*, circa ripas amnis Varnæ, occupavere. Ibi adhuc oppidulum *Waren*, ad lacum *Muritz* situm. Exstant leges veteres, quæ Anglis & Varinis

rinis communes fuere. Eas vide apud Lindenbrogium & Cl. Leibnitium, *Scriptores rerum Brunsvicensium*, Tom. I, pag. 81.

Herthum. Manet adhuc Germanis vetus nomen; terra appellatur *Erde*. Multi pronuntiant *Erdt*. Quod nonnihil affinitatis habet cum Hebraicâ appellatione ארץ. Invaluit autem apud omnes ferme populos hæc superstitio, ut terram colerent. Apud ipsos Romanos, Sempronius, domitis Picentibus, *Tellurem deam promissâ æde placavit*. Florus I, 19.

Castum nemus. Nemus sanctum & numquam violatum, Terræ deæ sacrum. *Castum* insititium esse, & a margine irrepsisse putat Cl. Ernestus. Alii tentant, *sacrum* vel *vastum* nemus. Fortè Tacitus nemus illud castum dixit, quasi Terræ deæ sacrum. Castum enim de Cibeles religionibus propriè dicebatur. Sic Tertullianus, *de Jejuniis*, cap. 16, *Casto Isidis & Cibeles eas* (nostras xerophagias) *adæquas*.

Penetrali. Dicato nempe vehiculo.

Læti tunc Dies. Olaus Rudbeckius, vir eruditus, sed opiniosissimus, qui Germaniam omnem in suam Scandinaviam transtulit, contendit festum illud brumâ fuisse celebratum, manereque adhuc, & dici *Julifred*, seu pacem Juliam, Rudbeck. *Atlantica*, I, 24. At festum illud *Juul*, non in Terræ, sed in Solis, quem *Thor*, aut *Taranim*, dicebant, honorem agebatur. Seriùs menseque Februario colebatur Terra; ut videre est apud Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Dannemarck*, pag. 81 & seq.

Cap. XLII. *Auctoritate Romana.* Sic Vannium regem, a Romanis datum, vide Annal. II, 63. & XII, 29. Furtium quoque, regem, Quadis postea dedit Antoninus Pius, ut testatur ejus nummus apud Cl. Spanhemium, *de Præstantiâ & Usu Numismatum*, Tom. II, pag. 582. ANTONINVS PIVS AVGVSTVS, capite laureato. In adversâ parte, duo homines stantes. REX QVADIS DATVS. Furtium cùm ejecissent Quadi, Ariogæsum regem sibi constituêre, quem M. Aurelius, Ariogæso infensus, confirmare noluit. Vide Dionem LXXI, pag. 808. Tanta autem erat hac in re auctoritas Romana, ut *Quadi, amisso rege suo, non priùs se confirmaturos eum qui erat creatus*, dicerent, *quàm id nostris placuisset Imperatoribus*. Capitolinus in M. Antonino cap. 14.

Cap. XLIII. *Ea vis numini.* In stellis, quas vulgò dicimus *les feux follets, le feu Saint-Elme*, Castorem & Pollucem venerabantur Romani; ut videre est apud Plinium II, 37. Numen

X quo-

quoque suum in his fatuis ignibus coluisse videntur Naharvali. Illud *Alcin* dixere, fortè a vocabulis *Alff, Alp*, quibus adhuc Genios montium appellant Septemtrionales populi, teste erudito Keyslero, in Antiquitatibus Celticis, pag. 500. Verùm cùm sine ullis simulacris, sine ullo peregrinæ superstitionis vestigio, deos illos, ut fratres, ut juvenes venerarentur Naharvali, minimè crediderim eos fuisse Castorem & Pollucem, Græca Romanave numina. In iis potiùs agnoverim Canadensium deos *Napinoukbeth & Pepounoukbeth*, quos inter ita divisum orbis imperium, ut hic veris & æstatis, ille hiemis sit præses. Alternis temporum vices regunt, & hominum fata moderantur. Vide Creuxium, *Historia Canadensis*, pag. 81. Huc quoque referenda videntur Sarmatarum numina, *Lebus & Polebus*, quorum memoria adhuc manet in conviviis Polonicis. Diodorus Siculus IV, 56, pag. 180. Dioscuros, seu Castorem & Pollucem, a Celtis, Oceani accolis, cultos memorat. Sed isti populi sunt a Naharvalis diversi.

Tincta corpora. Id olim in usu apud gentes plurimas. Idem adhuc viget apud multos Americæ populos. Quidam etiam corporibus suis notas inscribebant. Unde Plinius XXII, 1. *Forma gratiâ ritûsque perpetui, in corporibus suis aliquas exterarum gentium uti herbis quibusdam, adverto animum. Illinunt certè aliis aliæ faciem in populis Barbarorum feminæ, maresque etiam apud Dacos & Sarmatas corpora sua inscribunt.* Tales corporum picturas, a Canadensibus, ut truculentiores videantur, usurpatas, exhibet P. Creuxius, *Historia Canadensis*, pag. 70. Si de hoc usu plura volueris, adi eruditum Pelloutier, *Histoire des Celtes*, Tom. I, pag. 290 & seqq.

Gothones. Supra memoratos populos erant Gothones, ubi nunc *la Pomeranie ultérieure, la nouvelle Marche, la partie Occidentale de la Pologne entre l'Oder & la Vistule.* Diversi sunt a Gothis, de quibus mox dicemus, sed fortè cum iis arma sociavere.

Suionum. Suiones, nunc *la Suede, les isles de Dennemarck, Funen, Langland, Zéeland, Laland*, &c. E Suionibus Cimbrisque emersere Normanni, qui latè terrorem circumtulere, & opimam Galliæ provinciam, de eorum nomine adhuc appellatam *la Normandie*, occupavere. Majus adhuc & audentius Gothorum, Wisigothorum, Ostrogothorum nomen. Ii sunt, qui imperium Romanum perdidere, & Romam tam diu invictam, & æternitatis spe vanam, cepere. Exstant adhuc Wisigothorum leges, sed a solitâ Germanicarum legum simplicitate alienæ.

CAP. XLIV. *Classibus valent.* Atque ita valuere, ut penes eos sit gloria *juris nautici*, cujus leges undecimo post Christum natum

natum sæculo primùm scriptæ sunt in urbe *Wisby*; quæ urbs princeps est insulæ *Gothland*. Unde illa insula meritò appellatur *Oculus maris Baltici*.

Forma navium. Quæ Suionum, eadem adhuc est Canadensium navibus, *les canots*, forma. Utrimque prora paratam appulsui frontem agit. At Canadensium naves sine velis, & cum velis aguntur. Vide P. de Charlevoix, *Lettre* XII, pag. 192.

Velis ministrantur. Meliùs *ministrant*. Notum enim illud Virgilii,

Velisque ministrant.

Nec aliter Lucanus III, 691.

Tela legunt dejecta mari, ratibusque ministrant.

Opibus honos. Opulentissimum Suionum templum memorat Adamus Bremensis, Hist. Eccl. cap. 233. *Nobilissimum illa gens templum habet, quod Ubsola*, nunc *Upsal*, *dicitur, non longe a Sictona civitate*, nunc *Sigtuna*, & *Birca*, nunc *Bioerkoe*. *In hoc templo, quod totum auro paratum est, statuas trium deorum veneratur populus, ita ut potentissimus eorum Thor in medio solum habeat triclinium: hinc & inde locum possident Wodan & Fricco*. E ruderibus urbium Sictonæ & Birccæ exsurrexit urbs regni princeps, *Stockolm*. Nobile autem exemplum, ibi semper fuisse opes, ubi viguit nautica res.

Exceptionibus. Ibi suprema regum potestas: nullæ legum, nullæ libertatis exceptiones. Unde Cl. Spener, *Notitia Germaniæ antiquæ*, V, 7, pag. 177, rectè existimat apud Suionas *regnum fuisse jure hereditario*, non verò datum populi electione. *Nam jus parendi precarium vix non semper regis sequitur electionem*.

Cap. XLV. *Aliud mare*. Quod vulgò dicimus *la mer Glaciale*. Præter quàm quòd Borealis pars sinusque maris Suevici, *la partie Septentrionale de la mer Baltique & les Golfes de Finlande & de Bothnie*, quotannis frigore & glacie ita rigeant, ut sine maximis difficultatibus, teste erudito Rudbeckio, *Atlantica*, pag. 323, navibus adiri non possint; Suionibus, qui classibus valebant, compertum quoque fuit mare glaciale, quod, ultra gradum 81, æstate vel hieme, nullas naves admittit. Vide eumdem Rudbeckium, loc. cit. pag. pag. 359.

Hinc fides. Parum appositè ad astronomicas rationes. In his enim terrarum finibus extremus cadentis Solis fulgor usque in ortus, vel in ortum, edurat, non quòd ibi sit naturæ terminus, sed quòd terræ ibi protendantur ad gradum 72, ac proinde ultra circulum polarem Arcticum, sub quo, vi Solaris cursûs, viginti quatuor

quatuor horas lucefcit. Hac de re fi plura volueris, vide eruditum Varenium, *Geographia generalis*, II, 25.

Audiri. Ut ferrum candens, fic Solem ftridendo aquas fubire opinabantur. Unde Juvenalis, Satyr. XIV, 280.

Audiet Herculeo ftridentem gurgite Solem.

Idque vulgare apud Poetas, cùm occafum Solis defcribunt.

Tantum natura. Ita de Oceano Indico Quintus Curtius IX, 9, ait *ne naturam quidem longiùs poffe procedere*. Nunc verò fama illa non eft verà : ultra terras Suionibus habitatas cognitafve, novæ innotuere terræ, *le Spitzberg*, *la Groenlande*, &c. necdum tota patet natura. Utinam aufpicatis tot gentium, nauticâ arte celeberrimarum, navigationibus aliquando pateat! Quì enim naturæ intima fcrutabimur, fi ne extima quidem cognoverimus?

Britannicæ proprior. Quòd Æftii, in extremis Germaniæ finibus pofiti, linguam Scythico-Celticam, quæ apud Britannos diu viguit, retinerent; ut rectè obfervat Cl. Dithmarus.

Formas aprorum. Manent adhuc hujus fuperftitionis multa veftigia in Sueciâ, *la Suede*. Ruftici, illo ipfo tempore quo facrum Freæ menfe Februario olim peragebatur, panem formâ verris, in multos fuperftitiofos ufus paratum componunt. Quod vide apud eruditum Eccardum, *de Rebus Franciæ Orientalis*, Tom. I, pag. 409.

Glefum. Sic adhuc vitrum, quòd pellucidum fit, a Germanis *Glas* appellatur. Plinius autem XXXVIII, 3. *Certum eft* fuccinum *gigni in infulis Septemtrionalis Oceani, & a Germanis appellari gleffum : itaque & a noftris unam infularum ob id Gleffariam appellatam, Germanico Cæfare ibi claffibus rem gerente, Auftraviam a barbaris dictam.* Ibi multa de fuccino. Quæ inter, memorat Plinius maximum pondus glebæ fuccini, Nerone Principe allatum, fuiffe *XIII librarum*.

Jacebat. Adeò vile, ut Guttones, qui illud æftuarium olim incolebant, *pro ligno ad ignem* uterentur fuccino, *proximifque Teutonis* venderent, Plin. XXXVII, 2.

Luxuria noftra. Inde enim apud Romanos e fuccino monilia, anuli, nummi, pocula, auctore Plinio loc. cit. Fuere & columnæ, de quibus Claudianus, de Rapt. Proferpin. I, 154.

Atria cingit ebur, trabibus folidatur ahenis
Culmen, & in celfas furgunt electra columnas.

Tranfit quoque in theatra fuccinum, Nerone Principe. Vide Plinium, loc. cit. cap. 3.

Succum

Succum tamen arborum. Alii postea succinum inter bituminum saliumque species annumeravere; quorum sententiæ favere videbatur succinum fossile, in agris Prussicis passim obvium: repertum quoque in Saxoniâ prope oppidum *Schmideberg*, aliisque in locis a mari dissitis. Sunt tamen adhuc & plurimi, qui succinum esse succum arborum pinearum ac popularum volunt; quâ de re ingeniosas ac probabiles conjecturas nuper edidit Cl. Formey.

Interlucent. Araneas, formicas, apes, aliaque id genus, succino clausa, ut rectè explicat Tacitus, sæpe vidimus. At circumferuntur quoque lacerti, aliaque majora animalia succino implicita, non naturæ lusu, sed circulatorum fraudibus, qui his monstris pecuniosos & ignaros homines argento emungunt.

Orientis secretis. Bene accuratéque dictum, quia inter secreta habebantur colebanturque thura ac balsama. De thure Arabiæ vide Plinium XII, 14. De Judææ balsamo diximus Hist. V, 6.

In adversa litora. E proximo Suionum mari in adversa Æstiorum litora vi tempestatum succinum propellebatur.

Olentem. Succinum attritu odorâque flammâ pinum redolet.

Cap. XLVI. *Sede ac Domiciliis.* Sedem domiciliaque figebant Peucini. Contrà Sarmatæ in plaustro equoque vivebant.

Conubiis mixtis. Peucinorum proceres conubia miscebant cum Sarmatis, & in Sarmatarum habitum moresque fœdabantur.

Venedi. Venedi ultra Peucinos & Bastarnas ad Suevicum usque mare, *la mer Baltique*, protendebantur. Venedorum memoriam adhuc retinet Sinus Venedicus, nunc *le Golfe de Dantzig*. Manet quoque nomen in *Wenden*, quæ pars est Livoniæ. Cùm Germanorum gentes plurimæ in Italiam, Galliam, Hispaniam irrupissent, Venedi, dicti quoque Winedi, vacuas sedes occupavere inter Vistulam & Albim. Inde Danubium trajecere, Dalmatiam, Illyricum, Istriam, Carnos, Noricasque Alpes tenuere. De eorum nomine pars Carniolæ adhuc dicitur *Windismarck*. Ob celebritatem nobilitatemque cognominati sunt Slavi, latissiméque viget eorum lingua, *la langue Sclavonne*, de quâ eruditè disseruit Cl. de Peyssonnel, *Observations Historiques & Géographiques sur les peuples barbares*, pag. VII & seqq.

In plaustro equoque. Sic & hodie vivunt Sarmatarum reliquiæ, *les Tartares, les Nogaïs.*

Fennis. Eorum regio a Plinio IV, 13, dicitur *Eningia*. Fortè meliùs legeretur *Feningia*. Hodie *la Finlande*. Fennorum feritatem paupertatemque describit Warnefridus, de Gestis Langobar-

bardorum I, 5. *Seritobini*, potiùs *Scritofinni*, ... *æstatis tempore nivibus non carent, nec aliis, utpote feris ipsis ratione non dispares, quàm crudis agrestium animantium carnibus vescuntur; de quorum etiam hirtis pellibus sibi indumenta coaptant. Hi a saliendo, juxta linguam barbaram, etymologiam ducunt: saltibus enim utentes, arte quadam ligno incurvo, ad arcûs similitudinem, feras adsequuntur.* In his saltibus, in incurvo arcuatoque ligno, agnoscere est Canadenses soleas, quas vulgò dicimus *les raquettes*. Earum descriptionem vide apud P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XIV, pag. 221.

Securi. Sic Seneca, Ep. XVII, commendat paupertatem, quâ *promittitur perpetua libertas, nullius, nec hominis, nec Dei timor.* De interritâ Canadensium securitate, cùm suprema vitæ instant, vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XXVI, pag. 372.

Ne voto quidem. Illis natura sufficit. Inde ne voto quidem opus, *quia natura minimum petit*, Senec. loc. cit.

Hellusios & Oxionas. Ultra Fennos Hellusii & Oxiones, nunc *la Laponie*. Cùm in his frigidissimis regionibus homines horrerent hirsutis ferarum pellibus, dicti sunt ora hominum, corpora artusque ferarum gerere; communi errore, & apud nos etiam in longinquarum peregrinationum narrationibus vulgato. Adde moris esse apud barbaros imitari sonos ferarum, ut terreant & fallant. Vide P. de Charlevoix, *Histoire & Description générale de la nouvelle France*, Libr. I, pag. 16 & seqq.

In medium relinquam. Bene egregiéque factum. Fabulas enim prodidisset Tacitus, quales Mela, Plinius, aliique plurimi, etiam recentiores. Nunc verò aliquid de toto hoc libro summatim observare juvat. Compertum enim mihi videtur, & omnibus perspectum erit, ut opinor, Tacitum nihil de Germanorum moribus scripsisse, quòd cum naturâ & veritate non consentiat. Si enim, ut quibusdam placuit, ingenio suo indulsisset Tacitus, ut Germanorum mores fingeret potiùs, quàm referret, Romanos carpendi cupidus; quomodo mores illi Germanorum cum Canadensium moribus, qui vigent adhuc, nobisque sunt perspectissimi, concordant? Quomodo mores illos Germanorum, in veteribus legibus, Salicâ, Ripuariorum, Burgundionum, Anglorum, Langobardorum, aliorumque, superstites deprehendimus? Quomodo, post tot tantasque sæculorum atque imperiorum vices, mores illos, illos usus tamdiu retinuere, hodieque magnâ ex parte retinent immensæ & diversæ Germanorum, Francorum, Anglorum gentes? Quotquot vivimus, & annales nostros, nostras leges, nostros usus novimus, huic libro fidem facimus. Utinam faciamus semper, Germanicasque virtutes, novis & majoribus in dies virtutibus, cumulemus!

At

At in hoc libro mores Romanos, vel silens, passim carpit Tacitus, Verè quidem & bellè. Hoc est enim optimi cujusque scriptoris officium, hæc cura, hæc laus, ad ætatis suæ mores, sine adulatione, sine offensione, animum advertere, eosque pro suis viribus ad meliora promovere. Nihil ultrà addidero. Si quis autem, quantum Germanici moris retinuerimus, voluerit paucis cognoscere, elegantissimam legat dissertationem, cui Cl. de Vertot titulum fecit: *Dissertation dans laquelle on tâche de démêler la véritable origine des François, par un parallele de leurs mœurs avec celles des Germains.* Vide *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Tom. II, pag. 567 & seqq.

PRÆSIDES

PRÆSIDES BRITANNIÆ

ab anno Urbis conditæ DCCXCVI, *Jesu Christi* 43, *ad annum Urbis conditæ* DCCCXXXVIII, *Jesu Christi* 85.

AVLVS PLAVTIVS, Vit. Agr. XIV. Supplement. Annal. IX, 50 & seqq. XI, 3.

OSTORIUS SCAPVLA, Vit. Agr. XIV. Annal. XII, 31 & seqq. Supplement. Annal. XI, 3.

AVLVS DIDIVS GALLVS, Vit. Agr. XIV. Annal. XII, 40. XIV, 29.

Q. VERANIVS, Vit. Agr. XIV. Annal. XIV, 29.

SVETONIVS PAVLLINVS, Vit. Agr. XIV & seqq. Annal. XIV, 29 & seqq.

PETRONIVS TVRPILIANVS, Vit. Agr. XVI. Annal. XIV, 39.

TREBELLIVS MAXIMVS, Vit. Agr. XVI. Hist. I, 60 & seqq.

VETTIVS BOLANVS, Vit. Agr. XIV. Hist. II, 65.

PETILIVS CERIALIS, Vit. Agr. XVII.

IVLIVS FRONTINVS, Vit. Agr. XVII.

CNAEVS IVLIVS AGRICOLA, cujus nomen virtutesque immortalitati scriptis suis tradidit Tacitus.

Brotier ad voces " præerat tunc Britanniæ" cap. VIII. Vit. Agric.

IN VETERES GALLORUM GLORIAS.

Cum in priore Taciti editione, prisca tot gentium monumenta illustraverim, ne nostrorum incuriosus videar, hìc juvat veteres Gallorum glorias explicare. Egregium argumentum, nostrarum tamen rerum scriptoribus intactum. Ita apud eos invaluit Francorum nomen, ut Gallorum prorsus obliviscantur. At sumus naturâ Galli, atque etiam ante Francorum expeditionem nobilissimi. Haud diffiteor post expeditionem in multis apud nos invaluisse Francorum leges. At manet semper Gallica natura, Gallicum ingenium, Gallici mores; idque ita nobis insitum, ut, quæ suâ ætate de Gallis scripsit Julius Cæsar, apud nos adhuc vigeant, & post tot tantasque sæculorum, bellorum, imperiorumque conversiones maneat semper Gallica indoles, cùm Gallico sanguine semper mansura.

In veteres Gallorum glorias.

Arctissima erat anno Urbis conditæ cxl, ante Christum 614, sub Tarquinio Prisco Romana res, cùm florentissimum jam vigebat Gallorum regnum. Summa imperii tum fuit penes Bituriges, *le Berry*. Ii regem dabant, qui Celtico, seu omni Galliæ, imperitaret; eaque erat regni felicitas, ut in terrâ frugum hominumque fertilissimâ abundans multitudo vix regi posse videretur. Ambigatus rex, virtute fortunâque cùm suâ tum publicâ præpollens, & magno jam natu, exonerare prægravante turbâ regnum cupiit. Bellovesum ac Sigovesum, sororis filios, impigros juvenes, monuit, ut sortirentur novas terras, quas quærerent; permisitque quantum ipsi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere advenientes posset. Sortes Sigoveso Hercynios saltus, Belloveso Italiam adsignavere.

Fortunam cùm ita essent sortiti, Bellovesus, quod eis ex populis abundabat, Bituriges, Arvernos, Senones, Æduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos excivit, nunc *le Berry, l'Auvergne, les Diocèses de Sens & d'Auxerre, la Bourgogne & le Nivernois, le Mâconois & la Bresse, le pays Chartrain & l'Orléanois, le Maine & le Diocèse d'Evreux*. Profectus ingentibus peditum equitumque copiis, in Tricastinos, *les Diocèses de Valence & de Saint-Paul-trois-châteaux*, venit.

venit. Alpes oppositæ erant, nullâ dum viâ (nisi cui de Hercule fabulis credere libet) superatæ. Galli, duce Belloveso, Taurino saltu, *le mont Cénis*, eas transcenderunt ; fusisque Tuscis, *les Toscans*, qui quidquid est Alpes inter & Padum, *le Pô*, obtinebant, haud procul Ticino flumine, *le Tésin*, consedêre. Audito agrum Insubrium appellari, cognomine Insubribus pago Æduorum, ibi, omen sequentes loci, condidere urbem, & Mediolanum, *Milan*, appellarunt. Livius V, 34.

Cenomani, *ceux du Maine*, favente Belloveso, duceque Elitovio, eodem saltu secuti, locos occupavere, ubi nunc Brixia ac Verona, *Brescia & Verona*, urbes sunt. Salluvii, *ceux des environs d'Aix en Provence*, exemplo & fortunâ invitati, non adeò tamen progressi, circa Ticinum amnem, *le Tésin*, incoluere. Boii & Lingones, *partie de la Franche-Comté & le Diocèse de Langres*, Pœnino saltu, *le Grand Saint-Bernard*, Alpes transgressi sunt ; at cùm jam inter Padum, atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruscos modò, *les Toscans*, sed etiam Umbros, *ceux de l'Ombrie*, agro pellunt : intra Apenninum tamen, *l'Apennin*, se tenuere. Tum Senones, *ceux de Sens & d'Auxerre*, recentissimi advenarum, cùm cuncta occupata reperissent, ultra progredi coacti sunt, sedesque posuere ab Usente flumine, *Montone*, prope Ravennam, ad fluvium Æsim, *Esino*, haud procul Anconâ. Livius V, 35.

Huc usque protendebatur Cisalpinorum Gallorum imperium, ducentisque ferme abhinc annis non modò Italiæ dominabantur, sed eam inexhaustâ fecunditate oppleverant, cùm Senones, quæsitis in Etruriâ, *la Toscane*, novis sedibus; Clusium, *Chiusi*, obsedere, Romæ imminentes. Ob commune periculum, missi Romanorum legati, a Clusinis acciti, qui quærerent quodnam id jus esset agrum a possessoribus petere, aut minari arma. Respondêre Galli se in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse. Cúmque legati, contra jus gentium, arma capere essent ausi, Gallorumque legatio Romam missa, ut eam injuriam quereretur, indignè fuisset excepta, Galli, irâ succensi, Clusinos omittunt, & concitato agmine Romam petunt, Brenno duce, anno Urbis conditæ CCCLXIV, ante Christum 390. Victi ad Alliam flumen, *Torrente di Catino*, Romani. Capta Roma : ferme expugnatum Capitolium ; & a victoribus Gallis factum populi Romani pretium mille pondo auri : Gallicæ monetæ libræ sunt 94,000. Livius V, 35 & *seqq.* Plinius XXXIII, 1, *sect.* 5.

Haud illætior fuerat Sigovesi fortuna. Occupatâ Hercyniâ silvâ, quæ maximam Germaniæ partem tum obtinebat, Galli, quos inter insignes erant Volcæ Tectosages, *le Diocese de Toulouse*, per strages barbarorum, Illyricos sinus, *la Carniole*, *la Slavonie*, penetravere,

con-

consedèreque in Pannoniâ, *la Hongrie, l'Autriche*. Domitis Pannoniis, per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Ibi cùm gens aspera, audax, bellicosa, numero & fortunâ crevisset, novam laudis materiem ampliorésque opes quæsivit. Petita, Cambaule duce, Thracia, *la Romanie*; eâque vastatâ, Galli spoliis onusti, Pannoniam vicinasque sedes repetiere. Pausanias, in Phocicis, libr. X; *p*. 843.

Nec diuturna fuit quies; iterumque recrudescente belli & prædæ cupidine, Galli tres in partes exercitum dividunt anno U. C. CCCCLXXIII, ante Christum 281. Pars, Bolgio duce, Macedoniam aggressa est; annoque sequenti, victo acie & interfecto Ptolemæo Ceraunо, Macedonum rege, nondum ausi Græciam ingredi, suas in sedes rediere. Pars altera, Brenno (Is Brenno Romanorum victore junior.) & Acichorio ducibus, universæ Græciæ minas intentabat: direptâ Ætoliâ, *Ulakia dans la Grece*, Delphos, locum immensis thesauris ob Apollinis religionem clarissimum, petebat. Græcia, religionis, gloriæ, opum discrimine commota, Brenno obviam iit. Ad Thermopylas Parnassumque montem Delphis, *Castri*, vicinum, victus est: tanta tamque atrox tempestatum, fulminum, frigorumque vis terræ motu exorta est, ut ingens ejus exercitus deletus occubuerit, vixque superstes fuerit, qui cladis nuntium ferret. Brennus, confectus vulneribus, largiùs hausto vino, sibi vitæ finem, & cladis solatium fecit anno Urbis conditæ CCCCLXXVI, ante Christum 278. Pars tertia, Brenno concors, & cum eo in Dardanos, *la Servie*, usque profecta, ibi militaribus diffidiis meliorique fato ab eo divulsa, Thraciam repetiit, ducibus Leonorio & Lutario: Byzantium, *Constantinople*, occupavit, oram Propontidis, *la Mer de Marmara, ou la Mer Blanche*, vectigalem habuit, ejusque urbes obtinuit. Tum auditâ Asiæ ubertate, cupido invasit in eam transeundi. Lysimachia, *Hexamili*, fraude capta; Chersonesoque omni possessâ, ad Hellespontum, *le Détroit des Dardanelles*, ventum est. Ibi Lutarius, Macedonibus, quos per speciem legationis Antipater, præfectus ejus oræ, ad speculandum miserat, duas tectas naves & tres limbos adimit: his alios atque alios dies noctesque transvehendo, intra paucos dies omnes copias trajicit, anno Urbis conditæ CCCCLXXVII, ante Christum 277. Jam Leonorius, exoratus a Nicomede Bithyniæ rege ut ipsi opem ferret, a Byzantio transmiserat. Coeunt Lutarius & Leonorius, auxilia Nicomedi dant adversùs Zybœam, qui partem Bithyniæ tenebat: eorum maxime operâ devictus Zybœa est, Bithyniaque omnis, *la partie Occidentale de Bursia*, in ditionem Nicomedis concessit. Pausanias, *loc. cit.* Polyb. libr. IV, *pag*. 436. Livius XXXVIII, 16.

IN VETERES GALLORUM GLORIAS.

Victores Galli, & de Nicomede optime meriti, profecti ex Bithyniâ in Asiam processerunt. Nec plus ex viginti millibus hominum, quàm decem millia armata erant; tamen tantum terroris omnibus, quæ cis Taurum montem incolunt, gentibus injecerunt, ut quas adiissent, quasque non adiissent, pariterque ultimæ propinquis imperio parerent. Nova eorum dominatio de eorum nomine Gallogræcia, Galatiave, nuncupata est. Vectigalemque Asiam ita inter se divisere, ut Troemis Hellespont ora data sit, Tolistoboii Æolida atque Ioniam, Tectosages mediterranea Asiæ sortiti sint, & stipendium totâ cis Taurum Asiâ, *la Natolie*, exigebant. Sedem autem ipsi circa Halyn flumen. *Kisil Ermak*, ceperunt; tantusque terror eorum nominis erat, multitudine etiam magnâ sobole auctâ, ut Syriæ quoque ad postremum reges stipendium dare non abnuerent. Immo ita penes Gallos fuit in Oriente belli pacisque arbitrium, ut, cùm eorum juventus quàm maximæ fecunditatis Asiam omnem velut examine aliquo implesset, neque reges Orientis, teste Justino, sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserint: neque pulsi regno ad alios quàm ad Gallos confugerint. Isque erat terror Gallici nominis, & armorum invicta felicitas, ut aliter neque majestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallicâ virtute arbitrarentur. Livius, *loc. cit.* Justinus XXV, 2.

Quot quantisque postea in Asiâ, in Europâ, victoriis atque cladibus exercita fuerit virtus Gallica, quas novas terras quæsierit, quomodo cum Hiberis, *la partie Occidentale, de la Castille nouvelle & une grande partie de l'Aragon*, fortissimis Hispaniæ populis, arma, nomen, sanguinemque sociaverit, quantum inclaruerit Celtiberorum nomen, quæ fuerint Gallorum cum Britannis, cum Germanis commercia, prodere immensum foret, & nostræ dissertationis fines longè egrederetur. At satis sit veteres Gallorum glorias indigitasse. Verùm quod in antiquâ Historiâ utilissimum est, ad recentiorem memoriam animum revolvamus, & in tantis rerum sæculorumque vicissitudinibus eumdem in Gallis animum recognoscamus. Inde irrequieta illa Caroli Magni virtus, quæ tot bellis periculisque tanta tamque disjuncta terrarum spatia nobilitavit. Inde tantis Gallorum animis quæsitum ac fundatum a Godefrido de Bouillon, Herouum maximo, Hierosolymitanum regnum. Inde toties a nostris regibus nobilitateque Gallicâ tentata Ægyptus, occupatum Constantinopolitanum imperium, Asia Gallicis dominationibus respersa. Inde tot bella per Italiam gesta. Inde cùm acerrimis Ferdinandi & Caroli V judiciis adserta est publica tranquillitas, & politicis ponderibus librata Europa, nec jam ullus superfuit bellicis incursionibus locus, Galli irrequietâ suâ mobilitate aguntur semper & circumaguntur; atque,

licet

licèt patriam suam plurimùm faciant, externam quamque plerumque spernant, militiâ tamen, artibus, literis, commerciis, ministeriis denique omnibus utuntur & quandoque abutuntur, ut totum pervagentur orbem, ita ut, maximè in Europâ, non urbs, non oppidum, sæpe ne unus quidem sit vicus, in quo Gallus aliquis non occurrat. Inde, si bellici facinoris, bellicæ gloriæ spes uspiam adfulgeat, statim prætervolat Gallus, nec locorum intervallis, nec periculorum difficultatibus deterritus, ut recèns vidimus, cùm exiguissima Gallorum manus, duce viro avitis Boiis, *ceux du Bourbonois*, qui totum ferme orbem militaribus suis expeditionibus perlustrarunt, animo & virtute simillimo, Cracoviam expugnavit, &, quod ferme incredibile, tamdiu servavit. Adeò in Gallico sanguine constans & suî similis natura.

DE EUNUCHIS.

Ob novam illam imperii Romani labem, haud inutile erit de eunuchis disserere; quod in priore editione non licuit ob notarum in hac operis parte angustias, nec nobis suppetebant egregia eruditionis Sinicæ monumenta, quæ ab urbe *Peking* recèns accepimus, & cum viris eruditis libenter communicamus.

De Eunuchis.

Grande, licèt ignobile, in veteribus historiis eunuchorum nomen. Diu pervulgata per Orientis regna eorum auctoritas, in imperio Romano tandem invaluit, cùm Principes quælibet regum libita æmularentur, &, quantò magis insolescerent, tantò plus dominationis adeptos se esse gloriarentur. Ut illud fortunæ portentum cognoscatur, expendam quando in orbe cœperit eunuchorum conditio, unde orta, quis primò fuerit eorum status, quæ deinde fortuna, qui mores, quæ varia demum fata.

Antiquissimam

DE EUNUCHIS.

Antiquissimam esse eunuchorum conditionem evincit Sacra Scriptura, quæ Putipharem, validissimum in aulâ Pharaonis, Ægypti regis, eunuchum, & principem exercitûs, tempore Joseph, filii Jacob, memorat. Genes. XXXIX, 1. Tanta eunuchi fortuna probat ad antiquiora tempora pertinere eorum nomen. Suffragantur quoque vetustissima imperii Sinensis monumenta, quæ ipsâ ætate regis *Yao*, qui vivere desiit anno 2258 ante Christum, eunuchos commemorant.

At eorum origo nos lateret, ni jam laudata Sinensia monumenta lucem in hac obscuritate prætulissent. Iis enim edidicimus originem eunuchorum, ut tale decebat humanitatis propudium, fuisse infamiam. Nempe, ubi primùm conditæ sunt hominum societates, erupere vitia, ac modò pòst crimina. Non statim ventum ad supplicia. Placuit pudorem experiri, quo coerceri posset reorum improbitas. Indita sunt ergo criminum reis quædam signa, & jussi sunt vestes certis coloribus distinctas induere, tum ut dignoscerentur & ab iis præcaveretur, tum ut ipsos suî puderet & in melius verterentur. Duravit usus dum fuit & securitatis & pœnitentiæ spes. At cùm improborum hominum natura, aliquandiu pudore coercita, levitate pœnæ insolescere cœpisset, excogitata supplicia. Quæ inter quartum memoratur a vetustissimis scriptoribus Sinensibus virilitatis ademptio. Eaque erat pœna, quæ calumniæ, impudicitiæ, proditioni infligebatur.

Ut originem, ita quoque primum eunuchorum statum nos docent Sinensia monumenta. Haud satis visum eunuchos virilitate exui, conditi sunt in interioribus palatii imperatorum Sinensium partibus aliisque eorum domibus, ut vilia & difficilia quæque ministeria obirent; &, cùm infames essent, prodire in imperatoris conspectum prohibebantur: ideoque iis maximè credita officia apud uxorem & concubinas imperatoris.

Illas infamiæ angustias apud Ægyptios citò egressi sunt eunuchi, cùm Putipharem exercitûs principem jam suprà memoraverimus. At in Sinensi imperio, ubi plurimùm semper valuit antiquitatis reverentia, per multa sæcula duravit eunuchorum squalor. Per scelus tandem eum exuêre, cùm, famosa in Annalibus Sinensibus imperii pestis, *Pao See* concubina imperatoris *Yeou Ouang*, qui regnare cœpit anno 781 ante Christum, usa artibus eunuchi, adegit imperatorem uxorem suam legitimam repudiare, ejusque filium imperatorio jure orbatum pronuntiare, ut ipsa in imperatoriæ uxoris dignitatem, ejusque filius in hereditatis spem adsumeretur. Ubi votorum fuit compos, non solùm eunucho de se bene merito gratam ac memorem se præstitit, eumque palatio præposuit, sed & eunuchos ad plurima

& præcipua

& præcipua palatii ministeria adhibuit. Viguit postea, ut apud Orientis, sic apud Sinarum populos eunuchorum fortuna. Imperatores Romani cùm pro imperii fastigio omnes externarum dominationum libidines in se complecterentur, eos quoque cepit eunuchorum furor: ac tandem visus sub Claudio Principe Posides eunuchus, militaria insignia superbè ostentans, inter præclarissimos militiæ duces Capitolium adire. Ne optimus quidem Princeps Titus, sed Orientis deliciis assuetus, ab illo eunuchorum amore abstinuit. Pessimus Domitianus non recti honestique curâ, sed adversùs fratrem invidiâ, eunuchos sustulit. Post ejus cædem abrogata sunt ejus decreta. At melior vindex virtutisque adsertor, egregius Princeps Nerva vetuit ne quis toto imperio Romano eunuchus fieret. Dio LXVII, pag. 759. LXVIII, pag. 770. Lex digna Principe sapientissimo, & humanitatis virtutisque studiosissimo. Viguit sub optimis Principibus, qui auspicatissima Nervæ tempora sunt secuti. Postea, labentibus annis & moribus, mollita est; sancitumque ut *qui hominem invitum, libidinis aut promercii causâ castraverit, castrandumve curaverit, sive is servus, sive liber sit, capite* puniretur. *Honestiores, publicatis bonis, in insulam* deportarentur; ut videre est apud Julium Paulum, Sentent. Recept. libr. V, Tit. 23. *Ad legem Corneliam de Sicariis & Veneficis*, leg. 13. Et in hac temporum mollitie visus est sub Severo Principe Plautianus, privatus homo, sed luxu & opibus par Principibus, qui centum ingenuis Romanis virilitatem ademit, ut filia sua Plautilla, quam Antonino Caracallæ despondere parabat, musicos aliosque artium magistros eunuchos haberet. Dio LXXV, p. 857. Manent adhuc vel in hac nostrorum temporum sapientiâ & religione ejus mali reliquiæ. Ea enim est dulcibus vitiis natura, ut semper vetentur, semper retineantur.

De moribus autem eunuchorum idem est penes Sinenses scriptores, quod apud ceteros populos, judicium. Consentiunt omnes iis plerumque cuncta esse utriusque sexûs vitia, nullam alterutrius virtutem. At cùm numquam tanta sit hominum pravitas, ut paucos saltem honestas non retineat, reperiuntur quandoque eunuchi qui virtutibus præcellant. Hos inter mos est regibus Orientis deligere, quos sibi comites assiduos adesse jubent. Tales sunt apud imperatorem Sinensem, qui *Yu Kien* appellantur, id est *eunuchi e conspectu*; quòd a conspectu Principis non recedant. Tales septem fuisse apud Assuerum manifestum est ex libro Esther I, 11. In ministeriis autem imperatoris Sinensis vulgò numerantur decem millia eunuchorum, tum penes imperatorem, tum penes principes regii sanguinis, quibus plures paucioresve sunt eunuchi pro ratione suæ dignitatis. Tanta autem ibi est eunuchorum libido,

ut multi audeant & uxores & concubinas habere. Adversus hoc flagitium lata quidem est lex a dynastiâ, quæ nunc Sinis imperat. Verùm occulta gliscit libido, & mendacibus sororum aut propinquarum nominibus obtegitur.

Superest ut varia evolvam eunuchorum fata. Antiquitus in pœnam criminis ortam esse infamem eorum conditionem superiùs dixi. Circa Christi tempora, cùm dynastia *Han* Sinis imperaret, desiit castratio inter supplicia haberi. Tum accesserat favor & fortuna; multisque volupe erat vel per sui corporis detrimentum eam ambire: parentes etiam nobiles aliquem liberorum suorum ultro ac libenter ei destinabant, ut auctoritate in aulâ valerent. Sed cùm proclive sit hominibus maximè imbellibus turpibusque fortunâ abuti, eunuchi iis in regnis ubi præpotuere, ita pro arbitrio & libidine cuncta vertêre, totiesque Principibus ruinam creavere, ut, licèt eorum conditio ad pœnam criminis non sit revocata, multisque ministeriis per Orientis regna superbiant, in ignobilitatis tamen & infamiæ ordine retineantur. Nec jam ubique fiunt eunuchi, nisi egestate ac necessitate compulsi. Apud Sinas, cùm eunuchi omnes ad Principem pertineant ejusque sint juris, nec ab aliis judicibus in eos sententia ferri possit, reperiuntur scelerum rei, qui, ademptâ sibi virilitate, impunitatem quærant. Illi eunuchi appellantur *Pan lou*, id est *dimidiâ viâ*; & sunt numero pauci, nequitiâ fœdissimi. Quod singulare est in hac eunuchorum infamiâ, in palatio ministri templorum, *des Pagodes*, sunt eunuchi; & pro variis religionibus sunt eunuchi Bonzii, *Bonzes*, eunuchi *Tao See*, eunuchi *Lama*. Constantinopoli apud Turcarum Imperatorem eunuchi colore distinguuntur. Albi penes Principem, nigri penes feminas serviunt. Eorum ducibus, *Kapou Aga* inter albos, *Kislar Aga* inter nigros, quàm maxima est auctoritas.

Hæc sunt quæ cùm de eunuchis comperta haberem, omitti nolui, ut loca multa tum sacræ tum profanæ antiquitatis obscura & intellectu difficilia illustrarentur.

Brotier ad voces " Posidi, eunucho" cap. IV. supplement. lib. X. Annal.

CLAUDII

ORATIO CLAUDII PRINCIPIS.

Ut Galli jus senatorum in Urbe adipiscerentur. Simul de Galliarum censu agitur.

CLAUDII oratio adhuc exstat Lugduni, ære incisa, erudita magis, quàm eloquens. Quantum Tacitus ingenio suo indulserit, ut eam historiâ dignam faceret, Lector judicet.

Orationis initia desunt. Manent tantùm laceræ voces: "mæ "rerum nostr. . . . sii" . . .

Mox: "Equidem primam omnium illam cogitationem hominum, "quàm maximè primam, occursuram mihi provideo. Deprecor ne, "quasi novam, istam rem introduci exhorrescatis; sed illa potius "cogitetis, quàm multa in hac civitate, nova sint, & quidem statim "aborigine urbis nostræ; in quod (*lege*, quot) formas statusque "publica nostra diducta sit."

"Quondam reges hanc tenuere urbem; nec tamen domesticis "successoribus eam tradere contigit. Supervênere alieni, & quidam "externi, ut Numa Romulo successerit, ex Sabinis veniens, vicinus "quidem, sed tunc externus: ut Anco Marcio, Priscus, Tarquinius. "Propter temeratum sanguinem (quòd patre Demaratho Corinthio "natus erat, & Tarquiniensi matre generosâ, sed inopi, ut quæ tali "marito necesse habuerit succumbere) cùm domi repelleretur a ge- "rendis honoribus; postquam Romam migravit, regnum adeptus "est. Huic quoque & filio, nepotive ejus, (nam & hoc inter auc- "tores discrepat) insertus Servius Tullius; si nostros sequimur, "captivâ natus Ocresiâ; si Tuscos, Cælii quondam Vivennæ so- "dalis fidelissimus, omnisque ejus casûs comes. Postquam variâ "fortunâ exactus, cum omnibus reliquiis Cæliani exercitûs, Etruriâ "excessit, montem Cælium occupavit; & a duce suo Cælio ita ap- "pellitatus, mutatoque nomine, (nam Tuscè, *Mastarna* ei nomen "erat) ita appellatus est, ut dixi; & regnum summâ reip. utilitate "obtinuit. Deinde postquam Tarquinii superbi mores invisi "civitati nostræ esse cœperunt, quà ipsius, quà filiorum ejus, nempe "pertæsum est mentes regni; & ad consules, annuos magistratus, "administratio reip. translata est."

"Quid nunc commemorem dictaturæ, hoc ipso consulari, im- "perium valentius, repertum apud majores nostros, quo in asperi- "oribus bellis, aut in civili motu difficiliore uterentur? aut in auxi-

" lium plebis creatos tribunos plebei? Quid a consulibus ad de-
" cemviros translatum imperium; solutoque postea decemvirali
" regno, ad consules rusus (*lege*, rursus) reditum? Quid in pluris (*id est*, plures) distributum consulare imperium, tribunosque militum, consulari imperio, appellatos, qui seni & sæpe octoni crearentur? Quid communicatos postremò cum plebe honores, non imperii solùm, sed sacerdotiorum quoque? Jam si narrem bella a quibus cœperint majores nostri, & quò processerimus, vereor ne nimiò insolentior esse videar, & quæsisse jactationem gloriæ prolati imperii ultra Oceanum. Sed illoc potiùs revertar."

"Civitatem. . . . . sanè . . . novo . . . divus. Aug . . . no . . . lus & patruus Tib. Cæsar, omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum, bonorum scilicet virorum & locupletium, in hac curiâ esse voluit. Quid ergo, non Italicus senator, provinciali potior est? Jam vobis, cùm hanc partem censuræ meæ adprobare cœpero, quid de eâ re sentiam, rebus ostendam; sed ne provinciales quidem, si modò ornare curiam poterint, reiciendos (*id est*, rejiciendos) puto."

"Ornatissima ecce colonia, valentissimaque Viennensium, quàm longo jam tempore senatores huic curiæ confert! ex quâ coloniâ, inter paucos, equestris ordinis ornamentum, L. Vestinum familiarissimè diligo, & hodieque in rebus meis detineo; cujus liberi fruantur, quæso, primò sacerdotiorum gradu, pòst modò, cum annis, promoturi dignitatis suæ incrementa. Ut dirum nomen latronis taceam, & odi illud palæstricum prodigium, quod antè, in domum consulatum intulit, quàm colonia sua solidum civitatis Romanæ consecuta est: idem de fratre ejus possum dicere, miserabili quidem indignissimoque hoc casu, ut vobis utilis senator esse non possit."

"Tempus est jam, Tib. Cæsar Germanice, detegere te patribus conscriptis quò tendat oratio tua: jam enim ad extremos fines Galliæ Narbonensis venisti."

"Tot ecce insignes juvenes, quot intueor, non magis sunt pænitendi senatores, quàm pænitet Persicum, nobilissimum virum, amicum meum, inter imagines majorum suorum, Allobrogici nomen legere. Quòd si hæc ita esse consentitis, quid ultrà desideratis, quàm ut vobis digito demonstrem solum ipsum, ultra fines provinciæ Narbonensis, jam vobis senatores mittere, quando ex Lugduno habere nos nostri ordinis viros non pænitet. Timidè quidem, P. C. (*patres conscripti*) egressus adsuetos familiaresque vobis provinciarum terminos sum. Sed destrictè jam Comatæ Galliæ causa agenda est; in

quâ,

" quâ, si quis hoc intuetur quòd bello per decem annos exercue-
" runt divom Julium, idem opponat centum annorum immobilem
" fidem, obsequiumque, multis trepidis rebus nostris, plusquam ex-
" pertum. Illi, patri meo Druso, Germaniam subigenti, tutam
" quiete suâ, securamque a tergo pacem præstiterunt; & quidem,
" cùm ad census, (*certo certiùs emendandum*, ab censu) novo
" tum opere, & inadsueto Gallis, ad bellum avocatus esset.
" Quod opus quàm arduum sit nobis, nunc cùm maximè, quamvis
" nihil ultrà, quàm ut publicè notæ sint facultates nostræ, exquira-
" tur, nimis magno experimento cognoscimus."

Pauca tantùm adnotabo. Primò verba illa, *ne nimiò insolentior esse videar, & quæsisse jactationem gloriæ prolati imperii ultra Oceanum,* pertinent ad Britannicam Claudii expeditionem, de quâ nos diximus in Supplemento Annal. IX, 50 & seqq.

Secundò hæc autem, *ut dirum nomen latronis taceam, & odi illud palæstricum prodigium,* P. De Colonia, *Histoire Littéraire de la Ville de Lyon*, Tom. I, pag. 145. refert ad Valerium Asiaticum, bis consulem, a Claudio occisum, tamquam præcipuum auctorem interficiendi Caii Caligulæ, ut dictum est Annal. XI, 1. Nec improbabilis est conjectura, si Valerius Asiaticus fuerit origine Viennensis, ut ait P. De Colonia.

Tertiò, jam monui pro *ad census* emendandum esse *ab censu.* Quis enim Latinè dixerit, *ad census, novo opere & inadsueto Gallis*, pro *ad census, novum opus & inadsuetum Gallis?* Præterea ex ipsâ verborum consequentiâ patet Claudium dixisse, *cùm ab censu, novo tum opere, & inadsueto Gallis, ad bellum avocatus esset.* Neque etiam, ut placuit P. De Colonia & Cl. Brossette aliisque, census ille intelligendus est de subsidiis militaribus, *les contributions*, aut de delectu, *les levées de troupes*, sed de censu, quem nos dicimus *le Cadastre*, quo personæ & solum describebantur, ut, pro personarum dignitate & soli ubertate atque amplitudine, tributum in capita & solum, nobis vulgò *la Capitation & la Taille &c.* præscriberentur. Talem Galliarum censum Germanicus, Drusi filius, agebat, cùm ipse quoque ad Germanicum bellum avocatus est; ut videre est apud Tacitum Annal. I, 31. Alios ab aliis postea actos census memorat Tacitus Annal. II, 6. & XIV, 46. Censum autem a Druso actum meritò Claudius dixit novum opus & inadsuetum Gallis. Julius enim Cæsar, Galliarum domitor, cùm eas lenitate ac moderatione demulcere vellet, non egit censum, sed tantùm *quadringenties*, Gallicæ monetæ libras 7,782,010, *in singulos annos stipendii nomine imposuit*; teste Suetonio in Jul. Cæs. Cap. 25. Cùm nimiâ felicitate & opibus inquieti essent Galli, Augustus censum egit, quem memorat Livius in

 Epitome

Epitome libr. CXXXIV. Dio quoque LIII, pag. 512. Alterum deinde egit Drusus, novum adhuc & inadsuetum Gallis opus, maximè cùm, iteratis censibus, tributorum vectigaliumque modus, ùti solitum, cresceret.

Quem autem modum tributis & vectigalibus Augustus Drususque primùm posuerint, non est a scriptoribus proditum. Sed ex sapientiâ, benignitate, atque æquitate Augusti, pronum est adfirmare ea non fuisse graviora. Postea crescente Imperatorum avaritiâ, & præfectorum duritiâ, adeò auxere, ut ad egestatem redactæ sint Galliæ, quibus tandem subvenit Julianus Cæsar, ut docet Ammianus Marcellinus XVI, 2. *Quòd profuerit* Julianus *anhelantibus extremâ penuriâ Galliis, hinc maximè claret, quod primitus, partes eas ingressus, pro capitibus singulis tributi nomine vicenos quinos aureos,* Gallicæ monetæ libras 327, *reperit flagitari: discedens verò septenos tantùm,* Gallicæ monetæ libras 91, *munera universa complentes, ob quæ tamquam Solem sibi serenum post squalentes tenebras affulsisse cum alacritate & tripudiis lætabantur.*

Si quis autem voluerit scire quantum tributi persolverit Gallia, antequam Julianus Cæsar in eam veniret anno Jesu Christi 356, haud difficile est duplicem inire computationem. Scilicet si in Galliâ tunc eadem fuit populi frequentia, quæ nunc est, & quæ, minimâ computatione, 3,500,000 capitibus tributorum, vulgò nobis *Feux*, æstimanda est, tunc Gallia tributum persolvit Gallicæ monetæ librarum 1,094,500,000. Nec mirum tantâ exactione Gallias ad extremam penuriam fuisse redactas. At, ut mihi compertum est certissimis Gallicæ antiquitatis monumentis, multùm aberat ut acerbissimis iis temporibus eadem foret in Galliâ populi frequentia quam nunc videmus, immo vix quarta erat populi, quæ nunc videmus, immo vix quarta erat populi, quæ nunc est, quantitas; & tamen adhuc Galli persolvebant tributum Gallicæ nostræ monetæ librarum 273,625,000. Quod quàm sit portentosum in eâ paucitate hominum facile est cuivis intelligere.

Æque facilè intelligitur Gallorum felicitas sub Juliano Cæsare. In eâdem enim, quæ nunc est, populi frequentiâ, Gallia pro tributo omnibusque muneribus tantùm persolvisset Gallicæ nostræ monetæ libras 318,500,000. Ad eam autem, quæ tunc erat, populi paucitatem redacta, pendebat tantùm Gallicæ nostræ monetæ libras 79,375,000. Haud mirum ergo Gallos tantâ alacritate tantisque tripudiis lætitiam suam sub Juliano Cæsare fuisse testatos.

Nunc verò si quis ad retroacta tempora mentem reducat, & cogitet Julium Cæsarem, domitorem Galliarum quæ tunc magnâ populi frequentiâ (non eâ tamen, quam finxit Cl. de Montesquieu, *Esprit*

des

des Loix, XXIII, 18 & 24. *Lettres Persanes*, Ep. 112. in quibus se *Arithmeticæ Politicæ* rationum omnino rudem probavit) vigebant, iis tantùm imposuisse stipendii nomine Gallicæ monetæ libras 7,782,010; is sanè deprehendet, quibus artibus Romana respublica terrarum orbem in ditionem suam redegerit. Minùs certè præpotuit militaribus, quàm politicis artibus. Magna enim erant gentibus exuendæ fidei & libertatis incitamenta, sub Romano nomine pax certa atque inconcussa, & tributorum parcitas. Unde haud immeritò dixerim a Romanis potiùs corruptos fuisse, quàm debellatos, populos.

Hæc sunt, quæ nemini adhuc aut tentata, aut explorata, explicare volui, ut res in antiquitate Romanâ politicâque scientiâ abstrusissima & scitu digna perspiceretur. In ipsâ autem Claudii oratione, *in plures* reposui. Exemplar ad me olim transmissum, ipse quoque P. De Colonia, habebant *in decuriis*. Sed tabula ibi extrita, primis ultimisque tantùm literis IN . . . RIS superstes, & a Cl. Dotteville suisque diligentiùs inspecta, non patitur tot literarum, quot sunt *in decuriis* spatium.

Quantùm autem Tacitus orationem Claudii immutaverit, patet utramque conferenti. Sunt qui id in Tacito culpent. At Claudii oratio erat antiqua, enervis, ac minimè persuasibilis: adlaborandum ergo fuit Tacito, ut re, loco, & Principis majestate digna exprimeret.

DE ÆRARIO POPULI ROMANI.

RESPUBLICA maximas opes accumulaverat; Principatus eas exhausit. Sub Republicâ, anno Urbis conditæ DCLXIII, teste Plinio XXXIII, 3. fuere in ærario pondo *auri* $\overline{XVI}$. XX. DCCCXXIX, seu Gallicæ monetæ libræ 1,512,783,405. Locupletius adhuc erat Reipublicæ ærarium, cùm illud bello civili rapuit Julius Cæsar anno Urbis conditæ DCCV. Tunc videtur pervenisse ad Gallicæ monetæ libras 2,000,000,000. At is fuit opum ærarii finis.

Sub Principibus plerumque ita fuit exhaustum ærarium, ut ei sæpissimè fuerit subveniendum; tamque modicum erat, ut Principes gloriarentur,

gloriarentur, si illud juvassent, collato millies sestertio, Gallicæ monetæ libris 19,552,290. Nec inde accrescebant privatæ Principum opes, cùm maximi opum accumulatores, Tiberius & Antoninus Pius, morientes singuli tantùm reliquere vicies ac septies millies sestertium, Gallicæ monetæ libras 525,285,675. Contrà verò ita omnia sæpe dilapidabantur, ut, cùm Pertinax Commodo succederet, ad summum repererit decies sestertium, Gallicæ monetæ libras 194,531.

Utrum autem consultum sit imperiis accumulare in ærario opes, nec ne, multi disputant. Aliis placet, quòd ærario nitatur domi publica securitas, foris reverentia, & in eo sit adversùs luxum aliaque id genus vitia maximum ac fortè unicum remedium. Displicet aliis, quòd accumulatis opibus coarctetur industria, abundantissimus & certissimus opum fons. Non nostrum est tantas lites componere, nostramque in re, quæ Principalis est administrationis, sententiam efferre. At observare licet apud Turcas antiquum vigere ærarii usum, Britannos ærarii loco immensum æs alienum supposuisse; magnâ utriusque gentis utilitate. Nostrâ enim ætate Ottomanicus Princeps Mahmoud, aggestis super veteres imperii opes septemdecim thesauris, Gallicæ monetæ libris 243,250,000, solium centum abhinc annis instabile & Principibus infidum, sibi suisque successoribus stabile ac firmum fecit, gravissimisque implicati bellis, iis suffecere. Dispari ratione, sed æquè acri, Britanni tantum æs alienum suscepere, ut anno 1767 æquaret libras sterlingias 147,974,564. Gallicæ monetæ libras 3,375,578,573: immensam summam, ni maxima foret commerciorum vis. Tantùm valent aut opes, aut creditarum opum fides.

DE PUERIS PUELLISQUE ULPIANIS ALIMENTARIIS.

PRIMUS memoratur Princeps Nerva, qui per Italiam puerorum puellarumque egestati subvenire cogitaverit. *Puellas puerosque natos parentibus egestosis sumptu publico per Italiæ oppida ali jussit.* Victor, in Epitome. Trajanus, quem egregia natura formaverat, ut præclara quæque priorum Cæsarum instituta non modò retineret, sed

sed perficeret & ampliaret, noluit hanc liberalitatem in publicum onus cedere. Jam Romanæ soboli alimenta dederat, teste Plin. in Panegyr. cap. 26. Ad Italam prolem animum vertit; suisque sumptibus pueros puellasque per Italiam alendos curavit: cúmque egenorum parens esse gloriaretur, infantes illos suos dici *Ulpianósque* appellari permisit. De novâ illâ & præstantissimâ Principis munificentiâ, quædam ante bellum Dacicum exstant monumenta: quæ inter satis sit laudasse Inscriptionem veterem Ameriæ, nunc *Amelia*, positam, Gruter, pag. 1084, num. 7.

IMP. NERVAE. TRAIAN. AVG.
GERM. P. MAX. TRIB
POTEST. COS. IIII. P. P
NOMINE PVERORVM
PVELLARVMQVE
VLPIANORVM
EX. S. C. P.

Fuit & in Museo Collegii Ludovici Magni nummus ex ære magno, cusus sub finem anni Urbis conditæ DCCCLV. IMP. TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. IIII. P. P. capite Trajani laureato. In aversâ parte, SPQR OPTIMO PRINCIPI. Infrà, ALIM. ITAL. Id est *Alimenta Italiæ* data. In medio SC. *Senatusconsulto*. Pietas stans, dextrâ fruges, sinistrâ cornu copiæ tenet. Ad pedes stat puer Italus.

Post Dacicam victoriam, cùm locupletior esset Principis fiscus, ejusque munificentia totam Italiam pervaderet, plura fuere monumenta; exstantque nummi plurimi ex auro & ære, quorum unum aureum, qui fuit in Museo Collegii Ludovici Magni, proferam: IMP. TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. T. P. capite Trajani laureato. In aversâ parte COS. V. P. P. SPQR OPTIMO PRINC. stans Princeps, porrectâ dectrâ duos pueros protegit. Infrà ALIM. ITAL. Alii sunt multi nummi ex ære, cum simili Inscriptione, in quibus sedens Princeps alimenta distribuit feminæ cum pueris adstanti. Trajanus tali tantâque liberalitate merito appellatus est *Restitutor Italiæ*; ut in hoc nummo ex ære magno, IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P.

capite

capite laureato. In posticâ parte, S P Q R . OPTIMO PRINCIPI S C. Princeps Italiam, cui pueri duo adsistunt, in genua procumbentem sublevat. Infrà, REST. ITAL.

At quâ arte tot egenis Trajanus subvenerit, ignoraremus, ni detecta fuisset anno 1747 ænea tabula Veleiatum, præstantissimum antiquitatis monumentum, quod egregiam hac in re Trajani industriam manifestam fecit. Nempe optimus Princeps, qui inopibus pueris alimenta de suo subministrare volebat, cùm in singulis Italiæ civitatibus (maximè cùm ipse Hispanus esset, non Italus) agros non haberet, qui his impensis sufficerent, ipse pecunias incolis civitatum obtulit, quas qui accipiebant, vectigales suos agros obligabant, ut singulis annis acceptæ pecuniæ usuram persolverent. Ex annuo eo reditu, alimenta egenis pueris subministrabantur. Verùm cùm optimus Princeps omnibus consultum vellet, minuit usuram. Cúmque iis temporibus, constitutione Romanâ, legitima haberetur usura centesima, seu duodenorum assium, quod nunc diceremus *douze pour cent*, ipse exigebat tantùm usuram quincuncem, seu quinûm assium, quod vulgò dicimus *cinq pour cent*. Quantò minor erat usura, tantò major erat numerus mutuantium, tantò certior reditus.

Nunc verò noluit Princeps providentissimus ita consulere egestati, ut parentum officia penitus cessarent, inersque educaretur juventus. Itaque ut inopes Veleiatum pueri puellæque alimenta acciperent, singulis legitimis filiis adsignavit in singulos menses sedenos sestertios, *Gallicæ monetæ libras* 3, *cum assibus* 2; singulis legitimis filiabus in singulos menses duodenos sestertios, *Gallicæ monetæ libras* 2, *cum assibus* 6; spurio dati in singulos annos sestertii centeni quadrageni quaterni, *Gallicæ monetæ libræ* 27, *cum assibus* 12; spuriæ in singulos annos nummi centeni viceni, *Gallicæ monetæ libræ* 23, *cum assibus* 6. Mirum quibusdam videtur, quòd Trajanus nihil illegitimis pueris adsignaverit, cùm ejus liberalitas ad spurios pervenisset. At fortè apud Veleiates, ab Urbe remotos, & quorum haud magna erat civitas, satis fuit morum, ut nulli tunc in eâ numerarentur illegitimi; aut, si qui erant, inopiâ non laborabant. Fortè quoque illegitimis nihil dedit Trajanus, ne concubinatui faveret, & ut quantum posset conubia, in quibus posita imperii vis & sanctitas, foveret. In spurios liberalis fuit, misertus puerorum, quorum miserrima erat sors, incerto patre.

Extendebatur sanè Trajani liberalitas usque ad pubertatem. Id enim usu receptum, ut videre est in Digest. libr. XXXIV, Tit. I, *de Alimentis vel cibariis legatis*. Sed cùm quæ dantur usque ad pubertatem, extendantur usque ad plenam pubertatem; nequis foret ambagibus locus, definita est ipsa ætas, ut habetur in Digest. l. XXXIV, loc.

loc. cit. Leg. 14, ex Ulpiano. *Si quis exemplum alimentorum, quæ dudum pueris & puellis dabantur, velit sequi; sciat Hadrianum constituisse, ut pueri usque ad decimum octavum, puellæ usque ad quartumdecimum alantur. Et hanc formam ab Hadriano datam observandam Imperator noster* (Alexander Severus) *rescripsit.*

Sunt fortè qui mirentur tam pauca à Trajano, liberalissimo Principe, inopibus Veleiatum pueris fuisse data. At ii non attendunt hæc data esse in alimenta, non verò in vestitum aliasque vitæ commoditates; a prudentissimo Principe esse data, qui nosset in maximis opulentissimisque imperiis, si opes æqualiter omnibus dividantur, singulis perexiguam contingere opum portionem. Et ne aut vetera, aut externa, memorem exempla, quis ignorat in nostrâ Galliâ, terrâ tot opum fæcundâ, si annua opum summa, quæ consultè æstimatur Gallicæ monetæ libris 2,400,000,000, in singula capita æqualiter dividatur, vix singulis obtingunt in singulos dies asses 6½, seu ut vulgò loquimur asses seni cum octonis denariis. Adeò tamen curtâ fortunâ vivitur, vestitus habitatioque parantur, tributum solvitur, vitæ necessitatibus atque etiam voluptatibus indulgetur. Et quantò plures sunt, qui ampliùs quàm asses 6½ per singulos dies impendunt, tantò plures sunt, quorum portio minuitur; ita ut pars magna Gallorum ternis binisque assibus in singulos dies vivat. Adde in Italiâ maximam esse rerum, quibus vita sustentatur, copiam. Hodieque Neapoli, in urbe amplissimâ, artifex aliquis, ejus uxor, quatuorque liberi, facilè honestéque vivunt, & tamen in singulos menses vix impendunt quaternos, ut loquuntur, ducatos, Gallicæ monetæ libras 17. Vide Cl. de la Lande, *Voyage d'un François en Italie*, cap. 19, Tom. VI, pag. 391. Consultissimus ergo & prudentissimus fuit Trajanus, qui binos circiter asses in alimenta egenis Veleiatum pueris subministraverit.

Verùm, cùm veterum temporum rationes nostrorum temporum nostrarumque rerum comparatione semper magis illustrentur, haud alienum erit notum hic facere in singulis urbis Lutetiæ Parisiorum parochiis, *les paroisses*, esse pauperes alimentarios, quibus, ex annuo quod singulis in parochiis tributo exigitur, in singulas hebdomadas viritim dividuntur deni asses; quod in singulos annos efficit monetæ nostræ libras 26: parciore adhuc & angustiore nostrâ in pauperes Parisienses liberalitate, quàm fuit Trajana erga pueros Veleiates. Et fortè Trajanus, quod libenter crediderim, inopi pueritiæ magnarum urbium locorumque Romæ proximorum, ubi cariùs vivebatur, paulò largiùs suppeditabat.

At, etiamsi plura non fuisset largitus, maxima foret ejus liberalitas. Quod ut intelligatur, observandum est Trajanum, ante bellum

Dacicum, collocasse septuaginta duo millia sestertiûm, Gallicæ monetæ libras 15,911, ut ex quincunce usurâ fieret annua summa sestertiûm trinûm millium sexcenûm, Gallicæ monetæ librarum 700; quâ ex summâ alimenta accipiebant Veleiatum pueri legitimi 18, puella legitima 1. Iterum optimus idem Princeps, post bellum Dacicum, collocavit decies quadraginta quatuor millia sestertiûm, Gallicæ monetæ libras 202,090, ut ex quincunce usurâ fieret annua summa quinquagenûm binûm millium sestertiûm & ducenorum, Gallicæ monetæ librarum, 10,154; quâ ex summâ alimenta accipiebant Veleiatum pueri legitimi 245, puellæ legitimæ 34, spurius 1, spuria 1. At, cùm Italia contineat Gallicas leucas quadratas 6400, & ampliùs, Veleiatum civitas, etiamsi patuisset sex leucas quadratas, quod maximum certè est, ne foret quidem millesima pars Italiæ. Per me tamen licet, sit pars millesima; demus etiam aliam non fuisse in Italiâ civitatem populo frequentiorem, quod ne verisimile quidem est: maxima adhuc erit & egregia Trajani liberalitas, qui, ut inopibus Italiæ pueris subveniret, secutus tantùm Veleiatum rationes, impendit Gallicæ monetæ libras 218,041,000, quæ ex quincuncibus usuris reddebant in singulos annos Gallicæ monetæ libras 10,854,000. Annuo hoc reditu alebat pueros 300,000. Egregia sanè liberalitas, quâ Princeps optimus, parensque publicus, tot pueros de suo in bellorum subsidium, pacisque ornamentum, nec suâ tantùm, sed & futurâ ætate alebat. Reviviscat, & per omnia imperia diffundatur tantæ utilitatis tantæque laudis æmulatio. Magnum est in Trajani exemplo curæ meditamentum, magnum adjumentum simul & incitamentum. Eâdem munificentiâ laudem postea quæsiere Romanorum Principum optimi; at non eâdem semper, quâ Trajanus, prudentiâ. Hadrianus *pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit.* Spartian. in Hadrian. cap. 7. Antoninus Pius *puellas alimentarias in honorem Faustinæ, Faustinianas constituit.* Jul. Capitolin. in Antonin. cap. 8. Idem testatur nummus aureus e Gazâ Regiâ, DIVA AVG. FAVSTINA caput Faustinæ. In aversâ parte, PVELLÆ FAVSTINIANAE. Antoninus stat togatus: de alendis puellis transigitur. Infrà feminæ puellas ostentant. M. Aurelius Antoninus, inconsultè adsumpto in societatem imperii fratre, non modò *pueros & puellas novorum hominum frumentariæ perceptioni adscribi præcepit.* Jul. Capitolin. M. Antonin. cap. 7, sed & *novas puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuæ* Faustinæ junioris. Capitolin. ibid. cap. 26. Nuper quoque reperta est in vineâ oppidi *Gensano*, vetus Inscriptio monumenti, quod posuère M. Aurelio Antonino optimo & indulgentissimo Principi PVERI ET

PVELLAE

PVELLAE ALIMENTARI FICOLENSIVM. Si integram volueris Inscriptionem adi Cl. Capmartin de Chaupy, *Découverte de la Maison de campagne d'Horace* Tom. III, pag. 258. Alexander Severus, post Trajanum Princeps maximus & optimus, *puellas & pueros, quemadmodum Antoninus Faustinianas instituerat, Mammæanas & Mammæanos instituit* in honorem Mamææ, matris suæ, feminæ laudatissimæ. Lamprid. in Alexandr. Sever. cap. 57. Nec Principes tantùm, sed & privatos egregio æmulationis studio inflammavit Trajani exemplum. Plinius, ut concives suos Comenses, nunc *Come*, juvaret, agrum ex suis, vectigali imposito, obligavit, tricena millia, Gallicæ monetæ libras 5835 annua daturus *in alimenta ingenuorum*. Plin. Ep. VII, 18.

Brotier. in Append. Chronol. Tacit. A. U. C. 856. ex edit. in 12mo.

DE CHRISTIANIS.

MULTOS audire est, qui, curiosè incertum an malignè, sæpe interrogent quomodo Vespasianus, Titus, Trajanus, & postea Antoninus Pius, Marcusque Aurelius, Principes optimi, Christianos sint persecuti, quomodo eos non modò in tormentis necari, sed barbaris etiam, quæ neque leges Romanæ nec temporum pudor, nec humanitas, paterentur, suppliciis discruciari permiserint. Generatim quidem responderi potest in Historicis factis quærendum non esse quomodo res factæ sint, sed utrum factæ sint: neminem ferme esse qui ætate suâ non viderit multa evenisse quæ vera essent, licèt vix verisimilia viderentur: nihil ergo ambigendum esse de Christianorum suppliciis; cùm ea aut oculati testes, aut scriptores indubitatæ fidei, prodiderint. Quosdam tamen reperias qui adhuc hæsitent, & intimas hujusce rei causas requirant. Quibus respondere haud difficile est tria esse in mortalium rebus, quæ nullas patiuntur leges, nec ratione, sed impetu, ac proinde ferociter, aguntur; civilia nempe bella, fraterna odia, & contraria sacra: haud mirùm ergo esse si optimi Principes Vespasianus, Titus, Trajanus, Antoninus Pius Marcusque Aurelius ad dura proruperint, cùm ageretur de Christianis, qui Ro-

mana facra damnarent, eaque æternis ignibus dignos pronuntiarent: ceterum rarò fæviiffe illos Principes; & fi quid actum, id in tantâ imperii amplitudine a provinciarum præfectis magiftratibufve, ignaro plerumque Principe, aut falfis accufationibus circumvento, fuiffe fufceptum.

Quod fi difficilibus illis ingeniis fcrupulus aliquis adhuc hæreat, manet ratio ultima, eaque efficaciffima. Homines nempe hominibus, vetera tempora præfentibus fuis temporibus æftiment. Hac noftrâ ætate, vivit Sinenfium Imperator, imperii magnitudine, opum vi, &, quod præftantius eft, pacificis virtutibus Vefpafiano, Tito, Trajano, Antonino Pio, Marcoque Aurelio non impar. Quæ hìc de *Kien-Long*, optimo Principe, prædico, ea non incertis rumoribus, fed a viris accepi quos novi effe incorruptæ fidei, qui eum fæpe vidêre, fæpe funt allocuti, qui multis abhinc annis in regiâ urbe Pekinenfi ipfoque Imperatoris palatio degunt. Porro optimus ille Princeps, Chriftianis minimè infenfus, finit tamen Chriftianos, maximè in provinciis, vexari, difcruciari; & fingulis ferme annis exilio, morte, fuppliciis in eos fævitum effe accipimus. Nec folita tantùm, fed nova, & moribus Sinenfibus vehementer repugnantia, tormenta adhibentur. Mandarinorum multi, neglectâ Sinenfium legum æquitate & clementiâ, in Chriftianos quidquid horridius imaginantur, exercent. Eorum unus nuper vifus eft, qui puellam Chriftianam fub plantâ pedum fuftibus cædi jufferit: quod Sinenfibus inauditum, vixque credibile eft. Quod nunc fub *Kien-Long* viget, idem noftrâ ætate viguit fub ejus avo *Kang hi*, maximo Principe, & Chriftianis amiciffimo. Idem viguit fub ejus patre *Yong-Tching*, bono Principe, Chriftianis infenfo, licèt quofdam fuo in palatio haberet, quos & honore & amicitiâ profequeretur. Quid ergo nunc de Romanorum temporibus Principibufque difficultates comminifcimur, cùm eadem hac noftrâ ætate a Sinenfibus Imperatoribus fieri aut videmus, aut accipimus? Inde potiùs fanctitatem Chriftianæ religionis æftimemus. Obruitur fuppliciis, quia innocens eft. Maximum enim fcelus eft, innocentia. Scelera confeffione utcumque expiantur. Confeffio innocentiæ, irritat; & negare fuam innocentiam haud licet. Hæc inter tormenta durat crefcitque Chriftiana religio, quia propitius adeft Deus Chriftianæ religionis auctor, innocentiæ dator & ultor.

Brotier in App. Chron. A. U. C. 857. ex edit. in 12mo.

DE

DE PONTE TRAIANI AD DANUBIUM.

MAGNIFICENTIAM pontis, quo Trajanus Mœsiam Daciamque supra Danubium junxit, maximis laudibus extulit Dio LXVIII, pag. 776. Tantam operis molem se satis admirari non posse exclamat; eamque, licèt egregia fuerint cetera Trajani opera, omnibus tamen antecellere contendit. *Pontis Pilæ*, inquit, *sunt viginti ex lapide quadrato; quarum singulæ, præter fundamentum, altæ pedes 150, latæ pedes 60: distant inter se intervallo pedum 170; suntque fornicibus devinctæ.* Quantæ *in tantum opus impensæ!* Quanta difficultas, cùm *magno in fluvio, cujus cursus aliò averti non potuit, verticosâ in aquâ, limosoque solo pilæ fuerint firmandæ!* Adde *tantò rapidiorem profundioremque Danubium, quantò hoc in loco arctiorem.* Tot tantisque difficultatibus superatis, intelligitur quanta fuerit Trajano animi magnitudo ut tam arduum opus susciperet, tantâque celeritate exequeretur. Cùmque Principis animo par esset prudentia, structa in utrâque fluminis ripâ præsidia, quæ pontem defenderent.

Præter Dionem Historici multi de hoc ponte scripserant: hujus quoque meminerant, teste Tzetze, Chiliad. II, 35, tum Philæterius in libro de Portuum structuris & fundamentorum positionibus, tum Theophilus, proconsul, qui ait Apollodorum, nobilissimum architectum, & pontis opificem, ante jacta fundamenta arculam, quam κιβώτιον vocat, Gallicè *un encaissement*, fabricasse longitudine pedum 120, latitudine 80. Firmata nempe tali arculâ singularum pilarum fundamenta. Ipse quoque Apollodorus de suo ponte librum scripserat. Utinam illa opera exstarent, quibus multa de antiquorum artibus abstrusa & ignota doceremur, quidque de ponte, de quo nunc agimus, sit sentiendum, intelligeremus.

Nonnulla enim occurrit difficultas. Multi existimant totum illum pontem fuisse lapideum; suasque in partes trahunt Dionem, qui γέφυραν λιθίνην dixit. At Columna Trajani, Tab. 74, pilas quidem quadratas quadratoque lapide compactas exhibet, sed fornices, concameratis lignis structos & pilis impositos ostendit. In argenteis quoque Trajani nummis, inscriptis DANVVIVS, videre est Danubium sub fornice ligneo. Itaque existimaverim Apollodorum destinasse pontem illum lapideâ concameratione firmare: ipsa Columna Trajani initium concamerationis lapideæ in duabus primis pilis demonstrat. Sed ob instantem belli necessitatem, Apollodorus ligneos fornices adstruxit: deinde operibus, quæ

in

in Urbe ædificavit, distractus, prius consilium omisit, probante Principe, qui ea, quæ intenderat, erat adsecutus. Mox Hadrianus, Trajano invidus, Apollodoroque infensus, superiorem pontis partem evertit, periculum obtendens, si hostis, expugnatis præsidiis, pontem occuparet, & Mœsiam invaderet. Exstabant adhuc pilæ; testeque Dione, nihil esse quod humano ingenio effici non possit comprobabant. Nunc, temporum injuriâ & fluminis violentiâ dirutæ, sub aquis delitescunt.

Manent tamen conspicua in utrâque Danubii ripâ ruinarum vestigia: at ex iis nova oritur difficultas. Arguunt enim non tantam esse fluminis latitudinem, quantam scripsit Dio. Hanc difficultatem movit Cl. Comes Aloysius Ferdinandus Marsigli, tum in Epistolâ ad R. P. de Montfaucon, tum in egregio opere, cui titulus, *Danubius Pannonico-Mysicus*, Tom. II, pag. 25 & seqq. nec tamen ipse loca satis diligenter invisit & explicavit. Illustrissimus Princeps Eugenius, ductus curiositate, quæ Principem Trajani æmulum deceret, pontis vestigia exploravit, & comperit lapideos non fuisse fornices, nec eam, quæ ferebatur, pontis longitudinem. Mensuras admovit Cl. Baro Hingelhard, & inter saxeas moles, Gallicè *les culées*, quibus arcus incumbebant, reperit intervallum esse 535 *Klaffters*, quod efficit Gallicas hexapedas 520. At vel in his angustiis pons Trajani maximus haberi debet, cùm septuplo major sit ponte Regio, qui supra Sequanam prope hortos Regios, *les Tuileries*, Parisiis visitur.

Fortè dicet aliquis quomodo in signandâ pontis longitudine tantùm errare potuerit Dio, vir consularis, scriptor diligens, & qui, cùm vicinam Mœsiæ Pannoniam præses rexerit, superstites pilas videre potuit. Proclivis fuit error, vel in scriptore, vel in librariis; & pedes pro palmis architectonicis usurpavere, ut ingeniosè observavit Cl. d'Anville, *Mémoire sur le Pont de Trajan*. Ædificia autem & ædificiorum loca palmis, non pedibus, architectos metiri esse solitos constat veteri & continuo architectorum Romanorum usu. Nulla ergo, ut opinor, de hac explicatione suboriri potest difficultas.

Superest itaque ut ex emendato Dione locique ratione proponamus mensuram pontis, quem Trajanus supra Danubium struxit. Viginti fuere pilæ: singulæ, præter fundamentum, altæ pedes Parisienses 100: latæ, pedes 40: distantes inter se, pedibus 115. Arcula, quâ singulæ pilæ sunt firmatæ, emendato errore Theophili, qui pedes quoque pro palmis accepit, fuit pedum Parisiensium 80 longitudine, 53 latitudine. Nunc verò meritas laudes obtinet Cl. Perronet, quòd pontem Neulliacum, *le pont de Neuilly*, constantem

sex

ſex arcubus, quorum ſinguli longi ſunt pedes 120, partim in inſulâ, partim in anguſto Sequanæ alveo ædificaverit. Plurimas quoque aſſecutus eſt Cl. de Labellie, qui Londini, ſupra Tameſam, pulcherrimum pontem de *Weſtminſter*, prope *Whitehall*, quindecim arcubus inſignem, latum pedes 44, longum pedes 1223, per decem annos conſtruxit: ſuis laudibus ne defraudetur Apollodorus, qui ſupra Danubium, tam exiguo temporis intervallo pontem longum pedes 3090 ſtruxit. Nec objicere eſt ligneam fuiſſe concamerationem. Id poſtulavit inſtans belli neceſſitas, parſque lapide concamerata architecti ſcientiam conſiliumque, ſi per tempus licuiſſet, ſatis comprobat. Neque difficiles erant Romanis lapidei illi fornices, ut ſatis oſtendit pons ſuper Tagum, qui hodieque exſtat in Hiſpaniâ oppidoque *Alcantara*. Altus eſt aquâ tenus pedes 200, longus pedes 670, latus pedes 28: conſtat arcubus ſex, qui ſinguli longi ſunt pedes 80. Municipia provinciæ Luſitaniæ, ſtipe collatâ, architecto Lacero, id opus perfecerunt, & Trajano dicaverunt anno Urbis conditæ cv. Inſcriptiones vide apud Gruterum, pag. 162, num. 1, 2 & 3.

Romana induſtria non in ſolis fluminibus ſeſe exeruit: major clariorque viſa eſt in mari, cùm veteres architecti, certiſſimâ perpendiculi ſcientiâ uſi, ſine calce, ſine cæmento, pilas ipſo in mari firmare, arcuſque imponere auſi ſunt. Talis eſt pons nunc appellatus *de Suaço*, apud Gades, *Cadiz*. Longus eſt pedes 700, latus pedes 15 & ampliùs: anterides, *les éperons*, altæ 15 *eſtados*, ſeu pedes 75. Ponti addita alia utilitas, cùm ſimul eſſet aquæductus, quo aqua *Tempul* a monte *de las Cabras*, prope *Xerez de la Frontera*, per undecim leucas perduceretur. Suarez de Salazar, *Grandezas y Antiquedades de la Iſla y Ciudad de Cadiz*, I, 16; & *Emporio de el Orbe, Cadiz illuſtrada por Geronimo de la Concepcion*, pag. 318.

Hæc autem obſervaſſe haud erit inutile, cùm artes exemplis & æmulatione vigeant.

Brotier in App. Chron. A. U. C. 859. ex edit. in 12mo.

DE COLUMNA TRAIANI.

SUBLIMIS adhuc Romæ exſtat Trajani columna, alta pedes CXXVIII. Intus ad ejus faſtigium aſcenditur per CLXXXV gradus: Feneſtellæ XLIII lucem miniſtrant. Tota columna conſtat XXXIV lapidibus marmoreis ſtupendæ magnitudinis, quorum octo tenet

baſis,

basis, unum torus, viginti tres columnæ: uno constat capitulum, uno apex, cui olim imposita Trajani statua.

Basis singula latera lata sunt pedes Romanos XXI. Pes autem Romanus continet pedis Parisiensis, ut vulgo loquuntur pollices 10, lineas 10 ½. Pars media basis lata est pedes Romanos XVIII, uncias IV, cum minutis duobus. Pes Romanus dividitur in uncias 12, singulæ unciæ dividuntur in minuta 5. In hac parte mediâ basis multâ arte sculpta arma, signa, vestes victarum gentium: quas inter Inscriptio, quam tenent duæ Victoriæ.

SENATVS POPVLVSQ ROMANVS
IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE F. NERVAE
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF
MAXIMO. TRIB. POT. XVII IMP. VI. COS. VI. P. P.
AD DECLARANDVM. QVANTAE ALTITVDINIS
MONS. ET. LOCVS TANTIS OPERIBVS SIT EGESTVS.

Male alii supplent *tantis ruderibus*, vel *tantis ex collibus*, ut recte observat eruditus Fabretti, *Syntagma de Columnâ Trajanâ*, pag. 52.

Supra quatuor basis angulos stant aquilæ, quarum ductu & auspiciis partæ victoriæ Dacicæ. Aquilæ unguibus tenent lemniscos & quercearum laurearumque coronarum insignia. Hæc basis, præter egregiam sculpturæ artem, præstat adhuc nobili simplicitate, a qua tantum recedimus, dum triumphales nostras bases catenatis distortisque victarum gentium figuris deturpamus.

Supra basim attollitur torus, laureâ coronâ insignis, cujus diameter est pedum XVII. Altitudo basis & tori est pedum 21, unciarum undecim, cum minutis duobus. Supra torum adsurgit columnæ scapus, constans, ut jam memoravi, XXIII marmoreis lapidibus. Ejus diameter est pedum 12 ½ in inferiore columnæ parte, in superiore parte, pedum 10 ½. Altitudo autem columnæ cum capitello est pedum 90 ½. Hæc est columna, quæ insculptos exhibet Romanorum, Dacorum, Sarmatarum exercitus, commeatus, castra, flumina, pontes, sacrificia, prœlia, adlocutiones, singulos denique utriusque belli Dacici eventus, quos in superiorum annorum historiâ explicavi. Tanta verò est ars in singulis hujusce columnæ partibus, ut quidquid postea præstantius eo in genere effectum est, inde sit repetitum. Quantum autem ex imitatione profecerint summi

summi pictores Raphael Urbinas, Julius Romanus, Joannes Franciscus Polydorus, Hieronymus Mutianus, Nicolaus Poussin, Carolus le Brun, cùm Constantini Magni, Alexandri Magni, aliasque Principum victorias expressere, curiosis omnibus artium amatoribus compertum est. Præter equos & quamplurimas alias figuras, in hac columna numerare est homines bis mille & quingentos. Figuræ altæ sunt circiter pedes binos, modò paullo plus, modò paullo minus. Nec crescunt, prout excelsior est columna, ut voluit Ciacconius: sed ejusdem sunt altitudinis in infimâ mediâque columnæ parte. Observatur tantùm in supremâ parte, quæ capitello subjacet figuras esse proceriores tribus quatuorve unciis.

Diameter capitelli est pedum 14 $\frac{1}{4}$. Apicis diameter est pedum 9 $\frac{1}{6}$.

Apici imposita erat colossea Trajani statua, jam dudum injuriâ temporum disturbata: sed repertum ad columnæ pedem Trajani caput. Quod cùm a vertice ad mentum haberet pedes 2 $\frac{1}{3}$, statuam altam fuisse pedes XXI credidit eruditus Ciacconius: eam nempe statuam per novem capita metiebatur. At cùm antiquæ & præstantissimæ statuæ juvenum habeant tantùm capita 7 $\frac{1}{2}$; hominum heroumque, capita 8, Trajani statuam altam fuisse pedes XVIII rectè definivit eruditus Bellori.

Statuam illam adhuc videre est in nummis ex ære magno, IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. caput Trajani laureatum. In adversâ parte, SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS. Columna, in cujus apice Trajani statua. Hujus columnæ loco, Sixtus V Pontifex maximus statuam beati Petri Apostoli ex ære aurato, altam pedes XIII posuit anno Pontificatûs sui IV.

Intra Trajanam columnam elaborata est cochlea, vulgò nobis *escalier en limaçon*, in ipsâ crassitudine marmoreorum lapidum; quod soliditati plurimum confert. Cochleæ pars solida habet diametrum pedum 3. Singuli gradus longi sunt pedes 2 $\frac{1}{4}$. Reliquus columnæ scapus habet pedes 2, cum minutis 4.

Hæc est columna, quæ exstat adhuc, per tot sæcula temporum hominumque vim eluctata. Ipsa argumentum est quanta sint veteris Romæ rudera. Nunc enim depresso antiquæ Urbis solo, tota ferme basis lateret, ni undique effossa fuisset terra, ut pateret, & spectantium curiositati consuleretur. Cornelius Meyer, Batavus, mathematicis mechanicisque artibus illustris, audaci, non novo tamen, consilio basim totamque columnam sublimem efferre, ut fundamentum substrueretur, & recenti Urbis solo æquaretur, proposuerat. Quod casûs metu incertum an ob impensæ magnitudinem

 haud

haud præstitum est. Impensas tamen non excessuras nummos Romanos sex mille & trecentos, Gallicæ monetæ libras 33,075, spondebat Cornelius Meyer.

Aliud consilium, & nobilissimum, mente conceperat Franciscus I, Gallorum rex, literarum artiumque amantissimus. Jamque sub Pontificatu Pauli III cœperat partes aliquot columnæ ære conflare, ut eam integram in urbe Lutetiâ Parisiorum erigeret. Illud consilium aut rei difficultate, aut Principis morte impeditum. Melioribus auspiciis Ludovicus XIV, quo nullus fuit consiliorum magnitudine & gloriâ Trajano propior, cùm Gallicam picturæ Academiam Romæ fundasset anno 1670, jussit in alumnorum utilitatem egregia antiquitatis monumenta conquiri & repræsentari. Prima cura fuit ut Trajana columna gypso exprimeretur. Inde cum mirâ artium literarumque utilitate increvit ejus celebritas, & pervulgata exemplaria.

DE NAVE TRAJANI.

SINGULÆ imperii partes in optimo statu erant constitutæ. Novum ac mirabile ex ipsis Principis oblectamentis decus accessit. Ingens erat fama immensarum navium quas [1] Ægypti reges

[1] *Ægypti reges.* Ptolemæus Philadelphus maximus naves ædificare cœperat. Multò majores fecit Ptolemæus Philopator. Harum una fuit ordinum quadraginta, longa ducentos octoginta cubitos; lata octo & triginta; ad acrostolion usque alta octó & quadraginta cubitos; a puppis tabulis ad mare usque, quod vulgò dicimus *la ligne d'eau*, alta cubitos quinquaginta tres. Amplam hujus navis descriptionem vide apud Athenæum libr. V, pag. 203. Monuerim tantùm duodecim tabulata in eâ nàve fuisse singula senûm cubitorùm. Perperam in Græcis Latinisque libris legitur ἑξακοσίων πηχῶν, corrigendum ἓξ πηχῶν. Alteram fecit Philopator, quam Thalamegon vocavit, ut in Nilo navigaret, paullo quidem minorem, sed regio ornatu & gemmis superbam. Ejus longitudo fuit dimidii stadii, seu pedum 312; latitudo major, quàm cubitorum triginta; altitudo cum tabernaculi fastigio parum a quadraginta cubitis aberat. Navem illam fusiùs describit idem Athenæus libr.

reges & [2] Hiero, clarissimus Syracusarum rex, quondam struxerant. Trajanus hæc artis miracula, bellis quidem & commerciis minùs habilia, sed ob magnificentiæ & artificii commendationem æternùm memoranda, renovare atque etiam superare aggressus est: ratus dignum esse populo Romano spectaculum, & interesse ut, qui orbem virtute & armis vicisset: eum quoque ingeniis & artibus vinceret.

Itaque

libr. V, pag. 204. Ne audias Cl. Deslandes, *Essai sur la Marine des Anciens*, qui ita negligenter Athenæum legit, ut & erret in navium magnitudine, & se deridendum propinet, cùm eas naves fabulosas & absurdas contendat pag. 27.

[2] *Hiero*. Hiero II, Syracusarum rex, adjutus divino Archimedis ingenio eximiam navem fecit, quam descripsit Athenæus, libr. V, pag. 206. Si quis autem velit cognoscere quantum in re celeberrimâ & notissimâ delirare possit vir ingeniosus, adeat Cl. Deslandes, *Essai sur la Marine des Anciens*, pag. 29. Verba ipsa referam : *Il est facile de se convaincre que, si cet ouvrage du Tiran de Syracuse a jamais existé, se ne pouvoit être qu'un bâtiment sur pilotis, auquel on avoit donné par affectation la forme d'une galere.* Quomodo navis illa fuit ædificium fistucationibus palationibusque fundatum, quæ Syracusis Alexandriam remulco deducta est. At tales opiniosissimi viri conjecturas refellere supervacuum est. Erudito lectori gratius erit epigramma de eâ nave Græcè scriptum, & ab erudito Grotio Latinis versibus redditum legere.

Transtra quis in terris rex hæc ingentia fecit,
Aut quibus in pontum funibus acta ratis?
Qui surrexerunt ex alvo stamina? Navi
Quæ faceret clavos, unde securis erat?
Verticibus par, Ætna, tuis, aut maxima qualis
Innatat Ægæis Cyclas in æquoribus;
Tollitur æquatis laterum compagibus? Hoc ne
Ad supera admorunt astra Gigantes opus?
En lorica triplex mediis in nubibus exstat:
Inter sidereas ludit aplustre faces.
Sic illam vinctam tenet anchora, sicut Abydos
Cum Sesto Xerxis juncta labore fuit.
Quis molem e terris in aquas devolverit istam,
In vastis humeris litera picta docet.
Nempe Hieron Hierocle satus, quo Græcia dante
Triticeas fruges insulaque omnis habet,
Sicelidos terræ rex Doricus: æquore tuta
Hæc, Neptune, tuo munere puppis eat.

Si Græca volueris adi Athenæum, ibid.

 3 *Aricinum*

DE NAVE TRAJANI.

Itaque quintodecimo ab Urbe lapide delegit [3] Aricinum lacum, profundissimum, illimi aquâ, nec ullis umquam casibus obnoxium. Locus erat non modò viæ Appiæ viciniâ, & [4] Numæ regis memoriâ celeberrimus, sed amœnissimis quoque collibus, semper virentibus silvis, saluberrimâ aeris temperie, ditique solo, & lætis prospectibus gratissimus. Ibi aggestis immensis larignarum, pinearum, cupressinarum, quercearumque arborum struibus cum ingentibus ferreorum, æreorum, & roboreorum clavorum acervis, [5] structa est navis, omnium quæ umquam fuere maxima, [6] quingentos sex pedes longa, lata ducentos quinquaginta tres, profunda sexaginta. Prima cura fuit, ut tanta moles validissimâ compage coagmentaretur; iisque in partibus, unde hiscere potuisset, solidiùs firmaretur. Tabulæ non junctæ tantùm, sed [7] minoribus tabulis, latis circiter quaternos

[3] *Aricinum lacum.* Nunc *le Lac de Nemi*, proppe Cynthianum oppidum, hodie *Gensano*.

[4] *Numæ regis.* In proximum nemus Aricinum, Numa sine arbitris velut ad congressum deæ Egeriæ, se persæpe inferebat. Livius I, 21.

[5] *Structa est navis.* In explicandâ hac Trajani nave, ducem sequor Franciscum Marchi, testem peritissimum & oculatum, qui, quæ ipse vidit, descripsit in præstantissimo & rarissimo opere, *Della Architettura militare del Capitanio Francesco de' Marchi, Bolognese, Gentilhuomo Romano, libri tre; nelle quali si descrivono li veri modi del fortificare, che si usa a tempi moderni. In Brescia, MDXCIX.* In folio maximo. *Apresso Comino Presegni.* Is libro II, cap. 82, fol. 42, narrat quomodo adjutus machinâ quam Guillelmus *da Lorena* repererat ut aquas intraret, & sub iis diutius commoraretur, ipse Aricinum lacum subiit, navem exploravit, & dimensus est die 15 Julii mensis, anno 1535.

[6] *Quingentos octoginta pedes longa.* Marchi, loc. cit. *La lunghezza, e canne settanta: la larghezza, e canne trenta cinque: l'altezza dal fondo alla cima della sponda, canne otto.* De hac cannâ ipse Marchi; *Dieci palmi Romani fanno una canna, la qual misura e in una tavola di marmo in campidoglio. E questa misura adoperano li Romani a misurar li terreni & fabriche.* Palmus autem Romanus ex imagine quam exhibet Cl. Marchi & ex observationibus Cl. Cassini est, ut vulgò loquimur, 8 pollicum Parisiensium & 3 linearum. Navis ergo Trajani longa fuit pedes Parisienses 481, pollices 3, lata pedes 240, pollices 7 ½, alta pedes 55.

[7] *Minoribus tabulis. Marchi*, ibid. *Le tavole, che facevano il fondo, e sponde, e ogni brasso vi era una committitura di legno larga quatro dita, che entrava in l'uno, e l'altro tavolone, che teneva serrate le tavole insieme, dove erano di questi cavigli di rovere, che passavano quelli legni, che serravano le tavole insieme, ma non riuscivano fuori delle sponde, le quali sponde erano di tavoloni grossi sei dita, chi piu e chi meno. Quelle da basso erano piu grosse, che quelle di sopra.*

[8] *Plumbeis*

quaternos digitos, per ſtriaturas inſertis, connexæ, & roboreis clavis conſtrictæ: cautum tamen eſt ne clavi foras exirent, ut exterior tabularum facies purior & firmior maneret. Nullus uſquam fuit ferreorum clavorum uſus, niſi iis in locis, in quibus aut rubigine infici, aut excidere, ſine ullo navis damno poterant. Quidquid robuſtiore & perenni juncturâ fuit continendum æreis clavis, quorum multi binos palmos erant longi, transfixum eſt. Ultra progreſſa eſt cura; juvitque, cùm duraturum pararetur monumentum, extimam totam navim [8] plumbeis laminis veſtire. At, ne quid humidi penetraret, ligneaſque materias corrumperet, inter navis tabulas & plumbeas laminas [9] infarctæ lanæ ſuavè olenti pice imbutæ. Præterea, ut pars navis, aquis mergenda, incorruptior foret, licèt jam ibi major eſſet tabularum craſſitudo, duplicibus adhuc plumbeis laminis redimita eſt: in ſuperiore autem dimidiâ parte ſimplices tantùm fuere. Æreis clavis fixæ erant laminæ; &, ne deſideraretur elegantia, clavorum caput in [10] radiantium ſtellarum formam erat figuratum.

Major in interiore nave, adversùs ignium vim [11] arenato & lateribus veſtitâ, magnificentiæ oſtentatio. Ibi ſtructa digna Principe, digna Trajano domus; præter opes & decora, quæ tantam ſemper ſequuntur fortunam, vermiculatis pavimentis, [12] æreiſque trabibus ſuperba.

8 *Plumbeis laminis.* Marchi, ibid. *Le lamme di piombo erano poſte ſopra in doi modi, da mezzo in giu erano poſte doppie, e da mezzo in ſu ſempie, ma ſopra poſte tutte l'una all' altra, alla congiontura erano groſſe le piaſtre quanta e la coſta d'un cortello ordinario, piu preſto piu, che meno, e dette laſtre erano di fuori inchiodate nelle ſponde della barca.* Suprà ſcripſerat Marchi, *Li chiodi erano poſti per di fuori della barca, e quelli tenevano le laſtre de piombo . . . li detti chiodi erano lontani l'uno dall' altro, quanto e la palma della mano.*

9 *Infarctæ lanæ.* Marchi, ibid. *Quelli chiodi tenevano le laſtre de piombo, e la vela di lana coperta d'una miſtura, che ſapeva di buono e ardeva facilmente: queſta era tra le ſponde della barca e il piombo.*

10 *Radiantium ſtellarum.* Marchi, ibid. *Erano certi raggi di rilievi a ſimilitudine d'una ſtella.*

11 *Arenato & lateribus.* Marchi, ibid. *Dentro della barca, v'erano delli pavimenti de matoni di tre palmi per ogni verſo, e groſſi quatro dita, le quali erano roſſi come è un carmeſino. Ancora cavaſſimo un pezzo de ſmalto di un pavimento, il quale era roſſo e di bel colore: era cinque palmi per un verſo, e otto per l'altro, groſſo un mezzo palmo.*

12 *Æreiſque trabibus.* Quas vidit Guillielmus *da Lorena.* Marchi auſus non eſt domûs cameras ingredi, ut ipſe teſtatur, ibid. *In detta barca ſi vedevano*

superba. Improvisum magis, eóque gratius, additum etiam ornamentum. Nempe e summo colle, qui [13] trecentis circiter passibus adsurgit Septemtrionem versùs, fons erumpit: ejus aqua [14] plumbeis canalibus in navim perducta, ut & commoditati sufficeret, & salientibus jactibus domûs areas condecoraret.

Tantum artis prodigium stabat in medio lacu; ad ejus oras nave hinc & inde [15] funibus alligatâ: nec ullius intumescentium aquarum metus, excavato intra montem per tria passuum millia [16] emissario, quo superfluum exoneraretur. Civium oblectamenta inter Principis delicias non omissa. Ambitu trium circiter millium passuum [17] explanata via, lacui imminens, quâ currus ducerentur. Inde per trecentos circiter passus facilis [18] ad lacum

vano certe scurita, le quali erano le camere del palazzo, che qui era edificato sopra questa barca, dovai non mi attentai di entrarvi per paura di non mi perdere, e ancora per il pericolo dell' instrumento.

[13] *Trecentis circiter passibus.* Marchi, loc. cit. pag. 43. *Nella ripa di Settentrione cade un' acqua de fontana. . . . Puo esser dalla cima per fino all' acqua* (del lago) 300 *passi andanti per linea dritta.*

[14] *Plumbeis canalibus.* Reperti quoque sunt in Aricino lacu plumbei canales inscripti TIB. CAESAR AVG. Fortè & Tiberius lacum illum incoluit; fortè quoque canales illi e veteribus operibus detracti & in novos usus conversi. Vide eruditum Vulpium, *Vetus Latium*, Tom. VII, pag. 136 & seqq.

[15] *Funibus alligata.* Videntur adhuc anuli, teste Cl. Marchi, ibid. *Nella ditta ripa vi sono ancora de gli anelli di ferro impiombati in grosse pietre, dove si attaccava la detta barca in la ripa verso il Ponente.*

[16] *Emissario.* Marchi, ibid. *Nella ripa del lago è un' apertura, che fecero Romani, la qual e posta in la ripa di Ponente, che passa un monte, che camina tre grosse miglia. La bocca dove uscisse l'acqua, e alta da venti palmi, e larga sette. Io non viddi se non il principio, dove l'acqua corre di continuo, alta quattro palmi.*

[17] *Explanata via.* Marchi, ibid. *Le ripe di questo lago sono piane di sopra, con una strada all' intorno, che vi possono andare le carozze, la qual strada puo girare tre miglia à circondare il lago.*

[18] *Ad lacum descensus.* Marchi, ibid. *Per andar a basso vi e una strada stretta, quanto vi puo andare un' huomo, la quale e lastricata di pietre selse, le quali paiono sempre onte di olio; e la detta strada e nella ripa che volta la faccia verso il Levante, e calla dalla cima per insino all' acqua, un terzo de miglio; la qual trova un' altra strada, che e piana, che circonda tutto il lago, tanto appresso l'acqua,*

lacum descensus; ibique, pari circuitu, multâque [19] platanorum umbrâ, commoda peditibus deambulatio. Ipso in lacu, magna cymbarum copia, ut quæ quisque longiùs suspexerat, propiùs inspiceret, adiretque, & Principis [20] voluptatibus frueretur. Id autem tradidisse operæ pretium fuit, cùm nihil summum silere debeat Historia, prudensque rerum non minùs ex oblectamentis, quàm ex consiliis factisve Principes æstimet.

l'acqua, che in doi passi si tocca; e la detta strada e un poco piu larga di quella che calla a basso; e dimostra, che la fusse ancora lei lastricata di pietra selci.

19 *Platanorum umbra.* Marchi, ibid. *Questa ripa e piena all' intorno d'alberi, li quali sono tanto spessi, che fanno bosco, e sono quasi tutti di sorte, che tengono la verdura tutto l'anno, come sono lauri, ginepri, agrifoli, mertella, elera, e altri simili arbori; ma vi e ancora gran quantita di platani, e ve ne è uno tra gli altri, che e alla bocca dell' apertura del lago, che e cose dignissima da vedere, fa una grande e oscura ombra, la quale fu molto stimata da gli antichi Romani.*

20 *Voluptatibus frueretur.* Frueremur & nos, si quæ supersunt hujus navis, e lacu extraherentur. Sana adhuc & ferme integra navis materiatura. Ligna tantùm induêre nigrum ebeni colorem, teste Cl. Marchi. Ærei clavi integri sunt & splendidi. Ferrei clavi, qui olim fuere digitalis crassitudinis, nunc vix æquant scriptorium calamum. Adeò eos attrivit rubigo. Aricinus autem lacus, in quo stat hæc navis, olim Cæsarum, nunc est Principum Columnensium. Observaverim splendidis illis Cæsarum oblectamentis adhuc recreari Sinenses Imperatores. Testis F. Attiret, qui egregiè descripsit Imperatoriam villam *Yvin ming yven*, inter magnificas multas naves, quas ibi vidit, unam memorat longam tredecim hexapedas, latam quatuor, cui superba domus est imposita.

Ex Append. Chronol. Tacit. A. U. C. 863. edit. à Brotier in 12mo.

DE SUCCESSIONUM LEGIBUS APUD GERMANOS.

GERMANICARUM successionum leges habet Lex Salica, Tit. LXII. *de Alodis.* Leg. 1. *Si quis mortuus fuerit, & filios non dimiserit, si pater aut mater superstites fuerint, in ipsam hereditatem succedant.*

Leg. 2.

Leg. 2. *Si pater & mater non superfuerint, & fratrem aut sororem dimiserit, in hereditatem ipsi succedant.*

Leg. 3. *Si isti non fuerint, tunc soror matris in hereditate succedat.*

Leg. 4. *Si verò soror matris non fuerit, sic soror patris in hereditate succedat.*

Leg. 5. *Et postea sic de illis generationibus, quicumque proximior fuerit, ipsi in hereditate succedant, qui ex genere paterno veniunt.*

Leg. 6. DE TERRA VERO SALICA IN MULIEREM NULLA PORTIO HEREDITATIS TRANSIT, SED HOC VIRILIS SEXUS ACQUIRIT, HOC EST, FILII IN IPSA HEREDITATE SUCCEDUNT. SED UBI INTER NEPOTES AUT PRONEPOTES, POST LONGUM TEMPUS, DE ALODE TERRAE CONTENTIO SUSCITATUR, NON PER STIRPES, SED PER CAPITA DIVIDANTUR.

Ex his legibus, sexta potissimùm insignis est. Quæ ut intelligatur, advertendum in hac temporum antiquitate Germanos, utì observat eruditus Eccardus, habuisse domum, quam vocabant *Sal*; circa domum fuisse *Salbuck*, seu curtim, Gallicè *courtil*, spatiumve terræ, domui circumdatum, & sepe cinctum. Spatium illud cum domo est *Seliland*, seu terra salica, quæ ad solos filios pertinebat: nec immeritò; cùm filiæ in aliam domum terramque salicam nuptiis transirent.

His præmonitis, nihil manet difficultatis. Legem Salicam firmat tantùm & explicat Lex Ripuariorum, Tit. LVI. *de Alodibus*.

Leg. 1. *Si quis absque liberis defunctus fuerit, si pater materque superstites fuerint, in hereditatem succedant.*

Leg. 2. *Si pater materque non fuerint, frater & soror succedant.*

Leg. 3. *Si autem nec eos habuerit, tunc soror matris patrisque succedant. Et deinceps usque ad quintum genuculum* (id est ad quintam generationem), *qui proximus fuerit, in hereditatem succedat.* SED CUM VIRILIS SEXUS EXSTITERIT, FEMINA IN HEREDITATEM AVIATICAM NON SUCCEDAT.

Hereditas illa aviatica, aliis paterna, aliis alodium, aliis terra salica dicta eadem & una res est, quæ ad virilem sexum, non ad muliebrem pertinebat. Plurimos adhuc Germanorum usus edocet Lex Angliorum & Werinorum, Tit. 6. *de Alodibus*.

Leg. 1.

Leg. I. HEREDITATEM DEFUNCTI FILIUS, NON FILIA SUSCIPIAT. SI FILIUM NON HABUIT QUI DEFUNCTUS EST, AD FILIAM PECUNIA ET MANCIPIA, TERRA VERO AD PROXIMUM PATERNAE GENERATIONIS CONSANGUINEUM PERTINEAT.

Leg. 2. *Si autem nec filiam habuit, soror ejus pecuniam & mancipia: terram proximus paternæ generationis accipiat.*

Leg. 3. *Si autem nec filium, nec filiam, neque sororem habuit, sed matrem tantùm superstitem reliquit, quod filia vel soror debuerunt, mater suscipiat, id est pecuniam & mancipia.*

Leg 4. *Quòd si nec filium, nec filiam, nec sororem, aut matrem dimisit superstites, proximus, qui fuerit paternæ generationis, heres ex toto succedat, tam in pecuniâ atque mancipiis, quàm in terrâ.*

Leg. 5. *Ad quemcumque hereditas terræ pervenerit, ad illum vestis bellica, id est lorica, & ultio proximi, & solutio leudis* (id est compositionis, seu Weregildi) *debet pertinere.*

Leg. 6. *Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat, filiæ verò spolia colli, id est murenas, nuscas* (seu fibulas), *monilia, inaures, vestes, armillas, vel quidquid ornamenti proprii videbatur habuisse.*

Leg. 7. *Si nec filium, nec filiam habuerit, sororem verò habuerit, sorori pecuniam & mancipia, proximo verò paterni generis terram relinquat.*

Leg. 8. *Usque ad quintam generationem paterna generatio succedat. Post quintam autem filia ex toto, sive de patris sive matris parte, in hereditatem succedat, & tunc demum hereditas ad fusum a lanceâ transeat.*

Veterem Germanorum usum mutavere Burgundiones, ut patet ex eorum Lege, Tit. XIV, *de Successionibus*. Leg. I. *Inter Burgundiones id volumus custodiri, ut si quis filium non reliquerit, in loco filii filia in patris matrisque hereditate succedat.* Nec aliter Lex Saxonum, Tit. VII. *de Heredibus*. Leg. I. *Pater aut mater defuncti filio non filiæ hereditatem relinquant.* Leg. 4. *Qui defunctus non filios, sed filias reliquerit, ad eas omnis hereditas pertineat; tutela verò earum fratri vel proximo paterni generis deputetur.*

Nihil verò veteris moris mansit apud Wisigothos, qui filiorum filiarumque jus commune fecere. Sic enim Lex Wisigothorum, libr. IV. Tit. 2. *Ut sorores cum fratribus æqualiter in fratrum hereditate succedant.* Leg. I. *Si pater vel mater intestati discesserint, tunc sorores cum fratribus in omni parentum facultate, absque alio objectu,*

jussu, æquali divisione succedant. Aliæ sunt plurimæ eâdem de re eorum leges.

Apud nos verò, in regnatrice domo, viget & in immensum aucta Lex Salica, egregium imperii decus, & securitatis publicæ tutamentum.

Brotier ad cap xx. lib. de Mor. Ger.

DE GERMANORUM LIBERTATE, ROMANORUM ÆMULA ET VICTRICE.

NON Samnitum artes, non Græcorum ingenia, non Pœnorum commercia, non Hispaniarum fortitudo, non Galliarum impetus, valida fuere adversùs Romanam dominandi scientiam præsidia: cessere, & in partem dominationis venere. Diutiùs restitit Parthorum potentia, terrarum longinquitate & immensarum opum multitudine defensa: sed & ipsa paruit, superbasque cervices jugo Romano supposuit.

Acrior fuit Germanorum libertas. Romana vigebat respublica, cùm victricia Cimbrorum arma, fuso Papirio Carbone consule, primùm audita sunt anno Urbis conditæ DCXLI, ante Christum 113. Inde, per quingentos & ampliùs annos, mutuis victoriis, mutuis cladibus certatum. At Germania, cùm vinceretur, semper interrita; cùm vinceret, audacior. Et, dum libertatem suam pervicaciùs propugnat, eò tandem gloriæ venit anno Urbis conditæ MCLXIII, Jesu Christi 410, ut Alaricus, Gothorum rex, Romam captam victor intraret, ejusque opes potiretur, longè dissimilis ignavo illi Domitiano, qui pudendo falsoque triumpho Germaniam captam erat gloriatus.

Manebat adhuc Cæsarum dignitas, olim verenda, nunc despicatissima: magis etiam ac magis in dies libidinibus ac dissensionibus fatiscebat, cùm feralis tandem cœpit annus Urbis conditæ MCCXXIX, Jesu Christi 476, quo Germania non jam armis belloque, sed solo nominis sui terrore victrix, Cæsarum nomen exstinxit; eosque Odoacer, Herulorum rex, non tam irâ suâ, quàm miseratione dignos reputans, Augustulum, Cæsarum supremum, in Lucullanum Campaniæ castellum, nunc *le château de l'œuf à Naples*, relegavit. Sic imperio Romano vel suâ in ruinâ defuit illa claritas, quâ vulgò cadunt imperia; ultimusque ejus Princeps vixit suæ dignitati suoque imperio superstes.

In

DE GERMANORUM LIBERTATE, &c.

In hac fœditate ſordebat Italia, cùm tandem melioribus diuturnioribuſque auſpiciis, anno Jeſu Chriſti 800, imperium reſtituit Germanorum ſanguis Francorumque decus CAROLVS MAGNVS, PIVS FELIX AVGVSTVS. Tantæ gloriæ fundamenta poſuerat Clodoveus Magnus victor fortiſſimus.

Quibus autem virtutibus, quâ conſiliorum vi facta ſit tanta rerum mutatio juvat ex ipsâ victrice gente diſcere, quæ ſine verborum lenociniis ſuæ gloriæ cauſas & inſtrumenta nobiliter explicavit in præfatione Legis Salicæ: illam ſub omnium oculis ſubjici tantò gratius eſſe debet, quantò rarius eſt præſtantiſſimum illud antiquitatis monumentum ab ipſis viris hiſtoriæ eruditioniſve curioſis legi aut inſpici. *Gens Francorum inclyta, auctore Deo condita, fortis in armis, firma pacis fœdere, profunda in conſilio, corpore nobilis & incolumis, candore & formâ egregia, audax, velox & aſperá, nuper ad Catholicam fidem converſa, immunis ab hæreſi. Dum adhuc teneretur barbarie, inſpirante Deo inquirens ſcientiæ clavem, juxta morem ſuarum qualitatum deſiderans juſtitiam, cuſtodiens pietatem, dictaverunt Salicam Legem proceres ipſius gentis, qui tunc temporis apud eamdem erant rectores. . . At ubi, Deo favente, Clodoveus comatus & pulcher, & inclytus rex Francorum primus, recepit Catholicum baptiſmum, quidquid minus in Pacto habebatur idoneum, per præcelſos reges Clodoveum, Childebertum & Hlotarium fuit lucidiùs emendatum, & procuratum Decretum hoc. Vivat, qui Francos diligit Chriſtus, eorum regnum cuſtodiat, & rectores de lumine ſuæ gratiæ repleat, exercitum protegat, fidei monumenta tribuat, pacis gaudia & felicitatem, tempora dominantium dominus Chriſtus Jeſus pietate conducat. Hæc eſt enim gens, quæ fortis dum eſſet & robore valida, Romanorum jugum duriſſimum de ſuis cervicibus excuſſit pugnando; atque poſt agnitionem baptiſmi, ſanctorum Martyrum corpora, quæ Romani igne cremaverunt, vel ferro trucidaverunt, truncaverunt, aut beſtiis laceranda projecerunt, ſumptuosè auro & lapidibus pretioſis exornavit.*

Tacitus in aureo libello qui fuerint ætate ſuâ Germani, quàm formidanda eſſet eorum libertas prodidit. Quales fuerint poſt ejus ætatem, quantaque præſtiterint ex hac præfatione breviſſimè intelligimus. Creſcat duretque in omnibus Germanicæ originis gentibus virtutis ac gloriæ perennitas.

Brotier ad cap. XXXVII. lib. de Mor. Ger. ex edit. in 12mo.

DE USIPIORUM COHORTE BRITANNIAM CIRCUMVECTA.

COHORTEM illam Usipiorum ex Occidentali Britanniæ orâ solvisse innuit Tacitus, docet Dio, LXVI. pag. 754. Ἐξαναχθέντες περιέπλευσαν τὰ πρὸς ἑσπέραν αὐτῆς (Βρεττανίας). Erat sanè ex iis copiis, quas Agricola instruxerat in eâ Britanniæ parte, quæ Hiberniam respicit, ut dictum est cap. 24. Vit. Agric. Tres liburnicas furtim ascendêre, nullâ navigandi arte, & eâ ætate, quâ vel inter peritos erat exigua. Hac illac rapti, ut fluctus ventusque eos ferebat, ὥς πῃ τό τε κῦμα, καὶ ὁ ἄνεμος αὐτοὺς ἔφερε, Dio ibid. versùs Septemtrionalem Britanniæ partem tendunt. Cùm oram legerent, nec sufficerent commeatus, congressi sunt cum plerisque Britannorum, nempe cum incolis provinciarum, quas nunc dicimus *Cumberland*, *Galloway*, *Cantire*, *Argyll*, *Invernefs*, *Strathnavern*, &c. Cùm extremum insulæ sic attigissent, sinum *Pentland Firth* inter Britanniam & Orcadas, *les isles Orkney*, ingressi sunt, & in Orientalem Britanniæ partem flexere. Nova inde prœlia cum incolis provinciarum *Cathnefs*, *Southerland*, *Murray*, *Buchan*, &c; eaque infeliciora. Imprudentes enim in castra Romanorum, qui ibi tendebant, incidêre, καὶ ἔλαθον ἐκ τῆς ἐπὶ θάτερα, πρὸς τὰ στρατόπεδα τὰ ταύτῃ ὄντα προσχόντες, Dio ibid. Novo hoc periculo territi, castrensesque pœnas magis, quàm calamitosam, sed liberam, suam sortem exosi, liburnicas properè repetunt, & in altum provehuntur. Summa brevì fuit rerum omnium inopia: in iis angustiis, primùm infirmissimos suorum, deinde sorte ductos vesci cœpere. Tantis conflictati miseriis, tempestate aut ipso Oceani impetu in mare Suevicum, *la mer Baltique*, detruduntur. Ibi naves suas, viarum erroribùs & regendi inscitiâ quassas, amisere. Neminem eorum sortis misertum est, quòd pro prædonibus haberentur. Igitur dùm eluctantur, ut patrias sedes repetant, primùm a Suevis inter Albim & Vistulam, *l'Elbe & la Vistule*, mox a Frisiis inter Amisiam & Rhenum, *l'Ems & le Rhin*, intercepti sunt. Quosdam eorum per commercia venumdatos, & in Romanam, id est, in sinistram Rheni ripam, (nam dextràm tenebant Germani) adductos, indicium tanti casûs illustravit.

Agricola autem, post Grampiensem victoriam, in publicas curas utilitatesque intentus, auditâ illâ Usipiorum fugâ, certusque eos ex Occiden-

Occidentali Britanniæ parte in Orientalem Septemtrionali navigatione fuisse pervectos, classem misit, quæ, Tao æstuario, nunc *Firth of Tay*, profecta, litora illa ab Oriente in Occidentem relegeret, & diligentissimè exploraret, Dio loc. cit. Tunc primùm *hanc oram novissimi maris Romana classis circumvecta est, insulamque esse Britanniam adfirmavit:* tunc Orcades, *les isles d'Orkney*, hactenus famâ tantùm vulgatæ, fuere, eremigato Septemtrione, cognitæ & domitæ: tunc *dispecta est Thule*, les isles de Schetland, *quas hactenus nix & hiems abdebat*, ut dictum est cap. 10. Hinc verò intelligas non ad hanc Thulen, sed ad ipsam Britanniam referenda esse, quæ habet Statius, adulator magis, quàm poeta, in Silvarum libr. V. Protreptic. ad Crispinum, Bolani, Britanniæ præsidis, filium II, 54,

Tu disce patrem, quantusque nigrantem
Fluctibus occiduis, fessoque Hyperione Thulen
Intrarit mandata gerens.

Verùm, antequam de Septemtrionali navigatione dicendi finem faciam, alterum proferam exemplum, quod, utinam fusiùs fuisset narratum, magnum naturæ arcanum referaret. Auctore enim Plinio, II, 67, Cornelius *Nepos de Septemtrionali circuitu tradit, Quinto Metello Celeri, L. Afranii in consulatu collegæ*, (consules fuere anno Urbis conditæ DCXCIV, ante Christum 60) *sed tum Galliæ proconsuli, Indos a rege Suevorum dono datos, qui ex Indiâ commercii causâ navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti.* Sic ante viginti annos, cùm Elisabetha Augusta, imperium Russicum regeret, Japonenses, commercii causâ navigantes, tempestatibus abrepti, ad oram imperii Russici, *le Kamtchatka*, appulere, unde Petropolim, *Petersbourg*, missi, ab Elisabethâ humanitate maximâ excepti & habiti sunt. At Indi, longiore errore, non modo Japonenses insulas, *le Japon*, oramque imperii Russici, *le Kamtchatka*, sed & Orientales ac Septemtrionales Siberiæ & Laponiæ oras, *la Sibérie, le pays des Samoiedes, la Laponie*, circumvecti ad Oceanum, mareque Suevicum, *la mer Baltique*, flexere; unde a rege Suevorum habiti, dono dati sunt Quinto Metello Celeri, Galliæ proconsuli. Sic casus fecit, quod a Batavis Russisque magnâ cum laude tentatum, nondum tamen præstitum est. Tales autem casus nunc rarissimi ob nauticæ rei scientiam, mutatos armorum usus, & politicas imperiorum leges. Olim, audentioribus barbaris, frequentes erant, & eventorum, quæ hodie incredibilia videntur, feraces. Juvat ergo Usipiorum exemplum recentiore felicioreque Francorum exemplo confirmare. Illud habet Eumenius in Panegyrico

rico Constantii, cap. 18. *Recursabat quippe in animos illa sub divo Probo & paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia, & indigna felicitas, qui a Ponto usque correptis navibus, Graeciam, Asiamque populati, nec impune plerisque Libyae litoribus appulsi, ipsas postremò navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas, & immenso itinere pervecti Oceanum, quâ terras irrupit, intraverant: atque ita eventu temeritatis ostenderant nihil esse clausum piraticae desperationi, quò navigiis pateret accessus.* Vide & Zosimum, libr. I. in fin.

Brotier ad cap. XXVIII. Vit. Agric.

DE MAGNO ANNO.

MALE in libris hactenus editis *annorum* XII M DCCCLIV. Magnus enim annus, auctore Cicerone in Hortensio, complectebatur annos duodecim millia nongentos quinquaginta quatuor. Rem illustrabit definietque Servius.

Magni anni originem explicat Servius ad hunc Virgilii versum, Æneid. III, 284.

Interea magnum sol circumvolvitur annum.

" *Magnum*", *ne putaremus lunarem esse, propterea dixit. Antiqui enim tempora sideribus computabant, & dixerunt primò lunarem annum triginta dierum: unde invenitur in aliquibus vita nongentorum annorum, scilicet lunarium. Postea solstitialis annus repertus est, qui duodecim continet menses. Mox majore curâ magnum annum esse voluerunt, omnibus planetis in eumdem recurrentibus locum, & hoc fit, ut diximus, secundùm Ciceronis Hortensium, post annos duodecim millia nongentos quinquaginta quatuor, solstitiales scilicet. Bene ergo nunc " magnum" addidit, ne Lunarem intelligeremus. Bene " Solis" nomen, ne quia dixerat " magnum", illum VII planetarum acciperemus & Platonicum; de quo varia & a Metone, & ab Eudoxo, & a Ptolemaeo, & ab ipso Tullio. Nam in libris de deorum naturâ tria millia annorum dicit magnum annum tenere.* In numero duodecim millium nongentorum quinquaginta quatuor annorum concordat vetustissimus Servii Mſ. codex, qui fuit olim in Bibliothecâ Collegii Ludovici Magni. Inde erroris arguas, & facilè emendes alterum Servii locum, in numeris omnino corruptum. Sic enim ibi Servius ad Æneid. I, 273. *Secundùm Tullium magnus* annus, *qui tenet*

net XII DLIV *annos: ut in Hortensio, "Et horum annorum, quos in "fastis habemus, magnus* XII DLIV *annos amplectitur*". Certissimè emendandum XII DCCCCLIV, ut patet tum e Tacito, tum ex ipsis, priore loco allatis, Servii verbis, *hoc fit, ut diximus, secundùm Ciceronis Hortensium, post annos duodecim millia nongentos quinquaginta quatuor.* Idem suadet Solinus, cap. 33. Sic enim ibi de phœnice. *Cum hujus vitâ magni anni fieri conversionem, rata fides est inter auctores: licèt plurimi eorum magnum annum non quingentis & quadraginta, sed duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis constare dicant.*

Rudi autem adhuc Astronomiâ, varia fuere juxta varios scriptores magni anni spatia, quæ vide apud Riccioli, Almagest. III. 13. Tom. I. pag. 130. & apud Marshamum, Canon Ægypt. pag. 9. In hac majore Astronomiæ luce nondum consentiunt Astronomi. Magnum enim annum Riccioli definit annis 25920. Tycho Brahe annis 25816. Cassini annis 24800.

Huic magnæ annorum conversioni, Platonicorum commentis celebratissimæ, famam addidit inquies mortalium animus, dum præterita laudat tempora, præsentia fastidit, futura optat speratque semper meliora. De magno anno plura non addiderim, maximè cùm hanc materiam eruditè tractaverit Cl. de la Nauze, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Tom. XXII. pag. 82 & seqq. Id unum memoraverim, quod non ita compertum. Magnum quoque annum habent Sinenses, cùm conjunguntur planetæ. Recens inventum, nec usurpatum ante Dynastiam Principum *Han*, quæ imperare cœpit anno 205 ante Jesum Christum. Nec constantem apud eos esse magni illius anni durationem, hoc sæculo certissimè compertum habuimus. Nempe, uti accepimus ex literis Mff. Patris Gaubil Soc. Jesu ab urbe *Peking*, die 25 Octobris, anno 1725, ad Patrem Souciet scriptis, cùm Jupiter, Mars, Venus, Mercurius mense Martio, anno 1725, proximassent, Sinenses mathematici statim confinxere quamdam Saturni appropinquationem, eorumque cum Sole Lunâque conjunctionem. Mox Imperatori *Yong-tching* libellos obtulere, & hanc renovationem sæculorum ei gratulati sunt. Hac de re publicas quoque magnatum gratulationes excepit Imperator. Ipse illam conjunctionem suis in edictis sæpissimè publicavit; & tribunal Mathematicum in memorialibus suis historiarum libris scripsit: "Anno tertio Imperatoris *Yong-tching*, secundâ Lunâ, "fuit septem planetarum conjunctio". Pater Kegler, Societatis Jesu Mathematicus, pro virili parte enixus est, ut id commentitium & falsum esse Imperatori persuaderet. Prævaluit Sinensis adulatio. Inde manifestum est, quàm levissimè adversùs sacros Hebraicæ

Scripturæ

Scripturæ libros a nonnullis objiciatur similis conjunctio, quæ fertur contigisse sub Principe *Tchouen-Hiu*. Hujus Imperatoris initia ad annum 2510, mortem ad annum 2433, ante Jesum Christum referunt. Mense autem Martio Lunam secundam numerant Sinenses, quòd ab ingressu Solis in Pisces, non verò, ut nos, ab ingressu in Arietem, (Taurum in fol. 4tò.) annum incipiunt. Inde quoque, cùm Judæi Sinenses Scenopegiam, seu festum Tabernaculorum, septimâ Lunâ celebrarent, ut diximus in priore Taciti editione, Tom. III, pag. 575, eadem more Sinico Luna octava numerabatur, ut habet epistola Patris Domenge.

Brotier ad cap XVI. Dial. de Orat.

DE CONGIARIIS ROMANIS.

BIENNIO antè: anno Vespasiani quarto, Urbis conditæ DCCCXXVI, datum est illud congiarium, cujus memoria exstat in nummo Domitiani, CONG. II. COS. II. id est, *Congiarium alterum*, Domitiano *consule secundùm*. In nummo quoque Titi, T. CAESAR VESPASIANUS TR. P. COS. II. & ex adversâ parte, CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT. id est, *congiarium tertium populo Romano impensis maximis datum*. Nemo autem miretur priscam rerum memoriam ad congiaria referri, cùm vix quidquam in imperio Romano iis fuerit illustrius. Hìc ergo, ubi se dat occasio & opportunitas, argumentum, in historiâ præcipuum, ferme tamen intentatum, tractare operæ pretium est.

Cùm adhuc tenuissima foret res Romana, congiis frumenti, vini, olei, aliarumque id genus rerum, quæ populo dividebantur, publicam gratiam reges quæsiere, nomenque fecere congiariis. Ancus Marcius rex instituto saluberrimo usus est, ut tributis auctoritatem conciliaret: atque, cùm salinas institueret, *salis modios sex mille in congiario dedit populo*, Plin. XXXI, 7.

Publicæ lætitiæ pars maxima semper fuere congiaria. L. Lucullus, *cùm rediit ex Asiâ millia cadûm* vini Græci, *in congiarium divisit ampliùs centum*, Plin. XIV, 14. Veterem morem secutus Julius Cæsar, dictator, triumphi sui cenâ singulas Falerni amphoras, singulos Chii cados, in singula convivia distribuit. Chium adhuc & Falernum in Hispaniensi triumpho dedit, Plin. ibid. Quanta tunc lætitia, cùm populus Romanus, per convivia divisus, inter patriæ triumphantiumque laudes, suam ipse fortunam felicitatemque

tatemque celebrabat! At plerumque perfida donorum natura. Et Julius Cæfar, qui vitia virtutefque in dominandi artes verterat, congiariis quoque ufus eft. Nec jam gulæ deliciis, fed, quibus vis acrior, auro argentoque publicam libertatem fregit. Eamdem viam iniit felicior Auguftus. Ne eam quidem afpernatus eft Tiberius, parcior tamen, quia aliis regnandi artibus validior. Ceteri deinde Principes hac viâ iere; alii liberalitate, alii confuetudine & prodigentiâ; alii avaritiâ, cùm darent, ut audaciùs auferrent; alii neceffitate: plebs enim largitionibus inefcata, infolefcebat, avida femper, femper egens.

Quanta autem impendia in congiariis Romani Imperatores fecerint explicaturus, præmonuerim congiaria data fuiffe plebi Romanæ, ejufque pueris ab undecimo ætatis anno, fæpe etiam minoribus: Augufto Principe, congiaria perveniffe ad civium millia numquàm minus quinquaginta & ducenta. Immo ipfe anno tribunitiæ fuæ poteftatis duodevicefimo, conful XII, trecentis & viginti millibus plebei Urbanæ dedit. Porro cùm, ab Augufti principatu, novi cives in tribus femper adlegerentur, femper ampliatus fit civium numerus, nullum erit amplificationis periculum, fi a Julio Cæfare ad Trajanum congiaria ducentis & quinquaginta hominum millibus, a Trajano ad M. Aurelium Antoninum, cùm Roma fuit frequentiffima & magna Principum liberalitas, trecentis millibus perveniffe computaveris. Poftea vel imminuta Urbis frequentiâ, vel adftricta Principum liberalitas, ut mox in Septimio Severo videbimus. At certè tum etiam congiaria centum quinquaginta millibus hominum pervenere. Immo his rationibus plurimùm minuentur congiariorum impenfæ. Verùm minuere potiùs, quàm augere expedit. Immenfa adhuc exfurget pecuniarum fumma in congiariis expenfa. Adde, ut Imperatoriarum largitionum vim intelligas, quemadmodum populo congiaria, fic militibus donativa fuiffe propofita, ac majores plerumque in donativis, quàm in congiariis impenfas fuiffe. His præmonitis, fcriptores veteres, nummos, Infcriptiones, ac maximè Mf. Codicem Cæfareæ Bibliothecæ Vindobonenfis [1] fecutus, Imperatorum congiaria exponam.

[1] Codex ille Mf. eft inter Hiftoricos Latinos codices Cæfareæ Bibliothecæ Vindobonenfis, numero 548. Illum, a Patre Conrado Janningo, Soc. Jefu, olim defcriptum, ex ejus apographo hìc referam, quòd, præter congiaria, plurima adhuc Romanæ antiquitatis, vel in fuâ ruditate barbarieque, atque etiam fuos inter errores erudito cuique facilè obvios, contineat.

* * * * * *

DE CONGIARIIS ROMANIS.

C. JULIUS CÆSAR *congiarium dedit denarios centenos*, Gallicæ monetæ libras 77. Mſ. Vindobon. De pecuniæ ſummâ conſentit Suetonius: at frumentum oleumque data inſuper docet. *Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, tricenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diviſit: & hoc amplius, centenos pro morâ.* Suet. in Jul. XXXVIII.

AUGUSTUS *congiarium dedit ter* A CCCLXII S. At hìc latet librariorum erratum. Fòrtè ſcriptum fuit olim X CCCLXII S, id eſt, *denarios trecenos ſexagenos binos cum ſemiſſe*, Gallicæ monetæ libras 282. Ut ut eſt, aliunde comperta nobis Auguſti congiaria. Nam, præterquàm quòd Auguſtus, poſt mortem Julii Cæſaris, ex ejus teſtamento plebi Romanæ viritim numeravit ſeſtertios trecenos, *Gallicæ monetæ libras* 58, ipſe conſul V, anno U. C. DCCXXV, nomine ſuo congiarium dedit ſeſtertios quadringenos, *Gallicæ monetæ libras* 77. Deinde conſul X, altero congiario itidem ſeſtertios quadringenos ex patrimonio ſuo pernumeravit. Tertium congiarium quadringenos adhuc nummos dedit anno tribunitiæ ſuæ poteſtatis duodecimo. Singula hæc congiaria pervenerunt ad civium millia numquam minus quinquaginta & ducenta. Singula ergo fuere millies ſeſtertiûm, ſeu *Gallicæ monetæ librarum* 19,455,025. Hiſce congiariis alias largitiones addidit Auguſtus. Conſul XII, anno tribunitiæ ſuæ poteſtatis duodeviceſimo, ſexagenos denarios, *Gallicæ monetæ libras* 46, trecentis viginti millibus plebei Urbanæ dedit. Tantus autem fuit, ut opinor, plebis Urbanæ numerus, quòd *ne minores quidem pueros præteriit, quamvis nonniſi ab undecimo ætatis anno accipere conſueſſent*, Sueton. in Aug. XLI. Conſul XIII ſexagenos adhuc denarios dedit plebi, quæ frumentum publicum accipiebat. Ea tunc erant millia hominum paulo plura, quàm ducenta. Hactenus Marmor Ancyranum, quod vide in priore Taciti editione, Tom, I, pag. 345. Præterea Auguſtus teſtamento legavit populo & plebi nummos quadringenties tricies quin-

IMPERIA CÆSARUM.

C. JULIUS Cæſar, imperavit annos III, menſes VII, dies VI. Congiarium dedit XC. Occiſus curiâ Pompeiâ.

DIVUS OCTAVIANUS Auguſtus imp. ann. LVI. m. IIII. d. VIIII. Cong. ded. ter A CCCLXII S. Hoc imp. navis Alexandrina prima in portum Romanum introivit nomine Acatus, quæ attulit frumenti modios CCCC, vectores MCC, piper, linteamen, carta, vitria, & opoliſcum cum ſuâ ſibi baſe, qui eſt in Circo maximo, altum pedes LXXXVII S. Exceſſit Nolâ.

TIBERIUS

quinquies, Gallicæ monetæ libras 8,463,059, ut dictum est Annal. I, 8.

TIBERIUS, Augusto Principe, cùm Germanicum triumphum ageret anno Urbis conditæ DCCLXV, *prandium populo mille mensis, & congiarium trecenos nummos,* Gallicæ monetæ lib. 58, *viritim dedit,* Sueton. in Tiber. XX. Deinde ipse Princeps congiarium dedit, cùm Neronem & Drusum patribus commendaret, Sueton. in Tiber. LIV, & Tacit. Annal. III, 29. Idem sanè est de quo Mſ. Vindobon. *congiarium dedit denarios* LXXII, Gallicæ monetæ libras 56. Moriens Tiberius legavit populo *quadringenties quinquagies sestertiûm,* Gallicæ monetæ libras 8,754,856. Dio. LIX, pag. 640.

CAIUS CALIGULA *congiarium populo bis dedit trecenos sestertios,* Gallicæ monetæ libras 58, Sueton. in Caio XVII. Legendum in Mſ. Vindobonensi *congiaria dedit denarios septuagenos binos cum semisse,* Gallicæ monetæ libras 56. Præterea de basilicâ Juliâ sparsit Caligula aureos & argenteos; in quâ rapinâ perierunt homines XXXII CCXLVII. At, ut puto, numeros turbarunt librarii. Emendandum mihi videtur: sparsit aureos & argenteos XXXII, id est, aureorum & argenteorum triginta duo millia; in quâ rapinâ perierunt homines CCXLVII.

CLAUDIUS, anno Urbis conditæ DCCXCVIII, *congiarium dedit denarios quinos & septuagenos,* Gallicæ monetæ libras 58, Mſ. Vindobon. Ita quoque Dio LX, pag. 682, qui addit in hac largitione fuisse, qui plus acciperent, nonnullis etiam datos mille ducentos quinquaginta nummos, *Gallicæ monetæ libras* 243. Postea anno Urbis conditæ DCCCIV, cùm Nero *princeps Juventutis* appellaretur, additum est nomine ejus congiarium, Tacit. Annal. XII, 41.

NERO,

TIBERIUS Cæsar imp. ann. XXII. m. VII. d. XXVIII. Cong. dedit XLXXII s. Hoc imp. in civitate Fidenis populo spectante amphitheater ruit & oppressit homines IIII CCV. Excessit Miseno.

C. CALLICULA imp. ann. III. m. VIII. d. XII. Cong. dedit XLXXII s; & de basilicâ Juliâ sparsit aureos & argenteos; in quâ rapinâ perierunt homines XXXII CCXLVII. Et spado occisus palatio.

TIBERIUS CLAUDIUS imp. ann. XIII. m. VIII. d. XXVII. Cong. dedit XLXXV. Hoc imp. primùm venerarli & malefici comprehensi sunt; homines

XLV,

NERO, Augusti magnificentiam æmulatus, *congiarium dedit quadringenos nummos*, Gallicæ monetæ libras 77, Mſ. Vindobon. & Tacit. Annal. XIII, 31. Hæc Principis liberalitas nummis celebrari cœpit. NERO CLAVD. CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. capite laureato. Ex adversâ nummi parte, CONGIAR. DAT. POP. id eſt, *congiarium datum populo*, Nero togatus dat congiarium. In aliis duobus ejus nummis CONGIAR. II. & CONGIAR. III. id eſt, *congiarium ſecundum, congiarium tertium*. Unde manifeſtum eſt plura fuiſſe ejus congiaria. Utrum iis annumeretur congiarium ejus nomine a Claudio datum haud dixerim. Nummos vide apud Harduinum, *Selecta opera*, pag. 721 & 722. Vide & Cl. Vaillant, *Hiſtoire de l'Académie Royale des Inſcriptions*, Tom. I, pag. 245.

GALBA, ſenili avaritiâ, congiarium promiſit, non dedit.

OTHO VITELLIUSque nec ſpatium, nec facultatem dandi congiarium habuere, præcipitibus fatis, belliſque civilibus publicas fortunas haurientibus.

VESPASIANUS, pacato terrarum orbe, *congiarium dedit denarios quinos & ſeptuagenos*, Gallicæ monetæ libras 58, Mſ. Vindobon. Et, cùm filios ſuos ſibi in omnibus æquaret, ut populus Romanus regnatrici domui aſſueſceret, a Tito Domitianoque congiaria

XLV, mulieres LXXXV ad ſupplicium ducti ſunt. Hic metas in Circo maximo deauravit. Exceſſit palatio.

NERO Imperator ann. XIIII. m. V. d. XXVIII. Cong. dedit XC. Hoc imp. fuit polyfagus, natione Alexandrinus, nomine Arpocras, qui manducavit pauca, aprum coctum, gallinam vivam cum ſuas ſibi pinnas, ova C, pineas C, clavos galligares, vitrea fracta, thallos de ſcopâ palmeâ, mappas IIII, porcellum lactantem, maniculum fœni, & adhuc eſuriens eſſe videbatur. Nero occiſus viâ patinariâ.

GALBA imp. m. VIII. d. XII. Cong. promiſit, ſed non dedit. Hic domum ſuam depoſuit, & horrea Galbæ inſtituit: decollatus foro Romano jacuit.

OTHO imp. dies XC. Ipſe ſe Brixellis interfecit.

BITELLUS imp. m. VIII. d. XI. Occiſus palatio.

DIVUS VESPASIANUS imp. ann. XI. m. VIII. d. XXVIII. Cong. dedit XLXXV. Hic prior tribus gradibus amphitheatrum dedicavit. Exceſſit Curis Sabinis.

DIVUS

congiaria dari curavit. Ex nummis, Titus, Consul secundùm, anno Urbis conditæ DCCCXXV, congiarium primum dedit: T. CAES. VESPASIAN. IMP. PONT. TR. POT. COS. II. capite laureato. In adversâ parte CONGIAR. PRIMVM. P. R. DAT. Secundum congiarium dedit anno sequenti Domitianus consul quoque secundùm. Sic enim in ejus nummo, CONG. II. COS. II. Tertium eodem anno dedit Titus, atque quidem impensis maximis, quòd natu major, triumphator, & imperii heres. Ejus nummi pars prior, ut suprà. In alterâ parte, CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT. SC. id est, *congiarium tertium populo Romano impensis maximis datum; senatusconsulto.* Hoc memorat Tacitus, Dialog. de Orat. cap. 17. Nummos verò vide apud Mediobarbum, pag. 121. Harduinum, loc. cit. pag. 733. Vide & Cl. Vaillant, loc. cit.

TITUS, deliciæ generis humani, principatum adeptus, at præproperâ morte raptus, *congiarium promisit, & non dedit.* Ms. Vindobon. Habetur quidem inter Arschotanos nummos, Tab. XXIX, num. 20, nummus unus Titi, jam Principis, & consulis octavùm, IMP. T. CAESAR. VESP. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. In adversâ parte CONGIAR. TER. P. R. IMP. DAT. Verùm nummus iste suspectæ est fidei, &, ut videtur, ad exemplum nummi suprà laudati expressus.

DOMITIANUS *congiarium ter dedit denarios quinos & septuagenos,* Gallicæ monetæ libras 58, Ms. Vindobon. Idem habet Sueton. in Domit. IV. In ejus nummis memorantur congiaria data sub ejus consulatu II, de quo modò dictum est, & sub ejus consulatu XI. Tertium congiarium in ejus nummis nondum repertum. Nec congiariorum numerus in his nummis signatur. Vide Cl. Vaillant, loc. cit.

NERVA

DIVUS TITUS imp. ann. VIII. d. XII. Cong. promisit, sed non dedit. Hic amphitheatrum a tribus gradibus patris sui duos adjecit. Excessit Curis Sabinis, cubiculo patris.

DOMITIANUS imp. ann. XVII. m. V. d. V. Cong. dedit ter XLXXV. Hoc imp. multæ operæ publicæ fabricatæ sunt: atria VII, horrea piperaria, ubi modo est Basilica Constiniana, & forum Vespasiani, templum castrorum & Minervæ, portam Capenæ, gentem Flaviam Divorum, Iseum & Serapeum, Minervam Calcidicam, Synodum Minuciam, veterem stadium, & Termas Titianas & Trajanas, amphitheatrum usque ad clypea, templum Vespasiani & Titi, capitolium, senatum, ludos IIII, palatium, metam sudantem, & Panteum. Occisus palatio.

NERVA

NERVA *congiarium* quoque *dedit denarios quinos & septuagenos*, Mſ. Vindobon. Alia daturus, ſi diutiùs vixiſſet. Fidem facit ejus nummus, IMP. NERVA CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. II. P. P. In adverſâ parte, CONGIARIVM PR. SC. id eſt, *congiarium primum, ſenatuſconſulto.* Vel moriens, egregiam voluntatem teſtatus eſt; *& funeraticum plebi Urbanæ inſtituit denarios ſexagenos binos cum ſemiſſe*, Gallicæ monetæ libras 48, cum aſſibus aliquot. Hæc autem in ejus funere fuiſſe data, non verò ſingulis annis emortuali die ſolvenda, crediderim.

TRAJANUS, ex Hiſpaniâ oriundus, primus exterorum, imperio Romano potitus eſt. Ne Romanorum Principum maneret deſiderium, priores dominos vicit donorum magnitudine; *congiaria*que *dedit denarios ſexagenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 505, Mſ. Vindobon. Noli tamen exiſtimare hæc data fuiſſe unico congiario. Nimia foret ſumma. Præterea in ejus nummis tria memorantur congiaria. Primum, primo ejus imperii anno, Urbis conditæ DCCCLI, datum: IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM P. M. TR. P. capite laureato. In poſticâ parte, COS. II. P. P. CONG. PR. id eſt, *conſul ſecundùm, pater patriæ, congiarium primum.* Infrà SC. id eſt, *ſenatuſconſulto.* Iſtud eſt congiarium, quod maximis laudibus extulit Plinius in Panegyr. cap. 25, 26, 27 & 28; hac de re omnino legendus, ut & congiariorum ratio cognoſcatur, & intelligatur quantum caverit Princeps optimus, ne quis liberalitatis ſuæ expers fieret. Poſtea, cùm conſul fuiſſet quintùm, duo alia dedit congiaria. In ejus nummis, COS. V. CONGIARIVM SECVND. & COS. V. CONGIARIVM TERTIVM. Ne tamen exiſtimes eodem anno data. Nam inter quintum & ſextum Trajani conſulatum novem anni interceſſere. Nummos vide apud Harduinum, ibid. pag. 747 & ſeqq. Ad primum Trajani congiarium pertinere mihi videtur elegantiſſima Inſcriptio, quæ adſervatur Romæ in Muſeo Collegii Romani, quamque Philippus Bonanni exhibet in *Muſeo Kircheriano*, pag. 103.

D. M.

NERVA imp. ann. V. m. IIII. d. unum. Cong. dedit XLXXV, & funeraticum plebi Urbanæ inſtituit XLXII S. Exceſſit hortis Salluſtianis.

TRAJANUS imp. ann. XIX. m. IIII. d. XXVII. Cong. dedit XDCL. Hoc imp. mulieres in Termis Trajanis laverunt VII Idus Julias. Exceſſit Silenunti.

D. M.
EVTYCHETI FILIO
QVI VIXIT ANN. VI
DIEBVS VI. INCISVS
INGENVVSQVE ACCEPIT
CONGIARIVM XC.
FECIT PATER BE
NE MERENTI.

Nempe Eutyches, ingenuus quidem, ſed infans parvulus, in liberalitatis teſſeras inciſus eſt, & Congiarium accepit denarios centum Gallicæ monetæ libras 77.

HADRIANUS, in quo magis fuere virtutum imagines, quàm ipſæ virtutes, Trajani liberalitatem æmulatus eſt. Nondum in Urbem venerat, jam ternos aureos, *Gallicæ monetæ libras* 63, populo viritim dari abſens curaverat. Deinde in Urbe duplex congiarium præſens dedit: &, ut maximam liberalitatis famam pararet, *infinitam pecuniam, quæ fiſco debebatur, privatis debitoribus in Urbe atque in Italiâ, in provinciis verò etiam ex reliquis ingentes ſummas remiſit, ſyngraphis in foro divi Trajani, quò magis ſecuritas omnibus roboraretur, incenſis*, Spart. in Hadrian. cap. 7. Quæ debebantur a ſedecim annis, nempe ab anno U. C. DCCCLV ad annum DCCCLXXI, fuiſſe remiſſa docet Dio LXIX, pag. 791. Summa autem reliquorum, quæ remiſſa ſunt, fuit novies millies ſeſtertiûm, *Gallicæ monetæ librarum* 175,095,225, teſte præſtantiſſimo Hadriani nummo, cujus in anticâ parte: IMP. CAESAR TRAJANVS HADRIANVS AVG. P. M. TR. P. COS. II. capite laureato; in poſticâ, RELIQVA VETERA HS NOVIES MIL. ABOLITA. SC. Hadrianus ſtans facem tenet & ſyngraphas incendit. Juvat quoque ex Mſs. ſchedis Sirmondi adtexere Inſcriptionem, quæ fuit in columnâ Trajani, teſte Joanne de Marchâ novâ.

S. P. Q. R.

ADRIANUS imp. ann. XX. m. X. d. XIIII. Congiarium dedit XM. Hoc imp. templum Romæ & Veneris fabricatum eſt. Exceſſit Bais veteribus.

ANTONINUS

DE CONGIARIIS ROMANIS.

S. P. Q. R.

IMP. CAES. DIVI TRAJANI PARTHICI F.
DIVI NERVAE NEPOTI TRAJANO HADRIANO
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. II.
QVI VNVS OMNIVM PRINCIPVM ET SOLVS
REMITTENDO SESTERTIVM NOVIES MILLIES
CENTENA MILLIA N. DEBITVM FISCIS NON
PRAESENTES TANTVM CIVES SVOS SED
ET POSTEROS EORVM PRAESTITIT
HAC LIBERALITATE SECVROS.

Ob tantas autem largitiones dictus est Hadrianus LOCVPLETATOR ORBIS TERRARVM. Toto principatu septem congiaria dedit. Tunc primùm obsolescere cœpit congiarii nomen, liberalitatis usurpatum. Indè in Hadriani nummis LIBERALITAS AVG. LIBERALITAS AVG. III. LIBERALITAS AVG. IIII. id est, *liberalitas Augusti, tertia, quarta.* Nummos vide apud Harduinum loc. cit. pag. 756 & seqq. Vide & Cl. Vaillant, loc. cit. pag. 246. Congiarii secundi, CONG. II. nummum habet Occo pag. 224. His autem congiariis, liberalitatibusve, ab Hadriano datos fuisse denarios mille, *Gallicæ monetæ libras* 778, docet Ms. Vindobon.

ANTONINUS PIUS, quo Principe prosperrima fuit res Romana, benevolentiam populi Romani fovit continuis liberalitatibus. Novem numerantur in ejus nummis, quarum ultima æquè inscribitur LIBERALITAS AVG. VIIII. COS. IIII. & CONG. AVG. VIIII. COS. IIII. id est, *congiarium Augusti nonum, consulis quartùm.* In his congiariis dati denarii octingeni, *Gallicæ monetæ libræ* 622. Ms. Vindobon.

LUCIUS

ANTONINUS PIUS imp. ann. XXII. m. VIII. d. XXVIII. Cong. dedit XDCCC. Hoc imp. Circensibus Apollinaribus parte iterum columna ruit & oppressit homines MCXI. Excessit Lorio.

DIVUS

LUCIUS VERUS, quem M. Aurelius Antoninus, egregio magis, quàm laudabili exemplo, imperii socium fecerat, congiaria dedit denarios quadringenos, *Gallicæ monetæ libras* 311. Mſ. Vindobon. In nummis quatuor congiaria a Lucio Vero data memorantur. Lucium verò ea dediſſe cum M. Aurelio Antonino teſtantur utriuſque Imperatoris nummi. In nummo enim Lucii Veri, cuſo Urbis conditæ anno DCCCCXIV, LIB. AVGVSTORVM. id eſt, *liberalitas Auguſtorum.* Nummus quoque M. Aurelii Antonini cuſus eſt anno Urbis conditæ DCCCCXXI, CONG. AVG. IIII. in cujus poſticâ parte duo Imperatores e ſuggeſto congiarium dant populo. Vide Cl. Vaillant, loc. cit. pag. 246. & Harduinum, ibid. pag. 777 & 781.

M. AURELIUS ANTONINUS, ut omnes Principes ſapientiâ, ſic liberalitate vicit. Hanc egregio dono teſtatus eſt anno U. C. DCCCCXVII, tribunitiæ ſuæ poteſtatis octavodecimo; ſic enim explicandus mihi videtur Euſebius in Chronic. ad annum XVIII. *Imperatores multis multa largiti ſunt, & pecuniam, quæ fiſco debebatur, provinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romanæ urbis foro incendi fecerunt.* Tunc M. Antoninus omnia, quæ ab annis quadraginta ſex, nempe ab anno Urbis conditæ DCCCLXXI, fiſco & ærario debebantur, remiſit, L. Vero imperii & liberalitatis ſocio. Quod perperam Dio, LXXI, pag. 814, ad annum DCCCCXXIX retulit, cùm ſolus imperaret Antoninus. Quanta autem pecuniæ vis tunc remiſſa fuerit, æſtimari poteſt ex iis, quæ ſuprà in Hadriano retulimus. Præterea Antoninus *congiaria dedit denarios octingenos quinquagenos,* Gallicæ monetæ libras 651, Mſ. Vindobon. Hæc data ſeptem liberalitatibus, in quarum ultimâ largitus eſt octonos aureos, *Gallicæ monetæ libras* 168. Numquam antea tantâ liberalitate donatus fuerat populus Romanus, teſte Dione, loc. cit. Quâ ejus obſervatione demonſtratur, quod antè monuimus, numeros codicis Mſ. Vindobonenſis de multis congiariis, non de unico, eſſe accipiendos. Septimæ autem hujus liberalitatis memoria exſtat in nummo Mediceo apud Eminentiſſimum Noris, *Epiſt. Conſular.* pag. 119. M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXIX. capite laureato.

DIVUS VERUS imp. ann. VII. m. VIII. d. XII. Cong. dedit XCCCC. Hoc imp. ſcrofa porcellum peperit inſigiem elephanti. Exceſſit Altino.

MARCUS ANTONINUS imp. ann. XVIII. m. XI. d. XIIII. Cong. dedit X LDCCC. Hoc imp. inſtrumenta debitorum fiſci in foro Romano arſerunt per dies XXX. Exceſſit Pannoniâ ſuperiore.

COMMODUS

* * * * * * * *

reato. In adversâ parte LIBERALITAS AVG. VII. Postea cùm M. Antoninus filium suum L. Aurelium Commodum imperii consortem fecisset, novam addidit liberalitatem, sed filii sui nomine, ut ejus favor cresceret. Inde in nummo Commodi COS. II. TR. P. V. LIB. AVG. id est, *liberalitas Augusti*.

M. AURELIUS COMMODUS *congiaria dedit populo denarios octingenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 651, Mſ. Vindobon. Octo ejus liberalitates in nummis memorantur; quarum multæ fuere *denariorum centenorum quadragenorum*, Gallicæ monetæ librarum 108, Dio, LXXII. pag. 825. Inde explices emendesque Lampridium in Commodo, cap. 16. *Congiarium dedit populo, singulis denarios septingenos vicenos quinos*, Gallicæ monetæ libras 564. Congiarium generatim universimque dicitur, nec unicum est intelligendum, quod non advertit eruditus Reimarus in Notis ad Dionem. Præterea cùm octo liberalitates dederit Commodus, earumque multas denariorum CXL, numeros codicis Mſ. Vindobonensis, quàm Lampridii, probabiliores crediderim. Illarum autem octo liberalitatum nummos vide apud Harduinum, ibid. pag. 793. Septem tantum liberalitates numerabat Cl. Vaillant, loc. cit. pag. 246.

P. HELVIUS PERTINAX *congiaria dedit denarios centenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 116, Mſ. Vindobon. Aliter quidem Dio, LXXIII, pag. 832, & Capitolinus in Pertinace, cap. 15, *congiarium dedit populo denarios centenos*. Non ita tamen a Mſ. Vindobonensi dissentiunt, si attenderis Capitolinum priùs dixisse, cap. 7. *donativa & congiaria, quæ Commodus promiserat, solvit*. Nempe Pertinax congiarium dedit denarios centenos. Exstat hæc liberalitas in nummo Pertinacis, LIB. AVG. TR. P. COS. II. Quinquageni autem ceteri denarii in solvendis congiariorum a Commodo promissorum reliquiis expensi.

SALVIUS JULIANUS brevitate imperii congiarium non dedit: ne promissum quidem militibus donativum repræsentavit; ideoque interfectus.

SEPTIMIUS

COMMODUS imp. ann. XVI. m. VIII. d. XII. Cong. dedit X DCCCL. Hoc imp. termæ Commodianæ dedicatæ sunt. Excessit domo Victilianâ.

PERTINAX imp. dies LXXV. Cong. dedit X CL. Excessit palatio.

JULIANUS imp. dies LXV. Occisus palatio.

DIVUS

SEPTIMIUS SEVERUS *congiaria dedit denarios mille centenos*, Gallicæ monetæ libras 855, Mſ. Vindobon. Octo Septimii Severi liberalitates in nummis memorantur, teſte Cl. Vaillant, loc. cit. pag. 246. Inſignis maximè tertia, cùm imperii decennalia celebraret anno Urbis conditæ DCCCCLV. Plebi enim, quæ frumentum publicum accipiebat, & prætorianis, denos aureos, *Gallicæ monetæ libras* 210, diviſit. Sic datum bis millies ſeſtertiûm, *Gallicæ monetæ libræ* 38,910,050. Numquam antea tantum populus viritim acceperat. Dio, LXXVI, pag. 859. Inde autem patet, quod obſervatu dignum, numerum plebis, quæ frumentum publicum accipiebat, imminutum eſſe ab Auguſti temporibus. Tunc enim fuere, ut ſuprà diximus ex marmore Ancyrano, paulo plura, quàm hominum ducenta millia. Nunc fuere tantùm paulo plura, quàm centum nonaginta millia.

SEPTIMIUS GETA, cùm Princeps fuit, congiarium non dedit, a fratre ſuo Antonino Caracallâ brevi interemptus. Dederat antè, vivo patre Septimio Severo, a quo cum fratre ſuo in imperii ſocietàtem adſumptus fuerat. Teſtes ſunt nummi tum Getæ, tum Caracallæ, inſcripti LIBERALITAS AVGG. VI ET V. id eſt, *liberalitas Auguſtorum ſexta & quinta:* ſexta Caracallæ, ut ex alio ejus nummo conſtat, quinta Getæ. Nummos vide apud Harduinum, ibid. pag. 807 & ſeqq. & Cl. de Boze, qui ſupplevit diſſertationem Cl. Vaillant, loc. cit. pag. 247.

ANTONINUS CARACALLA *congiaria dedit denarios quadringenos*, Gallicæ monetæ libras 311, Mſ. Vindobon. In nummis nona Caracallæ liberalitas memoratur, teſte Cl. de Boze, loc. cit. pag. 247. Non quòd novem liberalitates dederit princeps Caracalla, ſed quòd nona ſit a primâ, quam dederat pater ejus Septimius Severus anno Urbis conditæ DCCCCXLVIII. Sic enim explicandi mihi videntur nummi tum Severi, tum filiorum ejus Caracallæ & Getæ, quos vide apud Harduinum, loc. cit.

MACRINUS

DIVUS SEVERUS imp. ann. XVII. m. XI. d. XXVIII. Cong. dedit X MC. Hoc imp. Septiſonium & termæ Severianæ dedicatæ ſunt. Exceſſit Britanniæ.

GETA imp. menſes X. d. XI. Occiſus palatio.

ANTONINUS MAGNUS imp. ann. VI. m. II. d. XV. Cong. dedit X CCCC. Hoc imp. januæ Circi ampliatæ ſunt, & termæ Antonianæ dedicatæ ſunt. Hic ſuam matrem habuit. Exceſſit inter Ediſſam & Carras.

MACRINUS

MACRINUS *congiarium dedit denarios centenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 116, Mſ. Vindobon. & Dio, LXXVIII, pag. 902. Congiarium illud habent quoque nummi, teſte Cl. de Boze, loc. cit. pag. 247.

ANTONINUS ELAGABALUS *congiaria dedit denarios ducenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 194, Mſ. Vindobon. In nummis tres celebrantur ejus liberalitates. Vide nummos apud Harduinum, ibid. pag. 814. & Cl. de Boze, loc. cit. pag. 247.

SEVERUS ALEXANDER *congiaria dedit denarios ſexcenos*, Gallicæ monetæ libras 466, Mſ. Vindobon. Quinque ejus liberalitates numerantur in nummis, quos vide apud Harduinum, ibid. pag. 819 & ſeqq. & Cl. de Boze, loc. cit. pag. 247.

MAXIMINUS *congiarium dedit denarios centenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 116, Mſ. Vindobon. Exſtat quoque in nummis illud congiarium, teſte Cl. de Boze, loc. cit. pag. 247.

GORDIANI duo, nempe Gordianus ſenior ejuſque filius, in quâdam principatûs imagine exſtincti ſunt, Herodian. VII, 9.

PUPIENUS & BALBINUS *congiarium dederunt denarios ducenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 194, Mſ. Vindobon. Inde

MACRINUS imp. anno uno, m. IIII. d. II. Cong. dedit X CL. Hoc imp. amphitheater arſit. Occiſus Arcelaida.

ANTONINUS ELAGABALUS imp. ann. VI. m. VIII. d. XVIII. Cong. dedit X CCL. Eliogabalion dedicatum eſt. Occiſus Romæ.

ALEXANDER imp. ann. XIII. m. VIII. d. IX. Cong. dedit X DC. Hoc imp. fuit polyfagus, natione Italus, qui manducavit pauca, ciſtam, lactucas, vaſcellum Sardinarium, Sardas X, melopepones LXX, tallos de ſcopâ palmeâ, mappas IIII, panes caſtrenſes IIII, ciſtam, cardos cum ſuas ſibi ſpinas & ebibit vinum Græcanicum plenius, & venit ad templum Saturæ & ebibit labrum plenum, & adhuc eſuriens eſſe videbatur. Et termæ Alexandrinæ dedicatæ ſunt. Alexander Occiſus Moguntiaco.

MAXIMINUS imp. ann. III. m. III. d. duos. Cong. dedit X CL. Hoc imp. magna pugna fuit cum Romanis & Prætorianis. Occiſus Aquileiâ.

DUO GORDIANI imp. dies XX. Exceſſerunt Africæ.

PUPENIUS & BALBINUS imp. dies XCIX. Cong. dederunt X CCL. Occiſi Romæ.

GORDIANUS

Inde in nummis tum Pupieni, tum Balbini, LIBERALITAS AVGVSTORVM, Vide & Cl. de Boze, loc. cit. pag. 247. Immo cùm Gordianus, de quo mox dicetur, fuisset quoque appellatus Augustus, in uno e Pupieni nummis non modò legitur LIBERALITAS AVGVSTORVM SC. sed ibi quoque tres sedent Augusti, Pupienus scilicet, Balbinus & Gordianus.

GORDIANUS, Gordiani nepos, *congiaria dedit denarios trecenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 272, Mf. Vindobon. In ejus nummis liberalitates quinque reperit Cl. de Boze, loc. cit. pag. 247. Prima sanè fuit, de quâ suprà dictum est sub Pupieno. Patet ex Mf. Vindobonensi has Gordiani largitiones historicis non fuisse ignotas, ut existimavit Harduinus, loc. cit. pag. 829.

PHILIPPI duo, Philippus pater & filius, *congiaria dederunt denarios trecenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 272, Mf. Vindobon. Tres sunt in eorum nummis liberalitates.

TRAJANUS DECIUS *congiarium dedit denarios ducenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 194. Mf. Vindobon. Cujus liberalitatis exstat nummus.

TREBONIANUS GALLUS & VOLUSIANUS *congiarium dederunt denarios ducenos quinquagenos*, Mf. Vindobon. In utriusque nummis habetur hæc liberalitas AVGG. id est, *Augustorum*.

ÆMILIANUS *obscurissimè natus, obscuriùs imperavit; ac tertio mense exstinctus est*, Eutrop.

VALE.

GORDIANUS imp. ann. v. m. v. d. v. Cong. dedit x CCCL. Hoc imp. mula homines comedit. Agonem Minervæ instituit. Excessit finibus Parthiæ.

DUO PHILIPPI impp. ann. v. m. v. d. XXIX. Cong. dederunt x CCCL. Hi seculares viros in Circo maximo ediderunt. Occisus senior Veronâ, junior Romæ in castris Prætoriis.

DECIUS imp. ann. unum, m. XI. d. XVIII. Cong. dedit x CCL. Hoc imp. termæ Commodianæ dedicatæ sunt. Occisus prætoi io abrupto.

GALLUS & VOLUSIANUS imp. ann. II. m. IIII. d. IX. Cong. dederunt x CCL. His impp. magna mortalitas fuit. Occisi in foro Flamini.

ÆMILIANUS imp. dies LXXXVIII. Occisus Ponte Sanguinario.

GALLIENUS

VALERIANUS & GALLIENUS. Gallienus *congiaria dedit denarios mille ducenos & quinquagenos*, Gallicæ monetæ lib. 972, *& binionem aureum*, id est & viritim divisit nummum duos aureos valentem, seu Gallicæ monetæ libras 42. Mſ. Vindobon. Ex his verò congiariis tria dedit Gallienus cum Valeriano, ut constat ex multis tum Gallieni tum Valeriani nummis, in quibus CONCORDIA AVGVSTOR. Capita adversa Valeriani & Gallieni. Ex adversâ parte, LIBERALITAS AVGG. In aliis LIBERALITAS AVGG. III. id est, *liberalitas Augustorum tertia*. Quartam addidit solus Gallienus, cujus nummus exstat apud Cl. Banduri, *Numismata Imperatorum Romanorum*. Tom. I. pag. 133, LIBERALITAS AVG. IIII.

POSTUMUS, qui purpuram ceteraque Imperatorum Romanorum sumpsit, congiarium quoque dedit, ut patet ex ejus nummis POSTVMVS PIVS AVG. In adversâ parte, LIBERALITAS AVG.

CLAUDIUS GOTHICUS *congiarium dedit denarios ducenos quinquagenos*, Gallicæ monetæ libras 194, Mſ. Vindobon. In ejus nummis IMP. C. CLAVDIVS AVG. Ex adversâ parte, LIBERALITAS AVG.

QUINTILLUS *congiarium promisit, sed non dedit*, Mſ. Vindobon. Inde fortè suspectus videbitur nummus, cujus meminit Cl. Banduri, ibid. Tom. II, pag. 361, IMP. C. M. AVR. CL. QVINTILLVS AVG. In adversâ parte LIBERALITAS AVG. Adde nummum illum esse incerti moduli, & in cujus cimelio reperiatur ignorari. Illum tamen nummum memorat quoque Cl. de Boze, loc. cit. pag. 248. At erravit vir in re nummariâ peritissimus, cùm existimavit aut nulla ab Imperatoribus Romanis postea data fuisse congiaria, aut eorum nummos non exstare.

AURE-

GALLIENUS cum VALERIANO imp. ann. XIIII. m. IIII. d. XXVIII. Valerianus occisus in Syriâ. Gallienus Cong. dedit X MCCL. & binionem aureum. Occisus Mediolano.

CLAUDIUS imp. ann. unum, m. IIII. dies XIIII. Cong. dedit X CCL. Excessit Sirmi.

QUINTILLUS imp. dies LXXVII. Cong. promisit, sed non dedit. Occisus Aquilegiâ.

AURE-

AURELIANUS *congiarium dedit denarios quingenos,* Gallicæ monetæ libras 389, Mſ. Vindobon. Nulla exſtat in nummis memoria.

TACITUS, FLORIANUS, PROBUS, CARUS congiaria non dedere, Mſ. Vindobon. Multi tamen exſtant nummi Imperatoris Cari cum inſcriptione ABVNDANTIA AVG. Sed fortè nec viritim, nec plebi has largitiones diviſit.

CARINUS & NUMERIANUS *congiaria dederunt nummos quingenos,* Gallicæ monetæ libras 389. Mſ. Vindobon. Tunc congiaria dici cœpere *abundantia.* Inde in nummis tum Carini, tum Numeriani, ABVNDANTIA AVGG. Abundantia e cornu copiæ effundit nummos.

DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS HERCULIUS *congiarium dederunt nummos mille quingenos quinquagenos,* Gallicæ monetæ libras 1206; præterea *ſparſerunt in Circo aureos & argenteos,* Mſ. Vindobon. Apud Cl. Banduri, ibid. Tom. II, pag. 25 & 67, exhibentur eorum nummi inſcripti ABVNDANTIA AVGG. A. B. T. id eſt, ut videtur, *abundantia Auguſtorum prima, ſecunda, tertia.*

CON-

Aurelianus imp. ann. v. m. iiii. d. xx. Cong. dedit x d. Muro Urbem cinxit Templum Solis & caſtra in camp. Agrippæ dedicavit: Genium populi Romani aureum in Roſtra poſuit. Porticus termarum Antoniniarum arſerunt, & fabricatum eſt. Panem, oleum & ſalem populo juſſit dari gratuitè. Agonem Solis inſtituit. Occiſus Reno fluvio.

Tacitus imp. m. viii. d. xii. Occiſus Ponto.

Florianus imp. dies lxxxviii. Occiſus Tarſo.

Probus imp. ann. vi. m. ii. d. xii. Hoc imp. ſenatores agitaverunt in Circo maximo miſſus quatuordecim. Occiſus Sirmii.

Carus imp. m. x. d. v. Exceſſit Seleuciâ Babilonis.

Carinus & Numerianus imp. ann. ii. m. xi. d. ii. Cong. dederunt x d. His impp. fames magna fuit; & operæ publicæ arſerunt, ſenatum, forum Cæſaris primo im (*eruditus Eccardus edidit* forum, Cæſaris patrimonium) baſilicam Juliam, & Græcoſtadium. Occiſus campo Margenſe.

Diocletianus & Maximianus impp. ann. xxi. m. xi. d. xii. Cong. dederunt x mdl. His impp. multæ operæ publicæ fabricatæ ſunt. Senatum, forum Cæſaris, baſilica Julia, ſcena Pompeii, porticos ii, nympea iii,

templa

CONSTANTIUS & GALERIUS MAXIMIANUS Diocletiani & Maximiani Herculii liberalitatem aemulati sunt. Datum bis congiarium *nummos mille quingenos*, Gallicæ monetæ libras 1167, testatur Mſ. Vindobon. Ad has liberalitates fortè pertinet rarissimus Maximiniani Herculii nummus, quem memorat Harduinus, *Selecta Opera*, pag. 450. MAXIMIANVS P. F. AVG. capite radiato. In posticâ parte, ABVNDANTIA AVGG. ET CAESS. NN. Dea effundit pecuniam, excipiente eam ante pedes homine supplice. Post Constantium & Maximianum nulla memorantur congiaria. Nusquam in nummis apparent nomina, CONGIARIVM, LIBERALITAS, ABVNDANTIA. Divisum enim imperium nihil ferme veteris magnificentiæ retinuit.

templa II, Iseon & Serapeon, arcum novum, termas Diocletianas. Sparserunt in Circo aureos & argenteos. Parte itorum (*Cl. Ecoardus edidit* Ponte Idorum) podius ruit, & oppressit homines XIII. Et mater nomine Irene peperit pueros tres & puellam. Regem Persarum cum omnibus gentibus & tunicas eorum ex margaritis numero XXXII circa templa Domini posuerunt. Elephantes XIII, agitatores VI, equos CCL in Urbem adduxerunt. Excessit Diocletianus Salonas. Maximianus in Galliâ.

CONSTANTIUS & MAXIMIANUS imp. ann. XVI. m. VIII. d. XII. Cong. dedit bis X MD. Constantius excessit in Galliâ. Maximianus in Dardaniâ.

SEVERUS imp. ann. III. m. IIII. d. XV. Ipse se interfecit viâ Latinâ, miliario III.

MAXENTIUS imp. ann. VI. Hoc imp. templum Romæ arsit & fabricatum; & termas in Palatio fecit, & Circum in Catacumbas. Fames magna fuit. Romani traxerunt militem Mœsiacum & occisi sunt Romani a militibus homines VI. Romanis omnibus aureum indixit & dederunt. Fossarum ferunt, sed non perfecit. Occisus ad pontem Mulvium in Tiberim.

MAXIMIANUS imp. ann. IX. m. VIII. d. VI. Occisus Tarso.

LICINIUS imp. ann. XV. m. IIII. d. XVI. Occisus Thessalonicâ.

Hactenus Mſ. codicem Vindobonensem cum suis erroribus repræsentavi, ne insititiis emendationibus hiaret magis, quàm illustraretur. Nunc verò, ubi nullum est obscuritatis periculum, quædam in exemplum corrigam, aut explicabo: pluribus immorari longius foret & supervacaneum.

In Augusto, *vitria & opoliscum* pro *vitrea & obeliscum*.

In Claudio, *venerarii* pro *venenarii*.

In Nerone, *clavos galligares*, pro *clavos caligares*, qui militum caligis substernebantur.

In Vero, *insigiem* pro *in effigiem*.

In Alexandro, *cistam, lactucas* intelligo *cistam lactucis plenam*. *Cistam, cardos cum suas sibi spinas*, id est, cistam plenam carduis cum eorum spinis.

In Carino & Numeriano, *primo im* mendosè scriptum videtur pro *scena Pompeii* ut conjicere est ex iis quæ sequuntur in Diocletiano.

In Diocletiano, *parte itorum* scriptum videtur pro *parte iterum*.

Ex Edit. Tacit. à Brotier in 4to. & in 12mo. ad cap. XVII. Dial. de Orat.

STEMMA
AVGVSTAE DOMVS
A
IVSTO LIPSIO
In seriem redactum.

C. Octavius C. F. qui Macedoniae praefuit, Ex Ancharia priore uxore

- *Octavia maior.*
  - Ex priore marito C. Marcello
    - *M. Marcellus*, cui prima uxor, Pompeia Sexti: altera, Iulia Augusti filia. Ex neutra liberi. Obiit adolescens in Baiano.
    - *Marcella* maior. Ex I. marito M. Vipsanio Agrippa
      - Liberi, ait Suetonius, sed nobis irreperti. Nam de Vipsania Tiberii uxore falsum.
    - Ex II. marito Iulo Antonio Africano Triumviri filio, de quo Plut. in Antonio, et noster l. 3. Ann.
      - *L. Antonius Africanus*. qui Massiliae obiit, l. 3. Annal. Ex eo aut fratre aliquo, ut arbitror,
        - *Sex. Antonius Africanus*. de cuius nobilitate, l. 14. Ann. 46.
    - *Marcella* minor, de qua silent.
  - Ex II. marito M. Antonio III. viro
    - *Antonia* maior. Ex marito L. Domitio Ahenobarbo
      - *Domitia*, cui vir Crispus Passienus, uti suspicor ex Quinctil. lib. VI. cap. 11.
      - *Domitia Lepida*. Ex I. marito M. Valerio Barbato Messalla
        - *Valeria Messallina*, Claudii principis uxor. Adi Commentarium nostrum, ad finem XI. Ann. Et adde Senecam in Menippaea, qui Messallinae maiorem avunculum facit Augustum.
      - II. Ap. Iunius Silanus. Qui tamen antea maritus fuisse videtur Aemiliae Lepidae proneptis Augusti (vide Commentarium nostrum ad initium 13. An. etsi res haec adhuc nubila:) Exque iis forte
        - *L. Silanus* sponsus Octaviae.
        - *M. Silanus* proconsul Asiae.
        - *Iunia Calvina* Vitellii nurus, quaeque ad Vespasiani aevum supervixit ex Sueton. Vesp. cap. XXIII.
      - *Cn. Domitius*, cui uxor, Agrippina, et ex ea
        - *Nero* Imp.
    - *Antonia* minor. cuius stirpem ex marito Druso quaere infra.

STEMMA CAESARUM.

- *C. Octavius C. F.* qui Macedoniae praefuit, Ex Attia II. uxore
  - *Octavia* minor. de cuius coniugio aut stirpe nobis non lectum.
  - *C. Octavius*, qui postea C. Iul. Caes. Octavianus Augustus. Ex Scribonia uxore.
    - *Iulia*, cui primus maritus M. Marcellus, tertius Tiberius Imperator. Sed uterque sine prole. Medius autem M. Vipsanius Agrippa. Ex hoc
      - *C. Caesar*, cui uxor Livia soror Germanici. l. 4. Ann. 40.
      - *L. Caesar*, cui destinata uxor Aemilia Lepida, postea P. Quirinii uxor. l. 3. Ann. 23.
      - *Agrippa postumus.*
      - *Iulia*, cui vir L. Aemilius Paullus Censoris F. Ex eo
        - *Aemilius Lepidus*, cui Drusilla uxor. Ex Dione lib. LIX. et Sueton. Calig. cap. XXIV.
        - *Aemilia Lepida*, sponsa Claudii. Suet. Claud. cap. XXVI. Nec scio an eadem quae nupta Druso filio Germanici. l. 6. An. 40.
      - *Agrippina*, cui vir Caesar Germanicus. Et ex eo
        - *Nero*, cui uxor Iulia Drusi filia, l. 6. An. 27.
        - *Drusus*, cui uxor Aemilia Lepida, l. 6. An. 40.
        - *C. Caligula*, cuius matrimonia e Suet. pete.
        - *Agrippina*, cui mariti tres: Cn. Domitius, Crispus Passienus, Claudius Imp.
        - *Drusilla*, cui prior maritus L. Cassius: alter M. Aemilius Lepidus.
        - *Livia*, sive, *Livilla*, Suetonio: quae eadem *Iulia* est Tacito et Dioni. Nupsit M. Vicinio, l. 6. Ann. 15. Huic sive alteri e sororibus maritus antea Quinctilius Varus, quem generum Germanici vocat Seneca lib. I. controv. III. et aliquid Tacitus, l. IV. Ann. 66.

Habes

STEMMA CAESARUM.

Habes Auguſti Stemma, quod ad ſanguinem quidem attinet. Supereſt uxoria ſtirps, quae adfinitate primo, mox adoptione inſita in domum Auguſtam. Eam, lucis cauſſa, ſeorſum hic expreſſi.

- *Ti. Claudius Nero*, cui uxor Livia Druſilla, poſtea Auguſta. Ex hac
  - *Ti. Nero*, qui Imper. cui I. uxor Vipſania Agrippina, M. Vipſanii Agrippae, ex Pomponia, Attici filia. Ex hac.
    - *Druſus*, *cui* uxor Livia, ſive Livilla ſoror Germanici. Ex hac
      - *Tiberius Gemellus*, quem Caius ſuſtulit. Suet. cap. XIV.
      - *Gemellus*, alter, cuius nomen non proditum, ex l. 2. Ann. 84. qui periit quadrimus. ex l. 4. Ann. 15.
      - *Iulia*, cui vir poſt Ner. Germ. f. Rubellius Blandus, l. 6. Ann. 27. Ex hoc
        - *Rubellius Plautus*, quem Nero ſuſtulit, cui uxor Pollutia, l. 16. Ann. 10.
  - II. Vxor Iulia Auguſti F. Ex ea proles, ſed infans exſtincta.
  - *Druſus Nero Germanicus*, cui vxor Antonia minor. Ex hac
    - *Germanicus Caeſar*, cui uxor Agrippina. Stirps poſita ſupra.
    - *Livilla*, cui vir C. Caeſar, dein Druſus frater patruelis: deſponſa etiam poſtea Seiano. ex l. 6. Ann. 40.
    - *Claudius*, qui Imper. cui I. uxor. Plautia Vrgulanilla. Ex hac
      - *Druſus*, cui deſponſa Seiani filia. Suet. Claud. c. XXVII. Tacit. l. 3. Ann. 29.
      - *Claudia*, quam abiecit.
    - II. Vxor, Aelia Petina. Ex hac
      - *Antonia*, cui vir Pompeius Magnus, a Claudio interfectus. poſtea, Fauſtus Sulla.
    - III. Vxor, Valeria Meſſallina. Ex hac
      - *Octavia*, cui ſponſus L. Silanus. poſtea maritus Nero Imp.
      - *Claudius Britannicus*, a Nerone ſublatus.

IO. AVG. ERNESTI
EXCVRSVS I.
DE
VEXILLARIIS.

Vexillarii quod genus militum fuerint, non convenit inter eruditos. Sunt autem tres, quantum scio, opiniones. *Prima* est Lipsii, putantis fuisse veteranos, qui post legitima stipendia, extra legionem, sub vexillo haberentur, de Mil. Rom. I, 8. quem sequitur Ferrar. Elect. I, 3. *Altera* est cum aliorum, tum Pichenae ad Ann. I, 38. et I. F. Gronovii ad Agric. c. 18. qui legionarios quidem milites faciant, sed qui seorsim a legione sua aliquo missi essent privis sub vexillis: de quibus illis in locis agi putant. Atque etiam Lipsius hoc genus militum vexillarios a Tacito vocari agnoscit, ad H. II, 100. Eademque est ratio Schelii ad Hygin. p. 35. duo genera vexillariorum facientis, nempe veteranorum, et legionariorum, e legione, ob necessitatem aliquam, aut usum, delectorum, et quasi partis a legione sua, ob talem aliquam caussam, decerptae: Franci vocant *un detachement.* *Tertia* ratio est Salmasii, qui de Mil. R. c. 19. intelligi putat levis armaturae milites, cuique legioni attributos: nixus inprimis loco Taciti, Hist. II, 6. Has sententias probari non posse, nec convenire locis Taciti, facile docuerim.

Ac veteranos quidem non intelligi apud Tacitum per vexillarios (nam alioqui sic appellari potuisse, non negem: verum consuetudo loquendi in talibus audienda) hinc planissime patet: quod in multis Taciti locis vexillarii certae legioni aut legionibus pluribus tribuuntur, ut *vexillarii quartae decimae legionis*, *vicesimarii*, *trium Britannicarum legionum* etc. dicantur. Non autem credibile est, aut ullo modo demonstrari potest, veteranos e singulis legionibus separatim habitos sub vexillis, et eiusdem legionis vexillarios vocatos. Sed ex omnibus legionibus lecti sub uno pluribusve vexillis habiti sunt. Ap. Tacitum quidem Ann. I. 39. plurium legionum veterani sub uno vexillo habentur, simpliciterque veterani dicuntur. Neque ap. Tacit. A. I, 38. veterani intelligi ullo modo possunt, quia hi in castris fuerant, et exauctorati sub vexillo ad Vbiorum aram missi, dum vexillarii alio loco tumultuantur. Atque etiam H. II, 18. vexillarii opponuntur veteranis: tantum abest, ut ipsi veterani sint: *Certum erat Spurinnae - - nec tris cohortes praetorias, et mille vexillarios, cum paucis equitibus veterano exercitui obiicere.*

Altera

Altera ſententia, quae decerptos a ſua legione milites facit, convenit illa quidem quibuſdam locis, veluti A. I, 38. ubi vexillarii occurrunt in Chaucos miſſi ad praeſidia agenda: ſed non aliis. Ac primo non eſt probabile, militibus ad certum negotium aliquo miſſis peculiare nomen attributum eſſe illis temporibus, cum olim tales legionum partes a numero dicerentur, veluti unius, duorum ſignorum milites, duo manipuli, duae cohortes, etc. ſed potius planum, certum genus militum gradumve militiae fuiſſe, cui peculiare nomen repertum, quo ab aliis diſcernerentur. Deinde nomen a legione certa inditum, et quod omnibus legionibus vexillarii tribuuntur, id indicio eſt, fuiſſe certum et perpetuum quoddam corpus militum, certae legioni proprium, quod vexillariorum illius legionis nomine veniret. Quod in ſequentibus planius intelligetur.

Contra Salmaſii ſententiam iam diſputatum eſt a Ferrario l. c. et Schelio l. c. quae hic repetere nihil attinet. Vnum poſuiſſe ſufficiat. Salmaſius ipſe fatetur, eſtque notum ſatis, velitum uſum tantum fuiſſe in acie, et quidem ad irritandam pugnam. Atqui Ann. I, 38. miſſi ſunt ad præſidia in Chaucis agenda, a vicinia hoſtium infeſtis. Quis ibi velitum uſus, ubi caſtra vel urbes tuendae erant? Atque etiam multitudo vexillariorum repugnat. H. II, 83. eſt *ſexta legio cum tredecim millibus vexillariorum.* Vna legione pugnante, quo tot velites? In magno plurimarum legionum exercitu non tot velites fuiſſe crediderim. In eodem libro c. 24. vexillarii legionis XIII cum cohortibus auxiliariorum et equitibus in latere aciei collocantur ad tegendum latus. An is locus velitum in acie? Nullo modo. Iam his an meliora ſint noſtra, lector intelligens iudicet.

Dico primum, *Vexillarios fuiſſe peculiare genus militum, ſive, peculiarem militiae gradum,* qui certo numero eſſent cuique legioni attributi, ſed non ſub iisdem cum legione ſua ſignis militarent, verum ſub propriis vexillis; vt ſi vexillum ſ. vexillarii alicuius legionis deſiderarentur, ſtatim, quibus eundum eſſet, conſtaret. Clare patet ex A. IV, 73. *quod ubi L. Apronio, inferioris Germaniae propraetori, cognitum, vexilla legionum e ſuperiore provincia, peditumque et equitum auxiliarium delectos acceivit.* Si eſſent quicunque legionarii, delecti et decerpti e legionibus, non peculiaris ordinis milites vexillarii, cur non diceret brevitatis amans ſcriptor *legionum, peditumque et equitum auxiliariorum delectos.* Accedit nominandi ratio et alia ſupra dicta.

Secundo *Vexillarii fuere milites Legionarii.* Ex eodem loco Taciti intelligi poteſt. Tacitus dicit, Apronium, accitis illis vexillariis et auxiliaribus, proxima aeſtuaria aggeribus et pontibus firmaſſe, *traducendo graviori agmini.* Grave agmen vocari legiones, nemo ignorat aut dubitat. Atqui etiam vexillarii illo gra-

viori

viori agmine intelligendi. Addit enim: *interim, repertis vadis, alam Canninefaten, et quod peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium iubet*. Atqui hi sunt pedites et equites auxiliares, quos acciverat. Ergo etiam illa vexilla legionum per aggeres illos pontesque traducta, et gravioris agminis nomine comprehenduntur. II, 11. missis ex urbe *quinque cohortibus praetoriis, legione prima* et *equitum vexillis*, praeficiuntur Annius Gallus et Spurinna, ita ut iis copiae dividantur. Post c. 18. Spurinna dicitur habuisse tris cohortes, mille vexillarios, et paucos equites. c. 23. Annius Gallus auxilium Spurinnae laturus dicitur *primam legionem* in auxilium duxisse. Vnde igitur illi mille vexillarii? Non e legione prima? Favet etiam locus ex H. II, 24. ante allatus, ubi vexillarii legionis XIII cum auxiliaribus latera aciei tegunt, quod non nisi de legionariis intelligi potest. Nam praeter auxiliares nulli, quibus tale quid mandetur. Planissime autem intelligitur e locis, in quibus de iis ita loquitur Tacitus, ut de parte legionum atque etiam cohortium. L III. Hist. 48 *vexillarii e legione* memorantur, et, qui locus valde perspicuus, c. 6 *e cohortibus*: *Antonio vexillarios e cohortibus, et partem equitum ad invadendam Italiam rapienti* etc. Ecce tibi primum milites legionarios, deinde ex ipsis cohortibus sumtos, qui ad certas cohortes referrentur, essentque partes cohortium atque adeo legionis. Quibus locis ne utantur, qui delectos et decerptos e legione (detachemens) faciunt, videamus tandem, quae ista legionum et cohortium pars, nostra de sententia, fuerit.

Dico igitur tertio, *Vexillarios fuisse tirones in legionibus, eosdemque, qui olim hastati*. Id e modis loquendi Cornelianis, eorumque muneribus, demonstrare me posse spero. Ac primum vexillarii opponuntur, non illi quidem legionibus, sed robori legionum, H. II, 66 etiam *viribus legionis*: *quarta decimani se victos abnuebant: quippe Bedriacensi acie, vexillariis tantum pulsis* (sc. XIV. leg.) *vires legionis non adfuisse*. Adfuerat ergo pars legionis, sed non melior: vires abfuerunt. Si vexillarii non pars legionis, *legionem abfuisse* dixissent; si pars quaecunque, potius dixissent: *parte tantum pulsa: totam legionem non adfuisse*. *Vires* autem et *robur legionum* quid vocant latini? nempe, *non tirones*; ex veteris militiae more, *principes et triarios*. Ergo vexillarii tirones, ii, qui olim hastati. Auctores mihi, primum Cicero Ep. X, 33. *suboles et robur militum interiit*: subolem vocat tirones, robur ceteros: deinde Livius VIII, 8. ubi hastatos, id est, tirones, vocat *florem iuvenum pubescentium ad militiam*: quae est illa ipsa Ciceronis suboles: *robustiorem aetatem*, principes. Triarii autem non uno loco robur exercitus vocantur.

Iam

DE VEXILLARIIS.

Iam quia tirones minus firmi, eorum usus fuit maxime in defendendis oppidis, castris, verbo praesidiis agendis, ubi vallum et muri addunt animum, defendunt minuuntque periculum: in tegendis aciei lateribus, in quae non incumbit tota hostilis acies etc. Atqui eadém munia tributa vexillariis apud Tacitum, locis iam laudatis, vidimus. A. I, 38. H. II, 24. etc.

Restat, ut videamus, quare vexillari dicti sint hi potius, quam veterani, auxiliares etc. qui omnes sub vexillis. Id potuit fieri in honorem militum, qui iam plura stipendia fecissent, utque essent gradus militiae plures, honoratiorque militia (cuius passim mentio ap. Tacitum) reliquorum legionariorum, honoratior iterum evocatorum veteranorum. Maxime autem id factum puto propterea, quia hoc genus militum frequenter a corpore legionis suae amandabatur, ad praesidia agenda, ad vias muniendas, pontes, aggeres struendos, alias legiones firmandas, exercitusque augendos: ut tamen suas vires legio haberet, et tirones firmarentur usu et exercitatione paullatim ad graviora militiae munera sustinenda. Itaque saepe sub vexillis erant, de more militiae, propter absentiam a legione sua, saepe diuturnam. Vnde facillime factum, ut vexillarii simpliciter et proprie dicerentur.

IO. AVG. ERNESTI
EXCVRSVS II.
AD
SENATVSCONSVLTVM
DE
VESPASIANI IMPERIO
ad Hist. IV. 6.

CUM exemplum bujus monumenti De Imperio Vespasiani, *ex aenea tabula Romae servata, jam excusum sit, non necesse erit in hoc loco iterum typis mandare, sed fas sit ut Lectorem relegem ad priorem quandam Dissertationem, quâ* De lege Imperii, dictâ quoque Lege Regiâ *ratio à G. Brotier habita est.*

In hoc monumento sunt nonnulla, in quibus diligens lector haereat. Primum illud est, quod, cum apud Tacitum l. c. in senatu de imperio Vespasiani actum dicatur, tamen haec *lex* vocatur (n. 9.) eaque *rogata* (n. 8.) Atqui satis constat, illis temporibus leges, quae proprie dicerentur, factas non esse, sed omnia in Senatu acta, et Senatus- consultis sancita esse, sublatis populi plebisque comitiis per Tiberium. Sed contra doceri potest, etiamsi in principis Senatusque potestate omnia fuerint, tamen in nonnullis rebus comitiorum quaedam solennia, dicis caussa, esse servata, veluti in Consulibus creandis. vid. Sueton. Vespas. 16. Domit. 10 et ibi dicta. in adoptionibus, Tacit. H. I, 15. ubi legis curiatae mentio. Ergo etiam post SCtum de imperio principis, videtur de eadem re Lex curiata, usurpandae veteris memoriae et solennitatis caussa, rogata et facta esse: de quo infra plura dicemus.

Sed alia difficultas exoritur de comitiis, e capite quarto legis, quo cavetur, vt *quibuscunque comitiis* eorum extra ordinem ratio habeatur, qui *Senatui populoque Romano* commendati sint a Principe, quibusque *suffragationem dederint, promiserint.* Non quaeram, quam bene dicatur *suffragationem dare suam*, qui sciam, *suffragium dare*, esse potestatem suffragii alicui dare, non suffragio suo creare quem; nec cur additum sit, *promiserit:* cur dicit legislator, *quibuscunque comitiis:* cum non, ut ante, centuriata, tributa essent,

eſſent, quibus vel maiores, vel minores honores peterentur? cur *Populoque Romano*, cum populi in creando, honoribuſque mandandis, nulla tum pars eſſet. Eis rebus ſic occurri poteſt. Primo, etſi comitia ea, quae olim fuere, ſublata erant, tamen nomen comitiorum manſit; unde eorum etiam apud Plinium in Paneg. mentio, et apud Tacitum vid. A. I, 81. II, 36. etc. hoc tamen modo, ut non amplius epitheta vetera haberent, centuriataque et tributa dicerentur, ſed *magiſtratuum comitia* A. II, 36. *Conſularia* I, 81. etc. Ergo *quibuſcunque comitiis* eſſe poteſt, in omnibus magiſtratibus creandis: quicunque creandi erunt magiſtratus. Quod deinde *populi* mentio additur, id fit e vetere formula, *S. P. Q. R.* quae et in aliis rebus eſt ſervata, etiamſi ad ſolum ſenatum, nihil ad populum pertinerent; ſicut apud Ciceronem dicuntur *iudicia populi* ea, quae apud Praetores exercentur, quod ea olim ab ipſo populo exercita fuerant, ante quaeſtiones perpetuas. Sed cetera ex ordine capitum perſequemur.

Cap. I. ergo aliquid inſolentiae habet, quod Tiberius Imp. vocatur *Tib. Iul. Caeſar*, cum alias in monumentis antiquis vocetur *Tiberius Aug. F.* Neque Ryckius, cum ad breviarum L. I, Annalium, pro vulgato, *Nerone Claudio Druſo Caeſare*, reſcripſiſſet *C. Iulio Druſo Caeſare* (quod quare non imitatus ſim, ibi docui) laboraretque, vt huic ſuae correctioni colorem aliquem induceret, ullum antiquum monimentum afferre potuit, ubi ille Druſus, Tiberii filius, *C. Iulius* diceretur. Nam quod ex indice Conſulum L. LVII. Dionis profert, Δροῦσος Ἰούλιος Τιβ. υἱός: ſatis hodie conſtat, illos indices non eſſe a Dione, ſed additos, incertum, a quo, nec eorum auctoritatem hanc eſſe, ut talem controverſiam dirimere poſſint. Atque, ſi ratio Ryckiana recta eſſet, ſequeretur, ut multo magis pater Druſi *C. Iulius*, non *Tib. Iulius* diceretur. Neque tamen ea re nimis offendar. *Iulii* quidem nomen Tiberio convenire, dubitari non poteſt. Tiberii autem praenomen videtur aſſumtum eſſe pro *C.* ut diſcerni a Dictatore poſſet. Neque ipſe Auguſtus eo, eadem de cauſſa, videtur uſus eſſe, quippe ſaepe in monumentis antiquis *D. Caii filius* dicitur. Eandem ob cauſſam credo, Druſum, ubi Iulii nomen uſurpavit, aut eo appellatus eſt, praenominis loco *Druſum* dictum, etſi id proprie cognomen Liviae gentis eſſet, non *Caium*. Omnem mihi dubitationem eximit hoc, quod et libertos Tiberii reperio ſic vocatos in inſcriptionibus antiquis ap. Murat. p. 928. 929. in quibus eſt *Tib. Iulius Aug. lib.* Et video quidem, Maffeium in Critic. Lapid. p. 435. hanc inſcriptionem ſpuriam iudicare: ſed ſi maxime ſit; tamen Cannegieterus, V. C. de nomin. Rom. p. 4. et 216. alias inſcriptiones attulit, in quibus liberti

Tiberii appellantur *Iulii*. Enimvero, an poterant sic appellari, nisi patronus ita appellaretur pleno nomine?

Cap. II. Vespasiano permittitur primo *relationem facere et remittere*: quod ius ex h. l. laudat Zamosc. de Senat. R. II, 6. extr. non explicat. Id videtur fieri, cum iubet, a Consulibus relationem fieri: nam hoc quoque iuris Impp. habuere. Plinius Ep. IX, 13. et *relationem quidem de eo Caesar ad Senatum non remisit*, h. e. non iussit, referri de ea re ad senatum, ut bene explicat Cortius. Deinde permittitur Vespasiano, *SCta facere per relationem discessionemque*. Ex relatione fiunt omnia SCta, vel sententiis rogandis, vel per discessionem. Nam in quibusdam caussis discessionem non factam, sed omnes sententiam rogatos, certus auctor Cicero Phil. III, 9. idque frustra negavit Ateius, ap. Gell. XIV, 7. Sed ratio faciendi SCti conquisitis sententiis, dicitur etiam *per relationem*, ut praeter h. l. patet e Gellio l. c. extr. Caussa videtur esse haec; quod in hoc genere Consul nihil aliud quam refert ad Senatum, in illo altero etiam iubet discedere in partes. Hoc loco quaerit *Spanius* V. D. an Caesar non Consul relationem habuerit? Habuit utique, per tribunitiam potestatem.

Cap. V. datur *potestas proferendi pomerii, uti habuit Imp. Claudius*. Cur non additur, ut in aliis, *uti habuit D. Augustus*. Nam et hunc pomerium protulisse, diserte tradit Tacitus A. XII, 23. extr. Et quorsum haec potestas decernitur quam sua sponte erat habiturus, cum potestate proferendi fines Imperii bellis fortiter ac feliciter gerendis.

Cap. VIII. non ad vivum resecanda sunt verba *ac si populi plebisve iussu acta essent:* nec sic intelligenda, quasi tum aliquid populi plebisve iussu fieri solitum esset, quorum illud de comitiis centuriatis, hoc de tributis dicitur; cum omnia per senatum, secundum principem, gererentur: sed ut dicta e more vetere: quo firma erant, quae populus plebsve comitiis centuriatis tributisve iussisset.

Vltimum caput habet hanc inscriptionem: *Sanctio*. Enim vero caput legis potius videtur, quam sanctio legis. Nam in sanctione est constitutio poenae, aut aliud, quo lex stabilitur: quod hic non est: sed potius tribuitur Vespasiano potestas alios legibus solvendi, ut possint eius iussu impune facere, quae alii per leges facere non possunt.

Ceterum quoniam hoc fragmentum putatur esse *legis* eius, quae a Iustiniano *Regia* vocatur, nec male: de ea breviter dicendum videtur.

DE VESPASIANI IMPERIO.

De ea quam varie exiſtimatum ſit a doctis viris, non ignorant, qui in hoc genere litterarum verſati ſunt accuratius. Nam alii *regiam* vocari putarunt, quod ab regibus orta eſſet, ut *leges regias* Livius, Cicero, aliique commemorant: alii intellexerunt eam, qua ſub primordiis urbis Romae populus Romulo ſummam regiamque poteſtatem permiſit, ut Manutius, Cuiacius, Hotomannus, aliique: alii e lege decemvirali repetivere, quae *regio imperio duos eſſe* voluerit, quaeque poteſtas a duobus ad unum tranſlata ſit: alii a Sullana dominatione et lege Valeria derivarunt, quae in Caeſare, Auguſto, ceteriſque inſtaurata eſſet: alii ab Auguſto ſubornatum, qui talem legem ferret: alii ſub Veſpaſiano demum latam ſtatuerunt: alii plane ignorari illam legem, nihilque ex ea praeter nomen reſtare: alii denique totam rem commentitiam, et merum ſine re nomen eſſe legem regiam putavere.

Quae omnia falſa eſſe, recte iudicavit vir ſummus I. Fr. Gronovius in Or. de lege Regia ed. Lugd. Bat. 1678, et meliora docuit. Primum igitur tenendum, non uno eodemque tempore ſcriptam fuiſſe legem hoc nomine, et hac formula, quae iam tum *regia* diceretur, qua populus omne ius ſuum, imperiumque ſummum in principem tranſtulerit, minimeque omnium initio converſae reipublicae Romanae in monarchiam, quo adeo inviſum adhuc nomen regium erat, ut id ſibi tribui nullo modo paterentur principes, regiae poteſtatis alias appetentiſſimi, atque etiam potentiam ſuam occultare verbis factiſque mirifice ſtudebant.

Sed illo ipſo tamen tempore res paullatim coepit obrepere ignorantibus hominibus, donec eo creviſſet, ita adſueti eſſent ei rei homines, ut iam non vererentur, ei rei legis regiae nomen imponere: praeſertim cum regium nomen invidia ſua paullatim liberatum eſſet, idque variis in rebus vulgo ſine offenſione diceretur, in *funere*, quod olim Cenſorium appellatum eſſet, in *domo principis*, et ſexcentis aliis, quae frequentia ſatis apud ſcriptores inprimis tertii et quarti ſeculi, hiſtoriaeque Auguſtae auctores, occurrunt, ut vel Lexica docent. Gradus ipſos, per quos iſta lex regia orta, breviter tradit Gronovius a p. 47. - 75. facileque e Suetonii, Dionis, Taciti, aliorumque locis, cognoſci poterunt, quibus honores et iura, diverſis temporibus decreta C. Caeſari, Auguſto, Tiberio etc. commemorantur.

Haec veriſſime a Gronovio diſputari, nemo inficias iverit. ſed ubi ad illud ipſum monumentum, quod ab initio propoſuimus, defertur, non omni ex parte ſatisfeciſſe virum magnum nobis, fatemur. Non dubitat primum, hoc eſſe exemplum illuſtre poteſtatis, plus quam civilis, atque ipſa dictatoria maioris, ſimilique modo omnibus

nibus Impp. summam potestatem, admixtis forte paucis, permissam: deinde genuinum hoc monumentum iudicat, eosque ieiuni et diluti iudicii arguit, qui id pro spurio repudient: neque offenditur, quod *Lex* in monumento vocatur, quod Senatus Consultum Tacitus A. IV, 6. appellat, quia illis temporibus discrimen inter leges et SCta desierit, sublatis comitiis populi, et SCta quoque leges vocatae sint. Quae diligentius consideranda videntur.

Genuinum esse monumentum Romanum, non praefracte negem, etiamsi quasdam dubitandi caussas esse non abnuerim, quas vidisse eos puto, qui pro spurio repudiavere. Atque etiamsi ipse antea in difficultatibus diluendis laboraverim, tamen non ad omnes mihi paratam responsionem fuisse, res ipsa docet. Verum erunt fortasse alii acutiores, qui et his occurrere possint. Magnum etiam in utramque partem momentum, ac prope maximum fecerit, tabulam inspicere ipsam, et videre, an notas certas antiquitatis tantae habeat: quod, quidem affirmare non dubitarunt Fr. Blanchinus, et Raph. Fabrettus, diligentissimi talium rerum iudices. v. Ep. Fabretti ad I. V. Gravinam, ad calcem libri de Orig. Iur. item post Maffeus in Critica lapidaria Metastasius Italus, qui Tractatum ad hoc SCtum edidit Romae 1757. quem contra disputavit Cl. Spanius libello proprio.

Secundo, non ignoro, Caesarum temporibus *SCta* legum nomine comprehendi, et subinde in iure populari que loquendi ratione *leges* vocari. Ipse in Taciti libris locum talem reperi, ad quem notavi, legis nomine SCtum intelligi debere. Sed in ipso Senatus Consulti contextu legem pro SCto dici solitam, et quidem *legem rogatam*, id quidem nec credo, nec doceri posse arbitror. Itaque ei difficultati alia ratione occurrendum puto, qua simul universae huic rei aliqua lux adfundatur.

Scilicet, prima lex illa, qua Romulo imperium datum est, fuit curiata. Idque institutum mansit sub Regibus non modo, sed etiam libera republica. Consules centuriatis illi quidem comitiis statim ab initio creati sunt, auctore Livio I, 60. extr. sed imperium iisdem datum est lege curiata, quae modum potestatis Consularis definiit. Auctor rei est Tacitus A. XI, 22. *Quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt: quod lex curiata ostendit, ab L. Bruto repetita: mansitque Consulibus potestas deligendi etc.* Lex curiata nulla alia est, nisi lex de imperio et potestate regum, quae repetita est a L. Bruto, ut eadem Coss. potestas esset, quae regum fuit: atque eius pars fuit quaestores creare. Idque, sexcentis locis doceri potest, mansisse, ut honos comitiis centuriatis daretur, imperium curiatis, sive lege curiata: neque hodie attinet id docere,

postquam

postquam locus de lege curiata tot doctissimorum hominum accuratis disputationibus explicatus et illustratus est.

Crediderim igitur, ab eo tempore, quo Caesarum potestas certam formam acceperat, hoc quoque servatum esse, ut honoribus decretis, qui adsolerent (v. H. IV, 3. et ibi dicta) senatusque consulto post facto de imperio (v. ibid. 6.) Senatus decretum dicis caussa sanciretur lege curiata, ad eum modum, quo, extremis reipublicae temporibus, triginta lictoribus pro curiis suffragia ferentibus. Nam si in adoptionibus mansit lex curiata, ut ex H. I, 15. patet, quidni etiam manserit in imperio tribuendo? Neque obest, quod ap. Tacitum H. IV, 6. aliisque locis nulla eius diserta mentio extat. Satis constat, apud scriptores veteres in rebus, quibus SCtum et lex intercessit, tamen raro utrumque, sed modo SCtum solum, modo legem solam commemorari, alterum intelligi debere. Atque talem legem curiatam licet intelligere, ut supra dixi, hanc de imperio Vespasiani, diversam illam quidem a SCto, quod de imperio V. factum est auctore Tacito, sed forma, non materia et argumento. Nam Imperatores et in Vrbe Imperium militare habuere ut primum Imperatores sunt appellati.

Atque hinc etiam confirmatur id, quod ad H. IV, 3. 6. dixi, diversa esse decreta senatus, quorum istis in locis mentio fiat: loco priori decreta tradi facta de honoribus et nominibus honoris insignibus, posteriori de imperio: eaque diversis temporibus ac diebus facta. Semper ista in Rep. R. et bonis temporibus divisim et per intervallum data, etiam ipsi imperatores per intervalla sibi dari voluerunt, per speciem alicuius modestiae. Extremae adulationis fuit, omnia simul decernere. Nihil dicam de Augusto ac Tiberio: etiam mali ominis habitum in Pertinace, quod omnia simul, et ἀθρόως consecutus esset. v. Capitolin. in Pertinace c. 5. et ibi Casaub.

Ex Edit. Tacit. ab Ernesto Ann. 1772.

Typis excudebant W. Browne & J. Warren.

INDEX Tractatuum, qui in secunda parte hujus voluminis continentur.

DE FABVLARVM, LVDORVM, THEATRORVM, SCENARVM, AC SCENICORVM ANTIQVA CONSVETVDINE, LIBELLVS;

EX OPTIMIS AVCTORIBVS COLLECTVS, AD COMICOS FACILIVS INTELLIGENDOS, PRAECIPVE CONSCRIPTVS IN GRATIAM STVDIOSAE IVVENTVTIS.

NUNQUAM existimandum est cuiquam posthac familiarem Plautum aut Terentium futurum; eorumque intimum artificium, orationis characterem, atque venustatem, aliaque id genus plura quenquam plane assecuturum, nisi Comicam omnem dignitatem, morem, et agendi consuetudinem, quae ab antiquis in Fabulis ac Ludis observari solebant, exacte teneat. Ita fiet, ut postea nihil praeter metrorum rationem, ac versuum mensuras desiderare possit: quas nimirum ex Terentiano, omnium Latinorum Grammaticorum cultissimo, et in hac re plurimum exercitato, desumere licebit. Hic itaque libet adolescentulis bonarum literarum studiosis breviter proponere: primum, unde nata sit Comoedia, quoque pacto ante Comoediarum usum antiqui Poetae luserint: deinde vero, quomodo Comoediae agi ac pronunciari solitae fuerint, ut quid *Ludi* sint, quid *Theatra*, *Scenae*, *Actus*, *Personae*, et id genus caetera, facile intelligantur. Quod opus dum aggredimur, facilem atque attentum Lectorem esse cupimus, ut tandem intelligat, quid sit Fabula, Tragoedia, Comoedia vetus, Satyra, et nova Comoedia.

Quid Fabula, Tragoedia, Satyra, Comoedia vetus et nova.

Fabulae generale nomen est, Tragoediam, Satyram, et Comoediam in se complectens. Estque Fabula narratio quaedam conficta, et demissiore plerumque stilo ac versibus conscripta ad oblectationem auditorum. Unde etiam *Poemata* inter Fabulas a nonnullis connumerantur: quapropter quibusdam visus est Homerus Iliadem instar Tragoediae, Odysseam ad imaginem Comoediae conscripsisse.

Tragoedia autem Fabula est, qua antiqui reprehendebant, quod in rebus non solum privatis ac civilibus, sed maxime arduis et ad Principes attinentibus minus rectum videbatur. In ea scenici amurca, et olei faecibus (quas Graeci τρύγας vocant) perlinebant ora, ante usum personarum: unde Tragoediae nomen. Ejus grave argumentum fuit, petitum saepe ab historica fide: dictio severa, sublimis, saepe tumida: tranquilla prima, exitus funesti.

Post Tragoediam inventa *Comoedia*, quae *Vetus* dicta est: in qua (ut in Tragoedia quoque) simplex carmen fuit; quod carmen chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat: eratque primo una persona cantoribus substituta, quae respondens alternis choro, locupletabat variabatque rem musicam. Chorus autem in Tragoedia, aut *Comoedia Vetere*, dicebatur multitudo coaevorum juvenum, aut minorum in sacris, vel Scena, cantantium atque saltantium.

Fuit *Vetus Comoedia* Graecis *Archaea* dicta, quia esset de nobis parum cognitis vitiis: item etiam *Eteonymos*, quia inesset in ea velut historica fides verae narrationis, et nominatio omnium, de quibus scribebatur. Sed cum Poetae in Comoediis abuti licentius stilo, et passim laedere ex libidine coepissent plures bonos, lege lata, ne quisquam in alterum infame carmen scriberet, tacuerunt.

Satyra exinde sumsit exordium. Estque genus Fabulae, quae ex Satyris, quos illotos et petulantes Deos esse scimus, nomen sumsit. Fuit autem ejusmodi, ut in ea, quamvis duro et agresti joco, tamen vitia hominum, sine ullo proprii nominis titulo, carperentur, atque per scirpos, et aenigmata, magnae res describerentur. Id vero genus Fabulae multis obfuit Poetis, quum in suspicionem potentibus civibus venissent, quod illorum facta descripsissent in pejus, ac deformassent Fabulae genus stilo carminis.

Post exoletam Satyram inventum est a Poetis aliud Fabulae genus, quae *Comoedia nova* dicta est. Ea erat Fabula, continens imaginem civilium ac privatarum rerum: qua discebatur, quid esset in vita utile, quid evitandum. Unde ait Cicero, Comoediam esse imitationem vitae, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.

Nomen habebat *Comoedia*, vel a Como, Deo comessationis, vel ab eo quod primum Athenienses per vicos adhuc dispersi ex omnibus locis laeti alacresque conveniebant: ibique rudibus et incultis versibus potentiorum, aliorumque item hominum vitia nominatim perstringebant. Nomen autem compositum ἀπὸ τῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν. In summa, Comoedia est Poema sub imitatione vitae ac similitudine compositum, in gestu et pronunciatione consistens. In ea mediocres

cres fortunae hominum, parvi impetus, pericula quotidiana, turbulenta principia, laetique fuerunt exitus, et ficta argumenta. Caruit quoque choro nova Comoedia, contra quam Vetus, paulatimque personarum numero in quinque Actus processit: quod tunc quum ad cantores ab Actoribus transibat Fabula, consurgeret et abiret populus. In ea etiam personarum ornatus alius inventus est, pallia, socci, et id genus caetera.

Post novam Comoediam Latini multa Fabularum genera protulerunt, quae tamen Comoediae dicebantur. *Togatas* vocabant a scenicis indumentis, quae Romanam togam prae se ferebant, et ab argumentis Latinis; *Praetextatas* a dignitate et vestitu personarum, et Latina historia: *Atellanas* ab Atella Oscorum civitate, ubi inventae dicuntur: eae salibus consperfae erant, ac jocis compositae, in se non habentes nisi venustam elegantiam: quales sunt Plautinae: *Rhyntonicae* Comoediae dictae ab auctoris nomine: *Tabernariae*, ab humilitate argumenti et stili; *Palliatae* ab habitu et argumento Graeco. *Mimi*, ab inverecunda imitatione vilium rerum, et levium personarum. *Planipedia* quoque Comoedia dicta, ob humilitatem argumenti, ac vilitatem Actorum, qui non cothurno, aut socco utebantur in Scena, aut pulpito, sed plano pede: vel ideo, quod non ea negotia contineat, quae personarum in turribus, aut in coenaculis habitantium sunt, sed in plano et humili loco.

Omnium autem Comoediarum scripta, quae Dramata Graeci vocabant, ex quatuor rebus omnino sumuntur: Nomine, Loco, Facto, Eventu. Nomine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brundusina. Facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captivi. Eventu, ut Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Dividitur nova Comoedia in quatuor partes: *Prologum*, *Protasin*, *Epitasin*, *Catastrophen*.

Prologus est veluti praefatio quaedam Fabulae, in qua vel Poeta excusatur, vel Fabula commendatur.

Protasis est primus Actus Fabulae, in quo pars argumenti explicatur, pars reticetur, ad populi exspectationem tenendam.

Epitasis incrementum est, processusque turbarum, et involutio argumenti, cujus elegantia connectitur.

Catastrophe est explicatio Fabulae, per quam eventus ejus explicatur, atque approbatur.

DE LVDORVM ANTIQVORVM GENERIBVS.

Verum ut omnis Comoediarum ratio facilius intelligatur, atque adeo ea, quae omnem Comoediarum actionem spectant: attendendum est primum, quando fierent, quo loco, et qua forma.

 Hoc

Hoc autem tum demum Lector intelliget, cum pernoverit, quid fuerint apud antiquos Ludi, Theatra, Actus, Scenae, et hujusmodi caetera.

Vetus itaque Comoedia, item etiam Tragoedia primum agi solebat a Graecis, in vicis et pratis mollibus, adscriptis et propositis praemiis, quibus ad scribendum Poetarum provocarentur ingenia : actoribus quoque munera offerebantur, caperque dono dabatur, ut libentius jucundo vocis flexu ad dulcedinum commentationes populum allicerent.

Agebantur Comoediae et Tragoediae apud vetustissimos in honorem Liberi Patris. In Italia primum actae sunt Compitalitiis ludicris, admisto pronunciationis modulo, quo, dum actus commutabantur, populus detineretur. *Compitalitii* autem ludi dicti, qui per compita fiebant ; scenaeque ductiles in plostris ob id antiquis excogitatae. Postea vero factum, ut ludis publicis, et in Theatro agerentur Novae Comoediae apud Romanos.

Ludos vocabant publica spectacula, quae tum in gratiam populi fieri solerent a senatu, et a Principibus instituti, vel ad favorem populi conciliandum (ut nonnullos Caesares fecisse legimus) vel ad animorum relaxationem et oblectationem. Multo magis ad religionem instituti sunt Ludi. Nam Diis post sacrificia etiam Ludos publicos consecrabant.

Ludi igitur, et *Ludicra,* quae etiam *Certamina* vocarunt Latini, Graeci *Agonas,* multorum generum fuerunt : neque vero uno tantum spectaculo in publicis ludis detinebatur populus. Erant autem Ludi *Gymnici* et *Athletici : Ludi Circenses : Ludi Gladiatorii :* et *Ludi Scenici,* de quibus nunc singulatim est paucis differendum, partim ex Budaeo, nostrae Galliae lumine, partim ex Vitruvio, Luciano, et aliis antiquis auctoribus.

Gymnici et *Athletici* ludi in Palaestris ac Gymnasiis fiebant apud Graecos, quae loca fuerunt exercendis et corporis et animi viribus accommodata. Nam etiam in iis Palaestris aut Gymnasiis exedrae fuerunt, in quibus Philosophi Graeci sedentes disputabant. Sed et *Palaestrae* appellatio omnem Athleticam artem et exercitationem complectitur, decentiamque: qua status, motus, flexusque corporis, atque omnes omnino habitus venustatem quandam leporemque prae se ferunt : quam qui non didicerant, ii *Apalaestoi* ab antiquis dicti sunt. Eam vero artem qui exercebant, aut qui in palaestra exercebantur, vel decertabant praemiis, *Palaestritae* vel *Palaestrici* dicti sunt : Gymnicos Graeci etiam vocarunt, quod nudi Athletae exercerentur. Caeterum in palaestra *Gymnasii* (inquit Plautus) cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, saliendo se exercebant

cebant Athletae. Hujusmodi ludi in campo Martio apud Romanos fieri solebant.

Qui currebant in ludis Gymnicis, hoc est, cursu corpora exercebant, vel eo decertabant, Graecis *Dromi* appellantur, hoc est, cursores. Quorum alii *Stadiodromi* dicebantur, qui stadium percurrebant: alii *Diaulodromi*, a circumactu curriculi, id est, duplo curriculo, quod *Diaulon* vocabant: nam ii cursores quum ad metam pervenerant, flectentes, eo rursus recurrebant, unde cursum inierant. Erant et *Dolichodromi*, qui sexies stadium curriculo obibant: nam *Dolichos* longissimus cursus dicebatur.

Lucta, Graecis *Pale*, vel in coeno, vel arena, vel pulvere fiebat; unde luctatores in Ludis Gymnicis, aut *Palaestra*, Graecis *Palaestae* appellati. Ii luctaturi, *Ceromate*, id est, oleo cerato perfundebantur: unde qui eos ungebant, *Ceromatistae* dicti. *Pulvere* quoque post unctionem inspergebantur, ut corpora ceromate et sudore lubrica mutuas luctantium prehensiones admitterent: unde natum proverbium, *Citra pulveris tactum*, de iis, qui facile aliquid assecuti sunt, et citra sudorem, quod et *citra pulverem* dici potest. Eum pulverem Graeci *Aphen* dicebant. Inter luctatores quidam summis inter se manibus depugnabant, nullo complexu haerentes: eos *Acrochiristas* vocabant Graeci. Alii vicissim feriebant arrectaria concertatione, hoc est, arrecti, et pulvere obsiti, alter alterum impetebant procursu calcitratuque: calcibus enim, cubitis, unguibus, non modo pugnis utebantur, omnique impetendi prehendendique modo: *Pancratiastae* vocati, et *Pancration* hujusmodi certaminis genus, ex eo quod advocatis omnibus corporis viribus, omniumque nervorum contentione transigeretur.

Qui Disco se exercebant Athletae, *Discoboli* Graecis appellabantur, hoc est, Discum in sublime jaculantes. Erat autem Discus lapis rotundus ac pertusus, inquit Ammonius.

Pugilatus, quem Graeci *Pygmen* appellabant, caestibus exercebatur, quales a Virgilio lib. v. describuntur: in eo qui exercebantur, *Pugiles* Latinis, Graecis *Pyctae* dicti sunt: quod nomen ad gallinaceos pugnaces translatum est.

Saltationum in ludis Gymnicis multa genera fuerunt, quemadmodum docet Lucianus. Erat enim saltatio *Pyrricha*, a Pyrrho inventa, a qua *Pyrrhicharii* et *Pyrrhichistae* dicti: quae eadem saltatio *Enoplia*, id est, armata dicebatur: quod armati saltarent. Erat saltatio *Cordax* obscoena, et comica: et alia saltatio satyrica, quae *Sicinnis* dicebatur. Fuit item *Emmelia* saltatio, pacata et honesta. Qui vero saltus pernicitate contendebant in Gymnasiis, *Haltici* a Graecis dicebantur, qui autem *Halmate*, id est saltu

certabant,

certabant, apud antiquos utebantur *Halteribus*: sic enim vocabant plumbeas pilas, massulasve, quibus utraque manu se librabant, ut certius assilirent. *Chironomia* quoque erat saltatio gesticulatrix, qualis est, quam Mauricam vocamus: unde *Chironomi* hujusmodi gesticulatores dicti.

Circenses Ludi certamina erant curulia, quae in circo fiebant: qui locus erat ovata specie constructus, undecunque spectaculis ornatus: e quibus innoxie Patres, Equitesque Romani prospectare solebant: cujusmodi quendam Flaminius Romae construxit: unde circum Flaminium legimus, et circum Maximum, a Caesare dictatore exstructum, cujus vestigia adhuc hodie visuntur Romae, juxta aedem D. Sebastiano sacram. Fuit autem longitudine stadiorum trium, latitudine unius, cum aedificiis jugerum quaternûm ad sedem ducentorum sexagiata millium hominum. Erant in eo *Metae* depositae, duarum aut trium pyramidum formam referentes. In ejus summitate carceres erant, e quibus equi curribus juncti, ad cursum emittebantur, et quum ad summum devenissent, revolvebantur, donec ad priorem metam pervenirent. A curribus, hoc est, bigis, trigis, et quadrigis, Curules ludi dicti. Unde etiam dictos puto *Aediles Curules*, quod iis administrandis essent praefecti: erant enim omnium praestantissimi ludi. Nam in iis se exercebat, et magnis praemiis contendebat nobilissima Romanorum juventus, aptiorque ad bellum reddebatur. Fiebant primum apud antiquos inter enses et flumina, ut ab utraque parte esset ignaviae praesens periculum.

Agitatores dicti sunt aurigae in curuli certamine et Ludis Circensibus, quorum factiones erant a tunicarum coloribus: ut alii dicerentur Russati, Albati, Prasini, Veneti; atque ita insistentes curribus juvenes, velocitate equorum, aut agitatorum arte trahebantur.

Erant et *Desultores*, qui duos equos absque ephippiis agitantes, ex altero in alterum subinde mira pernicitate desiliebant: *Amphippos* Graeci vocant. Hinc *Desultoria levitas* in proverbium abiit: et equi desultorii dicti, ad id certamen accommodati.

Celetes et *Celetizontes*, equites erant in certamine curuli non bigis aut quadrigis utentes, sed equo uno insidentes: cujusmodi certamen hodie quoque nonnullis in locis celebratur.

Ludi Gladiatorii plerumque post scenicos fiebant. In iis decertabant gladiis, populumque celeri agitatione gladiorum oblectabant. Gladiatorum autem genera, Retiarii, Secutores, Mirmillones, Hoptomachi, Thraces: quorum exempla apud auctores crebra sunt. Horum institutores ac magistri *Lanistae* vocabantur. Non enim ignari gladiatoriae artis prodibant in publicum spectaculum, ad

ad praemia consequenda. Itaque apud Lanistas prius exercebantur in *Umbratilibus pugnis*, quas *Sciamachias* Graeci vocarunt: quod hujusmodi pugnae simulacra sub tecto fieri solita erant, non ut vera pugna, in sole et pulvere. Hujusmodi Lanistae sunt apud nos, qui gladiandi artem privatim profitentur; qui docent omnes numeros impetendi, cedendique, vulnera inferendi, vitandique, aut ubi punctim, caesimve feriendum. *Ludi* vero *Scenici*, qui et *Agones Musici* et *Dionysiaci* dicebantur, quasi Libero Patri dicati, ad Comoediarum, Tragoediarum, aut Satyrarum recitationem pertinebant: item ad cantus et poemata: Scena ob id in Theatro composita atque exstructa ea ratione, quam mox describemus. Qui se in his ludis exercebant, *Scenici* etiam dicebantur, et Dionysiaci artifices. *Ludorum*, aut certaminum *Diis* consecratorum, quatuor erant apud Graecos genera. Erant enim Nemea, Isthmia, Pythia, et Olympia; quae omnium erant maxima spectacula. In his Ludis proponebantur victoribus magna praemia, quae qui custodiebant, ludisque praeerant, βραβευταὶ Graecis, Latinis *Designatores* appellabantur, quorum officium erat, multitudinem retinere, obambulare, et spectatores moderari virgarum terriculo. Unde *Mastigonomi*, et *Rhabduchi* etiam dicti, quod virgas gestarent, ut in officio continerent spectatores. Musicis quoque agonibus erant *Critae*, id est, judices, a quibus *Critici*, id est, poematum judices dicti sunt. *Ludorum*, qui Diis consecrabantur, apud Romanos quatuor erant species. Eos ludos Aediles curules munere publico quotannis curabant. *Megalenses*, sive magni ludi dicti, quod magnis Diis consecrati essent: quibus ludis quatuor actae sunt Terentii Comoediae: Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Hecyra. *Funebres*, aut Funerales ludi, ad retinendum populum instituti sunt, dum pompa funeris, decreta in honorem patricii viri, plene ac publice instruebatur. His ludis acta est Comoedia Terentii Adelphi. *Plebeii*, sive Romani ludi pro salute plebis edebantur: quibus Ludis acta est Phormio. *Apollinares* ludi, Apollini consecrati, aut in honorem Apollinis instituti.

De Theatris et Amphitheatris antiquis.

Quo melius et commodius spectarentur Comoediae, Tragoediae, aut Ludi, sive ii Gladiatorii, sive etiam Scenici, vel alterius generis essent, instituta sunt ab antiquis, quae *Theatra* vocabantur, a commode videndo ac prospiciendo sic appellata. Nam ante Theatrorum usum, scenae super *Plaustris* ductilibus exstruebantur, ac per compita ductae, populo praebebant oblectationem. Theatra autem erant aedificia, vel apparatus in populi gratiam instructi, ad hemicycli speciem, ad spectandos ludos: *Spectacula* Latine possumus dicere. Cum forum institutum fuerit, (inquit Vitruvius)

Vitruvius) tum Deorum immortalium diebus festis, ludorum spectationibus, eligendus est locus Theatro quam saluberrimus. Fuerunt autem Theatra duorum generum: alia lignea et pluribus tabellationibus exstructa, qualia ludis publicis quotannis fiebant Romae, atque ea perennia non fuerunt: alia sumtuosa et nobilia, ex solidis rebus, id est, ex structura caementorum, lapide aut marmore constituta, quale est quod construxit M. Scaurus in aedilitate sua, item etiam Pompeius, et alii permulti. Ita autem compositum fuit antiquis Theatrum, ut eo conveniens, et commode sedens turba, e longinquo facile spectare posset, concavo aequalique parietum circumjectu, ut vel leni sono dicta verba, ad alterum theatri caput facilius ferrentur. Postea vero excogitatum est Theatrum in rotundam formam exstructum, alio multo excellentius atque capacius, magisque sumtuosum: quod quia veluti ex duobus constaret theatris, rotundamque figuram, non jam amplius hemicyclum referret, ob id *Amphitheatrum* dictum est, quale est, quod hodie Romae videtur, aliquando ab Antonio Pio aedificatum, et a Gothis devastatum (*Collisaeum* vulgus vocat) quod potissimum ad alia spectacula vulgo proponenda factum atque inventum fuit: nam ad scenicos ludos prospiciendos, magis idoneum erat Theatrum: ob quos praecipue inventum fuisse credibile est. Unde facile conjecerim, Terentium, quo tempore primum proposuit suam *Hecyram*, egisse in *Amphitheatro:* Scena per medium ipsius exstructa, et ad unum tantum hemicyclum spectante: nam ab utroque Amphitheatri semicirculo spectari non poterant Comoediae: quo factum, ut dum in aliud latus vacuum, alia spectacula confestim proponerentur, veluti pugiles, funambuli, et hujusmodi caetera: populus ante absolutam Comoediam illuc concurrerit, ad loca commodiora occupanda, quemadmodum ipse Poeta conqueritur, neque propter strepitum, et mulierum de loco pugnantium clamorem, absolvi potuerit. Quod ne accideret in publicis Ludis, existimo potissimum movisse Caium Curionem, qui bello civili in Caesarianis partibus obiit, ut *Theatra duo lignea*, eaque amplissima excogitaret, in quibus etiam duae essent scenae, propter spectatorum commoditatem. Erant autem (quod mirum fuit) cardinum singulorum versatili suspensa libramento, inquit Plinius, e quibus utriusque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter se aversis (ne invicem obstreperent scenae) et repente circumactis, ut contra starent; postremo iam die descendentibus tabulis, et omnibus inter se coeuntibus, faciebat Amphitheatrum, et gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum populum Romanum circumferens. Itaque vides, quemadmodum Scenici Ludi dum agerentur, aversis theatris agebantur, ne turba fieret: dum

autem

autem proponebantur, aut producebantur gladiatores, in Amphitheatri reducebantur formam, et in unum duo theatra coibant. Sed et novissimo die (ait idem) divisis duabus per medium scenis, Athletas edidit Curio, raptisque repente e contrario pulpitis, eodem die, victores e gladiatoribus suis produxit. Vides quemadmodum *Pulpitum* etiam auferebatur, dum gladiatores prodirent; nam ipsam aream occupabat: hoc autem factum fuit, fessis turbatisque volubilium theatrorum cardinibus. Nam ante non erat opus eximere pulpitum, cum contra starent scenae, et locum praeberent circumactis theatris in amphitheatri formam, post ludos scenicos absolutos.

Theatri conformatio; ejusque partes.

Sed quo tandem artificio, quave industria aedificatum fuerit apud antiquos Theatrum prospiciendis scenicis ludis idoneum, paucis hic vobis proponere libet, ne quid earum rerum praetermisisse videamur, quae ad hunc sermonem pertinere judicentur. Quod tamen non ita accipiendum erit, quasi ad unguem expressum, sed partim conjectura et ratione natum, partim ex iis descriptum, quae tum in antiquis ruinis aliquando vidimus, tum etiam ex auctoribus, qui de hac re scripserunt, comprehendimus. Itaque primum intelligendum est (quemadmodum paulo ante docebamus) Theatrum fuisse in semicirculi figuram compositum, atque ita conformatum, ut aeque gestus prospicerent, ac voces audirent (sine tumultu tamen) qui ad latera et in summis sederent gradibus, atque ii, qui in imis juxta Scenam. *Caveam* vocare videtur Plinius locum in Theatro, gradibus ac sedibus constructum atque compositum, in quo sederet populus. Cavea ipsa (inquit de Theatro Scauri) cepit hominum octoginta millia: cum Pompeii Theatri (sic enim legendum est: nam nunquam Pompeius Amphitheatrum edidit) toties multiplicata urbe, tantoque majore populo, sufficiat large quadraginta millia sedere. Nisi mavis Caveam accipere pro tota Theatri capacitate, ut etiam Scenam ipsam comprehendas, quod tamen minus probaverim. *Gradus* autem dicebantur in ipsa leniter pendente theatri forma, sedes lapideae, in hemicyclum etiam exstructae, e quibus commode prospiciebat populus. Super his Gradibus (quos non amplius quindecim esse conjecimus) sedebant spectatores, et ad eos undecunque commeabant, nullo inter conscendendum alteri noxam afferente. Illuc autem per Cuneos accedebant, qui tum in ima Theatri cavea, tum etiam supra ipsum, adeo ingeniose conformati erant, ut ab iis per alios scalares gradus ad quemlibet gradum spectatorium facilis pateret adscensus. *Cunei* spectaculorum (inquit Vitruvius) in Theatro ita dividantur, uti anguli trigonorum,

qui currunt circum curvaturam circinationis, dirigant ascensus, scalasque inter Cuneos ad primam praecinctionem. Supra autem alternis itineribus superiores Cunei medii dirigantur. Cunei in imo dirigentes scalaria, erant numero septem. Gradus spectaculorum, uti subsellia composita, erant non minus alti palmo pede, non plus pede et digitis sex, latitudines eorum non plus pedes duos semis, non minus pedes duos constituebantur, ut per id spatium latius, seu per ambulacrum quoddam, nullo negotio, huc atque illuc, ad vacuas sedes deerraret populus, absque eorum incommodo, qui jam consedissent. Post tres quoque singulos gradus, qui quartus in ordinem succedebat, duplo latior erat caeteris, ad leviorem Theatri proclivitatem, et ut singulis ordinibus singuli tres gradus relinquerentur. Ac ne petulanti aut insolenti populo propter sedes quantumvis accessu faciles, praeberetur rixae causa, cautum erat ne quilibet in quibuslibet sederent gradibus: sed in tribus primis, qui proximi essent Scenae pulpito, amplissimae et extremae dignitatis viri, in sequentibus consulares, in aliis patricii, ac deinceps plebeii in reliquis gradibus sederent. Itaque veteres Architecti, naturae vestigia persecuti, indagationibus vocis scandentes theatrorum perfecerunt gradationes, et quaesiverunt (inquit Vitruvius) per canonicam Mathematicorum, et Musicam rationem, ut quaecunque vox in Scena esset, clarior et suavior ad spectatorum perveniret aures, ac ne vox impediret, ita compositi erant gradus, ut linea quum ad imum gradum et ad summum extenta esset, omnia cacumina graduum angulosque tangeret. Atque ut vox Actorum suavior et delicatior spectatoribus videretur, antiqui Graecorum artifices, inter sedes theatri *Cellas* constituerunt ratione Musica, in quibus *Vasa aenea*, pro ratione magnitudinis theatri facta collocabantur, quae ita fabricata erant, ut quum tangerentur a voce, sonitum facerent inter se. Eoque artificio collocata fuerunt, ut nullum parietem tangerent, circaque haberent locum vacuum, et summo capite spatium, ponebanturque et suspensa cernebantur ore declivi, ut in iis vox actorum ingressa, harmoniam efficeret, et gratiam quandam afferret spectatoribus, utque intellectu facilior esset. Tale quiddam audio adhuc hodie exstare in quibusdam templis antiquis, quae nunc quoque supersunt integra, apud nostrae tempestatis Graecos. In quorum fornice inferiore, atque superiore varia sunt foramina hinc inde consperfa, ac sibi veluti ex diametro ab uno ad aliud latus correspondentia, in quibus vasa aenea impacta sunt, quorum os (quod angustius est, quam ipse venter) tantum exterius patet, non etiam prominet. In ea vasa, vox in templo canentium inclusa, incredibilem efficit harmoniam, sonosque distinctissimos, et admodum gratos, atque auditu faciles.

Sed

Sed in theatris vasa resupina suspendebantur. Tale quid autem Romae factum fuisse suis temporibus negat Vitruvius, sed in Italiae regionibus et in pluribus Graecorum civitatibus. Unde Lucius Mummius diruto Corinthiorum theatro ejus aenea vasa Romam deportavit. Multi etiam architecti, qui in oppidis non magnis theatra construxerunt, propter aeris inopiam, *fictilibus doliis* ita sonantibus electis, hac ratiocinatione compositis, usi sint. Quapropter Plinius ait, in theatris vocem optime currere in doliis inanibus. In ligneis autem theatris (ait Vitruvius) quae Romae passim fiebant, non erat vasis aeneis opus, cum tabulationes haberent complures, quas sonare necesse erat. *Aditus* permulti et spatiosi dispositi erant circa theatrum, nec conjuncti superiores inferioribus, sed ex omnibus locis perpetui et directi, sine inversuris: uti quum populus dimittebatur e spectaculis, non comprimeretur, sed haberet ex omnibus locis exitus separatos sine impeditione. Reliquum theatri artificium a gradu omnium superiore in altitudinem trium contignationum exporrectum erat, etiam in hemicyclum: atque ita exaedificatum, ut porticus efficeret, undecunque patentes, et columnis hinc et inde ornatiores factas, in quas populus se reciperet, si quando propter imbres, aut coeli tempestatem minus commodam, ludi interpellarentur. Eam theatri partem *Praecinctiones* videtur appellare Vitruvius: Plinius, *Parietem circumjectum*. Sed inferiores et imi theatri porticus duplices erant, mediaque spatia sub divo inter porticus, viridibus adornabantur, quod (inquit Vitruvius) *Hypaethrae ambulationes* haberent magnam salubritatem. Replebantur quoque, auctore Plinio, flore croci sylvestris, propter oculorum oblectationem, ut puto, magis quam ad odorem conciliandum. Quin etiam ne solis ardor aut etiam conspectus populum ab officio deturbaret: utque salubrius spectatores conspicerent (nam porticus propter imbres tantum aedificatae fuerunt) excogitata sunt *Vela* toto *Theatro*, atque adeo ipsi theatri caveae supertensa, quae spectatoribus umbram facerent: quod primus omnium invenit Q. Catulus, cum Capitolium dedicaret. Carbasina deinde vela primus in Theatro duxisse traditur Lentulus Spinther, Apollinaribus ludis: mox (ait Plinius) Caesar Dictator, totum forum Romanum intexit. Nero Caesar velis, rudentibus superstratis et colore coeli stellati amphitheatrum contexit, ut solem defenderent. Ima theatri sedes vel potius id spatium quod ab ima sede theatri interjacebat pulpito, *Orchestra* dicebatur, quasi saltatorum, quod illic apud Graecos et apud Latinos antiquiores, saltantes histriones populo oblectationem afferrent, interea dum actus commutarentur. In eam etiam Thymelici, hoc est, Citharistae, Citharoedi, Tibicines suas praestabant actiones ipsis Graecis,

atque id ſpatium comprehendebat apud antiquos, quod ceu centrum theatri ab imo gradu ad pulpitum uſque ſcenae vacuum relinquebatur. In theatrorum Orcheſtris (inquit Plinius) ſcobe aut arena ſuperjecta vox devoratur, et in rudi parietum circumjectu: quapropter exiſtimo probe emundatum fuiſſe, ſi quando pugilum ludis arena conſperſa videretur. Noviſſime autem apud Romanos Orcheſtra Senatoribus dicata fuit, in qua honorificentiorum erant loca deſignata, propter commoditatem: ut inde, non ſolum verba et geſtus, ſed etiam pedum motiones, et vel minima quaeque conſpicerent: proximus enim hic gradus erat pulpito ſcenae, de cujus compoſitione mox dicendum eſt.

Poſitio, et Conſtructio Scenae in Theatro.

Ante Theatrum, ceu frons quaedam ipſius, ſcena oppoſita fuit, pro re nata et agenda Comoedia aut Tragoedia exſtructa: uno aut altero tantum die uſui futura: niſi fortaſſe ligneus apparatus in aliquot dies proferretur. Nam de ſcenis ſumtuoſis, et praeter conſuetudinem ſupra modum luxuriantibus hic non intelligimus. In hunc autem modum diſpoſita erat, quantum ego conjectura aſſequi poſſum. *Scena* binis pluribuſque contignationibus aut contabulationibus, ſi mavis, exſtructa fuit: circa quas ſingula ambulacra, aut porticus columnis pluribus diſtinctae videbantur. Atque ea frons ſcenae appellata fuit. In cujuſlibet contignationis frontiſpicio, quod theatrum reſpiciebat, portae ingenioſiſſime depictae et exitus varii fuerunt, in quibus praeſertim ſuperiorum contignationum, Mimi, Mirmillones, et caeteri Ludii varios geſtus ac geſticulationes edebant, unde *Scenici* proprie dicti. *Chorus* etiam, mea ſententia, in iis ſuperioribus contignationibus referebatur, dum agerentur Tragoediae, niſi mavis, poſt ſcenam in loco deſtinato fuiſſe chorum, et cantores ac tibicines, qui locus *Odeum*, ut puto, ob id vocabatur a cantibus. Sed in iis quoque locis fiebant et nebularum icones, et Deorum deſcenſus, et caetera id genus, ad magnas et ſumtuoſas Comoedias apta. Exiſtimo tamen in humili Comoedia non fuiſſe tantum apparatum. Ima ſcenae contignatio prominentiores exerebat columnas, veluti porticus quaſdam latiores ſub quibus caſulae et ruſtica domicilia in novis Comoediis, variis ſcenae locis conſtructa erant, urbes quoque, et loca remotiſſima referebantur in Tragoediis: e quibus prodibant actores, et illuc quoque ſe referebant ad tempus. In eadem ſcenae parte excitatum fuit, quod *Podium* appellabant (etſi Podium in columnis id ſignificare ſoleat, quod vocant Pedaſte) circa ſecundae porticus medium prominebat, ne noceret actoribus. Breve quoque fuit, et paucorum capax, idque fere videbatur referre, quod in aedificiis nobilioribus circa ſecundam praecipue contignationem prominere

vid-

videmus ad fenestras, *Perronem* vulgus vocat, post Pulpitum exertum videbatur. Opertum erat tentorio quodam insigni, et quod ipsum undecunque ambiret, ut in eo secretius et magis abdite spectarent Principes, qui nonnunquam illuc se conferebant. Nam e Podio ludos ac Comoedias spectasse Neronem scribit Tranquillus. Dictum ajunt, quod in eo spectatores aut etiam tibicines pedibus innixi essent, non sederent: vel quod in eo nonnunquam pedibus gesticularentur histriones in actuum commutatione. *Pulpitum* in Scena, (Graeci λόγιον vocabant,) locus erat, in quem prodibant actores e casulis aut domunculis suis scenicis, ad recitandum, nostri vocant *Eschaffault*. Fuit exactissime situm ante frontem scenae, et loco ipsius medio, qui theatri centro responderet, semper ligneum fuit, atque exemtile, etiam si scena structili materia constructa fuisset. Eximebaturque in Athletarum et gladiatorum spectaculis, scena nihilominus integra manente. Paulo altius videbatur ima scenae porticu, in qua actorum domos constitutas esse dicebamus: ad idem leniter adscendebant actores pronunciaturi: haud aeque longum fuit atque ipsa scena, altum tantum erat pedes quinque, ut qui in Orchestra sederent, facilius pedum motiones et singulos agentium gestus perciperent. Id spatium quod utrinque a Pulpito ad extremam Scenam vacuum relinquebatur, Graeci vocabant *Prosenium*, ne quis existimet fuisse scenae latera. *Periacta* vocarunt Graeci in scenis suis Turres, aut Machinas, trigonas habentes, vel triangulares, miro artificio constructas, in uno atque altero scenae latere positas, variis coloribus secundum angulos distinctas, versatiles: ut inter spectandum, dum animi ad histriones paulo attentiores essent, paulatim revolverentur, et modo rubrae, modo virides, aut alterius coloris apparerent: quae res non parvam oblectationem spectantibus afferebat. Hae, quum Fabularum mutationes erant futurae, seu Deorum adventus cum tonitribus repentinis, versabantur, mutabantque speciem ornationis in frontes. Ex iis projectitios ignes vibrabant, in iis fingebant tonitrua, pluvias, et quicquid in Tragoedia admiratione dignum fuit: sed hoc maxime in honorifico et sumtuoso Comoediarum aut Tragoediarum genere. Secundum περίακτα, nempe ad Scenae latera, itinera et *Versurae* procurrentes erant, quarum una efficiebat. ut actores a foro, altera, ut peregre prodire, aut illuc regredi viderentur. In media Scena *Valvae regiae* conformatae erant, circa quas utrinque fuerunt composita *Hospitalia* quae vocat Vitruvius, e quibus actores prodiisse puto. Omnium Scenarum, quas Romani in Theatro unquam construxerunt, longe nobilissima fuit ea, quam *M. Scaurus* in aedilitate sua construxit. Eam triplicem fuisse refert Plinius, altitudine CCCLX columnarum, *Ima* pars Scenae marmoreos habuit

habuit parietes, non facile dixerim sectos an solidis glebis politos. *Media* fuit e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriae. Summae tabulis inauratis columnae, imae duodequadragenûm pedum. Signa cerea inter columnas fuerunt, tria millia numero. Sed et reliquus apparatus tantus Attalica veste, tabulis pictis, caeteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quae superfluebant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis concremaretur ad sestertium millies. *Scenarum* autem (ait Vitruvius) genera sunt tria, unum quod dicitur *Tragicum*, atque id omnium sumtuosissimum fuit : alterum *Comicum* : tertium *Satyricum*. Horum autem ornatus sunt inter se dissimiles, disparique ratione : *Tragicae* enim deformantur columnis, fastigiis et signis, reliquisque regalibus rebus. *Comicae* autem aedificiorum privatorum et menianorum habent speciem, prospectusque fenestris dispositos, ad imitationem Communium aedificiorum. *Satyricae* vero ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis. Post Scenam *Porticus* erant constructae, quo quum imbres repentini ludos interpellaverant, actores se recipiebant ex Pulpito, aut in quibus vestium commutationes, et personarum indumenta adservabantur. Ipsam autem personarum repraesentationem in Scena, atque adeo compositionem Comoediae, Graeci *Drama* vocarunt. Sed et Scenam vocant Comici, quicquid duae aut tres personæ sermonis integri et absoluti colloquuntur, illicque finit Scena, ubi aut aliqua persona introgreditur, aut alia ad forum, aut alibi ad vicinam currit. *Actus* autem plures scenas comprehendebat. Estque in Comoedia pars quodammodo absoluta et integra, nondum tamen rem omnem finiens : sed ita dimidiatam relinquens, ut respirent spectatores, et facilius commutetur, quicquid in reliquis Comoediae partibus superest : id autem *Actus commutare* dicebant. Interea Mimi dicteria et diverbia referebant, recitabanturque nescio quae jucunda, quae populum alia oblectatione afficerent. In Comoedia vero plures erant hujusmodi Actus, secundum rei gravitatem, aut rationem. Comoediarum autem recitatio in Scena, *Actio* dicebatur : unde etiam qui agebant et Fabulas pronunciabant, *Actores* dicti. Actio quoque ad orationis pronunciationem transfertur ; ut etiam ipsa oratio Rhetoris vel scripta vel pronunciata Actio dicatur.

Scenicorum Actorum diversitas.

In Scenam non solum Comoediarum aut Tragoediarum *Actores* (qui Tragoedi et Comoedi dicebantur) prodibant in spectaculum, sed etiam Mimi, Pantomimi, Archimimi, Ethologi, Ethopoei : omnes uno nomine *Hypocritae* (id est, alienae personae simulatores) dicti :

dicti: et eorum actio, *Hypocrisis*, id est, alienae personae simulatio, Latinis *Histriones*, *Ludionesque*, aut etiam *Ludii* dicuntur. *Mimi* imitatores sunt gestuum, vocum, aut gressuum alicujus personae inter alias: cujus ridicula sit vox, aut aliud quidpiam. *Pantomimi* omnium personarum imitatores sunt effictoresque: ut et mulieres, et senes, et juvenes, ac cujuscumque aetatis personas confingant; etiam ita ex gestibus describunt, ut id quod agunt videre videare. Hujusmodi sunt quos Itali *Buffones* vulgo vocant. *Archimimi* principes sunt histrionum, hoc est, inter histriones solertissimi et excellentissimi. *Ethologi* mimi, aut *Ethopoei*, morum sunt effictores, affectuumque cujuscumque personae quam sustinent, aut quam agunt et referunt in Scena, unde *Ethopoeia*, morum alienorum imitatio: et *Ethici* pictores ac statuarii dicti, qui suas imagines ita depingunt, aut caelant, ut sensibus expressis propemodum spirent. *Thymelici* inter scenicos actores sunt, hoc est, Citharoedi, Citharistae, Lyristae, Tibicines. *Citharoedi*, qui et fidicines dicuntur, citharae accinebant. *Citharistae*, citharam tantum pulsabant, non autem accinebant. Hujusmodi Thymelici per orchestram praestabant actiones suas. *Ludii* sive *Ludiones* (ut jam dictum est) ii erant qui Comoediam recitabant. In ea enim recitanda mirum fuit artificium. Nam cantica temperabantur modis, non a Poeta, sed a perito artis musicae factis: neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed saepe mutatis: ut significant, qui tres numeros in Comoediis ponunt, qui tres continent *Modos* cantici illius. Qui hujusmodi modos faciebant, nomen in principio Fabulae et Scriptoris, et Actoris superponebant. Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis, multi ex populo ante discerent, quam Fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronunciaretur. Agebatur autem *Tibiis* paribus, aut imparibus; et dextris, aut sinistris. *Dextrae* autem tibiae sua gravitate seriam Comoediae dictionem pronunciabant. *Sinistrae* et *Serranae* acuminis lenitate jocum in Comoedia ostendebant. Ubi autem dextra, et sinistra acta Fabula inscribebatur, mistim joci et gravitates denunciabantur. *Mimi* aut Ludii, dum agebant, assumebant capiti personas, hoc est, confictas variarum personarum facies: vel reticulo denso facies obvelabant, ne agnoscerentur. Ita etiam instituti erant hujusmodi Histriones, aut Mimi, ut et corporis motus decentes facerent: denique etiam cantus ac prolationes secundum modos edocti erant, quae mirum in modum populum afficiebant. Hi simul coacti in quoque genere, aut cantantes, aut saltantes appellabantur *Chorus*: divisi in duas partes, *Semichoria*. In actione autem Comoediae, eorum aliqui primas partes, alii secundas tenere dicebantur, pro variis actuum rationibus: eorum enim alii

Pro-

Prologum dicebant, alii in nuncios, exploratores, custodes, servos, heroas, deos, senes, amatores, meretrices dividebantur, personasque in orchestra assumebant, pro sua actione ac ludo.

Apparatus Scenae in Vicis et Theatris.

Apparabatur Scena apud antiquos Graecos in agris, verno tempore, cum aedificiis et habitationibus triplicibus, instructis culminibus, peripetasmatis, tapetibus, linteisque candidis. Additae postea sonantes pelves, ignesque manibus excussi: cavernae quoque subterraneae ac putei confingebantur: figuris maris, tartari, fulminum, tonitruum, noctis, coeli, diei, regiarum, praetoriorum, ingentes aulae, fornices ad viarum similitudinem. Apud Romanos *Aulaea* in Scena primum sternebantur quum primum pictus ille ornatus ex Attalica regia Romam perlatus fuit, velabaturque ipsa Scena *Sipariis*, quae posterior aetas pro auleis sumsit, ut etiam siparia humi sterneret. Erat praeterea velum minutum quod populo obsistebat in Scena, dum actus commutabantur. *In Vicis* si fiebat Scena, arboribus in se cubantibus ac reflexis componebatur: quasi concamerata quaedam densatio, ut subterpositos tegere posset, unde ab inumbratione dicta. *In Theatro* autem (ut jam dictum est) fiebat Scena, camerato contextu, binis pluribusque contignationibus exstructa. Picta erat undique, suas domunculas habuit, in quas pro ratione actuum alternatim se conferebant actores. Duas Aras utrinque habebat: dextram Liberi Patris; sinistram ejus Dei, in cujus honorem ludi fiebant. Unde illud: *Ex ara hinc sume verbenas.* Atque is demum erat scenae apparatus in Theatro.

De Histrionibus et Mimis scenicis.

Omnis Tragoediarum ac Comoediarum gratia, et Scenae decus, in *Histrionibus* consistebat. *Histriones* enim et *Mimi* in Scena Comoedias recensebant secundum suos modos et cantica. Nam cantica, ut paulo ante docebamus, temperabantur modis, non a Poeta, sed a perito Artis Musicae factis, mutabanturque modi in uno cantico. Fiebant hujusmodi carmina ad tibias: ut his auditis, multi ex populo ante discerent, quam Fabulam acturi essent scenici. Unde illud est Ciceronis: *Non intelligo* (inquit) *quid metuat, quum tam bonos septenarios fundat ad tibiam. Tibicines* appellabantur qui hujusmodi cantica ad tibiam fundebant, antequam ageretur Comoedia, vel inter ipsos actus. Unde illud Plauti: *Tibicen vos interea hic delectabit.* Ludiones autem et histriones ad tibicinis modos saltabant, et nonnihil etiam diverbiorum pronunciabant. Unde Livius: *Ludiones ex Hetruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, aut indecoros motus more Tusco dabant.* Proprium enim ludiorum ac morionum erat motus decoros, ac gestus omnino decentes ostendere. Tibicinum autem erat decorum, modos,

dos, hoc est, mensuras in cantu observare, remissosque aut acutos, aut etiam graves facere pro arbitrio. In *Tragoedia* et *Satyra sexdecim* numero interveniebant *Moriones* et *Histriones*; in *Comoedia* etiam *quatuor* et *viginti*. Qui simul coacti in quolibet horum genere, unamque rem agentes, ut jam dictum est, *Chorus* vocabantur: divisi in duas partes, *Semichoria:* ubi autem gestus et cantus absolverant suos, tum in partes plures dividebantur: ut alii essent qui senes, alii qui amatores, mulierculas, servos luderent, personisque ac vestium varietate induerentur, quemadmodum res exhibebat, ac moris erat apud eos.

Amictus et Personae Histrionum scenicorum.

Personati *Histriones* agebant Comoediam, neque agnoscebantur. Sed ita compositae ac conflatae erant personae, ut referrent id ipsum quod a mimo agebatur; liceretque sub ipsis vocem ejus audire liberam. Nam quod nonnulli dicunt, Histriones tantum gestibus Comoediam egisse, non etiam viva prolatione, id minus mihi probandum esse videtur. Vestiebantur quoque Histriones pro ratione eorum, quos referebant, hoc est, vel servorum, vel senum, vel alterius personae diversis modis. *Senibus* Comicis candidus *vestitus* dabatur, qui etiam antiquissimus fuisse memoratur. *Adolescentes* discolori veste contegebantur. *Servi* Comici amictu vestiebantur exiguo, paupertatis antiquae gratia, vel quo expeditius agerent. *Parasiti* cum intortis palliis prodibant. *Milites* chlamyde purpurea utebantur. *Puellae* habitus erat peregrinus. *Leno* pallio varii coloris vestiebatur. *Meretricibus* dabantur *syrmata*, hoc est, vestes expansae, et quae longius trahebantur: erant quoque plerumque lutei coloris, ob avaritiam. Syrmata etiam, seu pulla gestabant luctuosa funeralibus, quae incuriam sui per negligentiam significabant. Sed si quando variandum in Comoediis erat, vestitusque commutandus pro affectibus, quos ex Comoediae actibus significabant, laetis vestitus dabatur candidus: aerumnosis obsoletus: diviti quoque purpureus: pauperi phoenicius. Tragici aut Tragoedi actores calceamentorum genere a Comoedis variabant, eoque discernebantur. Utebantur enim Tragici in Theatro *Cothurnis*, quod tale genus erat calceamenti, ut dextro laevoque pedi conveniret: caeterum altum et prominens, actoresque proceriores efficiens ac referens: varii coloris, et honestum atque elegans: usque ad suram plerumque devinctum, more Punico. Comici actores, aut Comoedi in scenis soccis utebantur: quod calceamenti genus optime sub pallio conveniebat. Quemadmodum enim pauperum ac rusticorum vestimentum fuit Pallium, ita etiam *Soccus* altum fuit calceamentum rusticis proprium, propter imbres et lu-

tum, atque hybernas pruinas. Eo calceamenti genere utebantur tam viri quam mulieres. Quintilianus : *Comoedia in cothurnos non assurgit : nec contra Tragoedia socco ingreditur.* Tragoedia enim, quum grave et magnum argumentum, magnasque et ingentes personas prae se ferret, cothurnis uti debuit. Comoediam autem, quum esset humilis, et rusticos proponeret in Scena, palliis et soccis commodius erat ornari. Quod praeterea de his rebus dici posse quispiam judicabit, id in aliud tempus exspectet necesse est : non enim hic omnia simul discutere nobis licuit, tum propter rei difficultatem, tum vero quia per negotia minus fuit commodum.

NICOLAI RIGALTII, V. CL. Dissertatio DE SATYRA JUVENALIS ad illustrissimum JAC. AUG. THUANUM; qua de Satyræ origine & ratione Satyræ à *Juvenale* scriptæ accuratissime disputatur; atque una plurima Nostri loca sagacissime excutiuntur.

HORATII Persiique satiras Isaacus Casaubonus & Daniel Heinsius certatim laudibus extulere, ac Persium ille suum tantopere adornavit, ut nihil Horatio, nihil Juvenali præter indignationem reliquisse videatur; hic vero Horatium curiose considerando tam admirabilem esse docuit, ut plerisque jam in Persio nimia Stoici supercilii morositas jure displiceat. Juvenalis ingenium ambo quidem certe laudaverunt, sic tamen ut in eo sæpe acerbiorem increpándi libidinem, sæpe etiam rhetoricæ arrogantiæ quasi lasciviam, ac denique declamationem potius quam satiram esse pronunciaverint. Quod judicium, præstantissime Thuane, cum sit virorum, multiplici doctrina, sicut optime nosti, excellentium, magnæ semper auctoritatis apud omnes fore non dubito. neque fas esse crederem de Juvenalis satira sententiam ab eorum opinione vel minimum discedentem aperire, nisi me id cum eorundem pace ac venia facturum intelligerem, disceptatione more majorum, honesto scilicet ac verecundo, non canino isto, qui tam multos hodie rabidos agit, instituta: præsertimque apud te, quem illi ipsi litteratæ sapientiæ proceres summum sibi suæ caussæ judicem dari ambitiosissime postulassent. Itaque hoc primum ex Quintiliani doctrina verissimum esse pertendo, satiram totam esse Romanorum, ejusque originem ab Satyrica Græcorum poesi nullatenus repetendam. Id autem vel maxime probari mihi videtur, quod nomen ipsum Satiræ sive Saturæ sit pura puta Latina vox a vetustissimis auctoribus pro farcimine primitus usurpata; unde & multorum ac diversorum capitum leges, & complures diversi generis historias appellavere Satiras: sed ante hæc omnia ab eadem farciminis significatione jocularia primum dejectandæ plebi Romanæ, mox dicteria quædam carpendis ac describendis moribus composita Satiras vocitabant, easque, ut ait Livius, impletas modis descripto ad tibicinem cantu motuque congru-

enti peragebant. Et hæc jocandi forma nullo certi alicujus argumenti fine continebatur; sed erat varia morum farragine conferta & quasi fatura: cujusmodi scriptiunculas apud nos etiamnum variis opprobriis inferciunt vernaculi artifices, quos vulgo factores nuncupamus. Paulatim vero excitatis ingeniis vaga & proterva satirarum dicacitas ad fabularum argumenta transferri cœpit, quarum auctorem Livius Andronicum sibi cognominem laudat, eumque ab satiris ait ausum esse primum argumento fabulam serere: unde manifestissimum fit, scripta sua veteres, quibus non erat propositum alicujus argumenti tractatione suscepta disserere, sed potius varia carptim notare ac reprehendere, ab ea congerie & saturitate inscripsisse satiras. Qui deinceps titulus ab iis fere qui pravos seculi sui mores descripserunt est frequentatus, ut quod hominum scelera a poetis velut invitis inter indignationes & suspiria expresserant, non peculiari, sed communi & fortuita appellatione censeretur; essetque quod ait Ælius Donatus, sine ullo proprii nominis titulo carmen. Ceterum etsi jure Satiram sibi totam Romani arrogent, non tamen inficior aliquid esse inter Græcorum Satyros & Romanorum satiras commune; nam ut poetæ Græci Satyros primum induxere qui dithyrambos & phallica tripudiando canerent, posteaque minutis fabellis & ridiculis canticis Satyrica petulantia fusis tragœdia tandem habitu vultuque graviore culta prodit; sic etiam Romanæ scenæ artifices primum Tuscos ludiones imitati, versus inconditos Fescenninis similes fudere, mox ad pleniores satiras, & post annos aliquot ab satiris ad fabularum argumenta, sicut ex Livio notavimus, processere: quin & Latinæ satiræ cum Satyrica Græcorum in eo convenire videtur, quod utrique ridiculum inest. Sed Græci quidem Satyros dixere ab Satyris agrestibus, quos petulantes & protervos plerique crediderunt: Latini vero ab saturitate & copia congestisque salibus & jocis Saturam appellavere. Denique ut præcipua Satyrorum gratia constabat imitatione, sic & Satirarum, de quibus nunc agimus, dos maxima in descriptione consistit; atque idem omnino est Horatio describere, quod Aristoteli μιμεῖσθαι· nempe mores alicujus figurate notare, ac repræsentando sic deformare & illustrare, ut pene oculis subjiciantur. Porro cum universi homines a natura sint ad imitandum aptissimi; ut ridere, jocari, ludere, æque naturale est Græcis ac Barbaris: sic etiam eadem natura suadente, mistis jocis dicteriisve pravos hominum mores imitari aut describere, æque pronum fuit Latinis, atque Græcis. Sed Græcis quidem Satyrica protervia; Latinis vero per satiram, ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων. rursus & Latinos quoque Satyrica petulantia,

lantia, & Græcos per ſatiram luſiſſe quis dixerit, quando protervia illa ſive petulans dicacitas, quæ Satyrica nuncupatur, æque naturalis Romano fuerit, atque ſatura ſive miſcella jocorum congeries Græco. Imo ſi curioſius inſpiciamus, ſatira fuit Homeri Margites, ex quo formatam eſſe comœdiam Ariſtoteles innuit, quemadmodum ex Iliade & Odyſſea tragœdiam: & fortean præſtantiſſimus poeta opere illo ſub perſona Margitis quoſdam ſeculi ſui fatuos & moriones deſcripſerat: certe varia metrorum genera miſcuerat, ſicut & Chæremon, cujus inſcribitur Centaurus πολύμετρος κὰι μικτὴ 'ραψῳδία. Ac vetuſtiſſimas quidem Latinorum ſatiras non ſola rerum, ſed etiam metrorum varietate permiſtas fuiſſe auctor eſt Fabius; eamque diverſitatem, quo ſaturior fieret ſatura, ab Terentio Varrone proſa verſibus intexta variegatam: neque vero defuiſſe Varroni diſcipulos, indicant Petronij reliquiæ & ſalebroſa Martiani Capellæ ἐγκυκλοπαιδεία. nam uterque haud dubie Varronis exemplo ſatiram condere voluit, non Menippeam quidem, ſed ſimpliciter Varronianam: quippe nonnullas Varro, quas ſalis mordacitate, vel aceti nequitia paulo liberalius conſperſerat, Menippeas inſcripſit; eoque titulo ſcriptorum aſperitatem acerbitatemque, non Satiræ, ſed cynico Menippei ſtyli nomine ſignificari declaravit: ut hoc tandem ſit ſtatuendum ſemel, Satiram non magis eſſe proprium alicujus ſcripti nomen, quam ſunt illa, πανδέκται, ἰωνιὰ, κέρας Α'μαλθέιας, & ſimilia Græcorum lautitiarum vocabula, Pliniana ad Veſpaſianum Cæſarem præfatione deriſa: itemque illa, ςέφανος, ςρωματεὺς, κεςὸς, unde libris ſuis titulos confecere Meleager Gadarenus, & Philippus Theſſalonicenſis, & Clemens Alexandrinus, & Sextus Africanus: quamquam de Africani Ceſtis aliter ſentire quis poſſit, proprieque inſcriptos fuiſſe κεςὺς, quod magica quædam amuleta, ſive remedia continerent. Alterum porro fuit Satiræ genus, non carminis, ſed rerum multiplicitate confertum: nimirum ſententiis, jocis, opprobriis, indignationibus, querelis; quibus inepta vota, turpes voluptates, inſidiæ, doli, hominum mores graviores tanquam in tabula deſcribuntur. etenim adverſus haec Horatiani ſtyli naſus acuitur, & grande Perſii ſophos inſurgit, & vehementiſſima Juvenalis noſtri Nemeſis accenditur. Ennius & Lucilius in primis erant nominandi, quandoquidem primi laudem in ſatira ſunt aſſecuti: ſed eorum hodie non ſuperſunt niſi fragmenta quædam & velut oſſa disjecta: quæ etſi rite ſane viri docti legerint, & in poſteritatis memoriam condiderint, tamen ita ſunt diutino ſitu carioſa, ut jam nihil niſi venerandæ antiquitatis nomen exhibeant. Quod ſi cui forte dolendum eſſe vide-

videatur, ut est sane damnum haud leve, id omne ex tribus *istis* qui ad nos integri pervenerunt, abunde reparabitur; quorum adeo satiræ triplici dicendi charactere triplicem ethicæ philosophiæ gradum feliciter expleverunt. Nam Horatius quidem humili sermone ludens hoc agit, ut stultos saltem insipientiæ pudescat. Persius autem styli gravioris austeritate honesto pudori generosæ mentis constantiam addit, viamque ipsam qua ad rigidam solidamque virtutem eatur serio monstrat. Juvenalis denique hominum nequitiam impudentem horribili flagello, dolore & indignatione succensus, corripit & castigat. Sic igitur hi tres poetæ per satiram fuere philosophi; neque ulla inter eorum satiras quærenda est differentia, nisi quam diversus pro temporum varietate stylus imposuit; quippe aliter affecta atque animata fuerunt Romanorum ingenia Augusto de reddenda republica cogitante, aliter Nerone Urbis incendium ad Ilii conflagrantis imaginem habitu scenico e turri Mœcenatiana prospectante, aliter etiam Domitiano stupris, cædibus, rapinis dominum ac deum se gerente. Itaque Augusti principatu, rebus lætis, imperio stante, si quid absurde aut indecore peccatum exciderat, carpere & ridere Horatio licuit; at Neronis Domitianique temporibus, etsi omnia pessum irent, ne gemere quidem Persio aut Juvenali fas erat. Quamobrem Juvenalis simul cum risu excandescit & jugulat; quippe animum cohibito risu indignatio subit, deinde dolor; qui altius pressus exardet in iram, & poetæ velut æstuantibus præcordiis stylus ignescit, quo mox armatus & vitia & homines ferro flammaque consectatur: sic plerumque tragicæ grandiloquentiæ cothurnum satiris suis inducit; in hoc a prioribus recedens, quod versibus hexametris quasi tragœdias per satiram scribat, intentatum Græcis & Romanis ingeniis opus, sicut etiam ipse de se fatetur extrema satira sexta, cum ait, *Vs.* 634.

Fingimus hæc altum satira sumente cothurnum
Scilicet, & finem aggressi legemque priorum,
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu
Montibus ignotum Rutulis cœloque Latino.

Hinc illud inter Horatium & Juvenalem, non satiræ, sed styli ratione discrimen; quovis enim stylo satira pungat, nihilominus est satira; nisi forte magis satiram esse quis velit, quæ rerum diversarum copia majore stipata est atque conferta, quo sensu Juvenalis non solum Persium, quod erat facile, sed etiam Horatium superavit; nam licet in singulis satiris quorundam argumentorum species præ se ferat, tamen ea qualiacunque sunt, ita tractat, ut multa præterea

summo

summo studio pervestiget, quæ se aliud agenti obtulisse videantur: ac si quando in aliquem sævire proponit, adeo truculentus fertur, ut etiam obvios contrucidet; diceres telum torsisse, quo per latus unius plurimos obiter conficeret, si vero quid ridiculum apponit, tot insertis ridiculis struit & cumulat, ut quod erat præcipuum vix appareat, sed potius existat, quæ proprie satira nuncupatur. Jam illa acute arguteque dicta quam multa ingerit: quam multos etiam cum declamare videtur impetu rhetorico rapit & affligit: quum denique omnia illa quæ vulgo mortalium maxime placent, susque deque habet: verum sæpenumero fallit, & sub hasta pura præpilatam vibrat; quumque vehementissime urget, declamatorio colore sparsa sic adumbrat, ut etiam calumniatores fugiat. Atque operis quidem principio indignatiuncula ob recitatorum nationem ea tempestate importunam effusa, ait se quoque recitasse, simul exemplum recitationis subjungit, I, 16.

— Et nos
Consilium dedimus Syllæ privatus ut altum
Dormiret.

quod sic fere accipitur quasi hoc tantum significet, se adolescentem adhuc, dicis aut animi caussa, suasoriam aliquam recitasse, qua Dictatori Syllæ tot civium Romanorum cædibus cruento suaserat, ut nihilominus ad securum vitæ privatæ otium rediret; quod utique fecerat Sylla. Verum subest alius præterea sensus: nam hoc sane stupendum securitatis exemplum liberrimi spiritus poeta sumsit, quo turpem ignaviam Romanis exprobraret, qui tam fœdæ servitutis jugo capita submisissent sua, ut L. Syllæ, in quo tot Marios senserant, impune fuerit de dictatura descendere, perque urbem privato ac felici ambulare: & abjectissimos Senatorum animos fuisse ostenderet, quos idem Sylla septem millibus civium Romanorum trucidatis tumultuantes una vocula compescuerat. Domitiani tempora, in quæ Juvenalis incidit, haudquaquam meliora Syllanis: imo sive sævitiam principis, sive Romanorum socordiam spectes, deteriora fuisse aperte indicat satira quarta extrema: *Vs.* 150.

Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit Urbi,
Illustresque animas impune & vindice nullo!
Sed periit postquam cerdonibus esse timendus,
Cœperat. hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

Ejus-

Ejusdemque animi sunt illa Corellii Rufi, qui cum gravissimis pedum doloribus Domitiano adhuc grassante ægrotaret, Plinii sui præsentia paululum recreatus, Cur, inquit, me putas hos tantos dolores tamdiu sustinere? ut scilicet isti latroni, Domitianum innuebat, vel uno die superfim. Nempe his vocibus erectis & liberis diram servitutem fortissimi viri exsecrabantur: & noster quoties se dedit occasio, hujusmodi aculeis & stimulis satiras suas felicissime armavit: sic tamen ut per duplicis sensus ambiguitatem, hebetiore acutior tegeretur, ipse interea rem ageret. Tale quiddam, ni fallor, in hisce versibus latet, Satira quinta: *Vs.* 33.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam titulumque senectus
Delevit multa veteris fuligine testæ:
Quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant
Brutorum & CassI natalibus.

Profecto enim quisquis erat natus ingenuus & liber, intelligit duobus postremis versibus ingens retinendæ libertatis desiderium significari: sicut etiam in istis e decima quarta: *Vs.* 41.

——Catilinam
Quocunque in populo videas, quocunque sub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.

item in his ejusdem venæ: XIV. 254.

——Medicamen habendum est,
Sorbere ante cibum quod debeat & pater & rex.

Regem cum patre componit, ut seculi infelicitatem arguat, adeo deplorandam, ut vitæ suæ insidias ab liberis suis patres metuerent, quas rex potius aliquis ab civibus oppressis timere debuisset. Nempe statim post exactum Tarquinium Superbum, regis nomen reipublicæ Romanæ odiosissimum esse cœpit. At Cæsarum, si paucos excipias, adeo sæva fuit & importuna dominatio, ut præ illis etiam Tarquinius bonus haberi potuerit. Tamen Juvenalis Servium Tullium bonorum regum ultimum appellavit: VIII. 263.

Ancilla natus trabeam & diadema Quirini
Et fasces meruit, regum ultimus ille bonorum.

Unde intelligi voluit, tum primum reges ab Superbo illo male audivisse, ideoque crudelia lanistarum verba, *ure, seca*, regia nuncupavit initio undecimæ: *Vs.* 8.

Scripturus leges & regia verba lanistæ.

Et suorum temporum sævitiam regiorum comparatione exaggerat in tertia: *Vs.* 310.

Maximus

Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas ne
Vomer deficiat, ne marræ & sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Secula, quæ quondam sub Regibus atque Tribunis
Uno contentam viderunt carcere Romam.

Quin & decima tertia umbras & manes ex quo sub regibus degere cœperunt, infeliciores fuisse ait, & continuo paratas iis pœnas: *Vs.*49.

—*Nondum aliquis sortitus triste profundi*
Imperium, aut Sicula torvus cum conjuge Pluto;
Nec rota, nec furiæ, nec saxum aut vulturis atri
Pœna, sed infernis hilares sine regibus umbræ.

Atque hæc eo magis feriunt, quo sunt minus prævisa aut expectata: nam eo loci hoc tantum exprobrari videtur, Homines quondam vixisse pietatis fideique cultores: nunc vero tantam esse morum perversitatem, ut si quis forte juris jurandi religione teneatur, Deumque ultorem fore perjurii credat, ejus simplicitas ut stulta & stolida risu excipiatur; id autem sic demonstrat: XIII. 34.

—— *Nescis*
Quem tua simplicitas risum vulgo moveat. cum
Exigis a quoquam ne pejeret, & putet ullis
Esse aliquod numen templis aræque rubenti.
Quondam hoc indigenæ vivebant more, priusquam
Sumeret agrestem posito diademate falcem
Saturnus fugiens, tunc cum virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris.
Nulla super nubes convivia cœlicolarum,
Nec Puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
Ad cyathos, & jam siccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.
Prandebat sibi quisque Deus: nec turba Deorum
Talis ut est hodie: contentaque sidera paucis
Numinibus miserum urgebant Atlanta minori
Pondere. nondum aliquis sortitus triste profundi
Imperium, aut Sicula torvus cum conjuge Pluto;
Nec rota, nec Furiæ, nec saxum, aut vulturis atri
Pœna, sed infernis hilares sine regibus umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo. &c.

Si quid aliud quam satiram scribere aggressus esset Juvenalis, in sententiam doctissimi critici concederem eatenus ut faterer Juvenalem hic περίλαλον fuisse & verborum prodigum. Nam absit ut gravissimum auctorem in turpem sermonis redundantiam aut puerilem luxuriam incidisse judicemus; at cum ipse librorum suorum materiam farraginem & satiram fore pronunciaverit, dicamus potius

isto sermonis excessu farraginem & satiram pulchre esse confertam : qua nimirum seculi sui θεολογούμενα derideret, tam inepta quidem & absurda, ut homines ipsos in numinis contemtum adducerent. Qua ratione autem contemtus caussam declarasset, nisi Deorum Dearumque schemata, uti tunc colebantur, descripsisset. Saturnum scilicet fugientem, positoque diademate falce armatum. Jovem Idæis antris delitescentem ; inde super nubes convivia agitantem, adultera, & catamito pocula ministrantibus. Vulcanum ab incude fuliginosum. Atlantem cœli destinam sub nimia Deorum turba gementem & pondere oppressum. Hæc enim sunt anilia prope deliramenta, ut cuilibet sanæ mentis ludibrium debeant, nedum pro divinis habeantur. Quod autem ait, minore quondam numero ac pondere Deorum pressum fuisse Atlantem, non debuit videri frigidius fabula ipsa qua cœlum Atlante fulciri ac sustineri poetæ finxerunt : nam sive montem sive hominem fuisse Atlantem intelligimus, utique lepidus erit jocus. Ac de monte quidem hæc habet Herodotus : Atlantem Africæ montem in fastigium assurgere undiquaque adstrictum & teres, verum tam excelsæ altitudinis, ut cacumen, quasi nubibus insertum, conspicere non sit; proptereaque cœli columnam ab indigenis appellari. Quo sensu venuste sane dixerit Juvenalis noster, olim cum esset longe minor cœlitum turba, minori pondere pressam fuisse cœli columnam. Sin Atlantem nobis cœli bajulum aut tibicinem fuisse imaginemur illud etiam aptissime quadraverit : nec erit minus facete dictum, quam id quod Lucianus in Charonte narrat, Atlanti quondam nimio pondere nutanti atque labascenti Herculem suppetias tulisse, ac seipsum oneri supposuisse tantisper dum ille respiraret. Denique nihil video cur insolens judicetur illa ἔννοια Juvenalis, metuendum esse ne densiore deorum turba gravatus Atlas fatiscat; cum eidem Luciano venerit in mentem ista consimilis, præ numinum quoque multitudine ambrosiam & nectar defecisse ; ejus enim verba sunt, ἐπιλέλοιπε δὲ ἡ ἀμβροσία καὶ τὸ νέκταρ, ὥστε μνᾶς ἤδη τὴν κοτύλην εἶναι, διὰ τὸ πλῆθος τῶν πινόντων. Omnia igitur toto illo versuum ambitu proba & recta, quibus adeo monentur posteri tam stulta & vana quæ de natura Deorum poetæ comminiscuntur, ut pietatem jam tum ab orbe condito hominum mentibus insitam funditus eradicent. Hasce ergo fabulas ut perniciosissimas Juvenalis explodit : neque ullam occasionem prætermittit, quin eas aut subsannet, aut conspuat. Sic in decima, mœchorum injecta mentione, statim apponit emblema Martis in Venere deprehensi. *Vs.* 311.

—Fiet adulter
Publicus, & pœnas metuit quascunque mariti

Irati debent; nec erit felicior astro
Martis ut in laqueos nunquam incidat.

& in secunda: *Vs.* 30.

—Leges revocabat amaras
Omnibus, atque ipsis Veneri Martique timendas.

& in sexta, elegantissimo artificio Jovem Martemque adulterii & stupri accusat, occasione sermonis de quadam eximiæ castitatis matrona: *Vs.* 55.

Magna tamen fama est cujusdam rure paterno
Viventis: vivat Gabiis ut vixit in agro,
Vivat Fidenis, & agello cedo paterno.
Quis tamen affirmat nil actum in montibus, aut in
Speluncis? adeo senuerunt Jupiter aut Mars?

Eodemque colore Seneca: Quid ergo est, inquit, quare apud poetas salacissimus Jupiter desierit liberos tollere? utrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit? Illa vero Deucalionis & Pyrrhæ quam subtiliter insimulat mendacii satira prima; etenim poetico more narrare incipit, *Vs.* 81.

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Navigio montem ascendit, sortesque poposcit,
Paulatimque anima caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas.

Sed inter narrandum innuit futile esse ac perabsurdum quod poetæ fabulantur, extinctis olim diluvio ceteris animantibus, Deucalionem & Pyrrham conjuges ob morum sanctitatem servatos tanquam exempla reparandæ posteritati, aitque nec Pyrrham quidem ulla fuisse castimonia commendabilem, sed potius magam & lenam, quæ projectis post terga sua saxis nudas puellas ediderit, quas maribus conciliaret. Sic Martem falso vocitari ultorem demonstrat in xiv. 261.

Ex quo Mars ultor galeam quoque perdidit, & res
Non potuit servare suas.

Deriso Marte vanitatem fabulæ perstringit & Romanos ignaviæ accusat, qui nihil amplius armis quærerent, sed & olim quæsita sibi eripi turpiter paterentur. Ac majori etiam impetu satira secunda in Martem ipsum invehitur, eumque campo Martio excedere jubet; ea sede scilicet indignum, qui nepotum suorum effeminatissima flagitia non ulciscatur: *Vs.* 130.

Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,
Nec quereris patri? vade ergo, & cede severi
Jugeribus campi quem negligis.

Supra omnem vero acerbitatem vehemens est objurgatio illa, qua Jovem ipsum increpat ut socordem, & hominum stuporem arguit,

qui simulacris æneis & marmoreis numen inesse aliquod sibi persuaserant: xiii. 113.

—*Audis*
Jupiter hæc? nec labra moves? cum mittere vocem
Debueras vel marmoreus vel aeneus: aut cur
In carbone tuo charta pia thura soluta
Ponimus, & sectum vituli jecur, albaque porci
Omenta? ut video nullum discrimen habendum est
Effigies inter vestras statuamque Vagelli.

Cur autem Jovi marmoreo vel æneo pepercisset, qui eadem satira quicquid esse telorum poetæ in cœlestibus armamentariis repositum fingunt, pro nihilo ducit? hoc enim agit his versibus familiari sibi dissimulatione & κρύψει, xiii. 76.

———*Aspice quanta*
Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus.
Per Solis radios, Tarpejaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cirrhæi spicula vatis,
Per calamos venatricis pharetramque puellæ,
Perque tuum pater Ægei Neptune tridentem:
Addit & Herculeos arcus, hastamque Minervae,
Quicquid habent telorum armamentaria cæli.

Quæ omnia sic accipienda sunt, tanquam profecta ab rigido veritatis cultore, qui naturam ducem secutus, Virtutem pro summo numine habebat, fucum & imposturas detestabatur. Dares illi alium ducem, illum scilicet veritatis auctorem, ipsiusque naturæ dominum, cœlestissimi viri perfectam imaginem absolvisset. At scelera perpetuis tenebris damnanda prodit & exponit, ac pessimo exemplo aperit quæ reprehendit. Quin potius optimo exemplo scelera sic reprehendit, ut ea nemo non execretur; sic aperit, ut ea nemo non tenebris damnet. Quid faceret? scribebat seculo Cæsarum flagitiis contaminatissimo, legibus una cum elisa magistratuum voce evanidis, Romana illa quondam virtute sopore pene lethali marcescente. Ergo quemadmodum lethargicis excitandis picem crudam, lanam succidam, cepas, galbanum, & similia tetros odores vomentia incendere evocatisque sternutamentis cerebrum concutere medici jubent: sic admotis satirarum facibus fœtida ganearum gurgustia & obscœna prostibulorum lupanaria accendi, noctesque Neronianas illustrari profuit, ut inde excitata spurcities nares & cerebrum feriret; ac per hoc somniculosus ille marcor qui Romanorum animos oppresserat, vehementi indignatione, tanquam sternutamento discuteretur. Nam quod aliud fuisse dicemus consilium sanctissimorum Patrum, qui tot nefanda ac detestanda poeticæ theologiæ mysteria verbis etiam obscenissimis aperuerunt? certo non minus pudeat legisse Nævolum, quam in quinta Arnobii dis-

disputatione ithyphallorum Græcorum originem. Plerumque autem quos ab rebus turpibus & flagitiosis nec præmia virtuti posita redemerant, nec pœnæ legibus irrogatæ deterruerant, ingens detectæ turpitudinis pudor revocavit; & Persarum fœdissimam fugam, quam nec disciplinæ militaris sacramentum, nec fortia majorum suorum exempla represserant, matronæ Persides peplos ipsæ sibi suos ab imo sustollentes, interrogantesque an illuc unde ipsi fugacem pedem infantes extulerant confugere vellent, objecto pudore in mediam persequentium aciem cum victoria converterunt. Itaque non inutile esse videtur rerum turpiter gestarum turpitudinem sic exprobrare narrando, ut pudorem de frontibus etiam impudentissimis exprimamus. Imo hoc potissimum quæritur, isto præsertim satirarum genere quod morum imitationibus ac descriptionibus constat.———

—Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere & pellem nitidus qua quisque per ora
Cederet introrsum turpis?

& id quidem fecit Lucilius exemplo veterum Comicorum, qui, ut ait idem Horatius,

Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

Quare mirari soleo Plinium in historiæ naturalis opere mirabili ac plane divino sic esse opinatum ut diceret, mira humani ingenii peste sanguinem & cædes condi annalibus, unde hominum scelera noscantur. Quasi cunctos ab historia dehortati voluerit, qui tamen pessimorum Principum, nec minus quidem ipsius Neronis res gestas libris uno & triginta a fine Aufidii Bassi conscripserat, quos libros utinam nobis superiora secula non invidissent, & morem illum veterem, quem ad Pompeii Magni tempora mansisse Cornelius Nepos tradidit, revocari placeret, ut historia non nisi ab honestissimo quoque scriberetur; sic enim ad exemplorum fidem accederet eximia scribentis auctoritas, magnum utique rerum gestarum narrationi pondus additura. Id autem eo libentius hic commemoro, quod ut historiam ab honestissimo scribi, sic & morum satiram ab optimo quoque componi addecet; ne aut historia servili mendacio inquinata vanescere incipiat, aut satira in sceleratam auctoris conscientiam retorta prorsus hebescat. Quisquis igitur historicus appellari meruit, res honestas & turpes uti quæque gestæ sunt exponit; rectene an secus gestæ sint, curæ esse suæ vix putat, cum is sit qui ab Aristotele dicitur μέσος καὶ αὐθέκαστος. Satirarum scriptor censuram agit etiam quum narrat, etenim instat ut accu-

accusator, disquirit ut judex, castigat ut vindex. Est autem communis historiæ satiræque παῤῥησία, qua cavetur, ne quid illa veri dicere non audeat, neve quid ista probrosi carpere & notare formidet. Itaque cum ex rerum gestarum cognitione pravorumque morum correctione habeant homines unde prudentiores ac meliores fiant; utrumque autem ab historia et satira jucundissime conficiatur; non usquequaque perperam fecisse videntur, qui ingeniis una cum imperio Romano senescentibus, cum jam libros animo fastidiente male singulos tangerent, adeoque doctrinas ut venena detestarentur, Juvenalem et Marium Maximum curatiore studio, ut inquit Ammianus Marcellinus, lectitabant, nulla volumina præter hæc in profundo otio contrectantes: nempe segnitiae suæ delicias faciebant, existimabantque ingentem scriptorum turbam negligi impune atque insuper haberi, dum esset unde & moribus depravatissimis extrema remedia, & temporibus difficillimis exempla convenientissima suppeterent. Nunquam enim mihi persuaderi patiar Ammianum hæc ideo notasse ut Juvenalis aut Maximi lectionem inter rerum publicarum corruptelas poneret; cum ipse quoties philosophum agit, non pauca commutatis tantum syllabis ex Juvenale transcribat: de quo etiam hoc omni asseveratione affirmetur, & ipsæ sedecim satiræ clamant, adeo pertinaciter vitiis infensum fuisse, ut cum iis homines una sæpissime flagellaret. Marium vero Maximum etsi opera ejus, quæ verbosissima & minutis historiis implicata fuisse Flavius Vopiscus autumat, interciderint, tamen strenuum vixisse bonarum partium sectatorem declarant plurima quæ ex eo Lampridius, Spartianus & alii historiæ Augustæ scriptores commentariis suis indiderunt. Dicamus igitur hosce duos auctores ut civilium doctrinarum compendia quædam, illius ævi delicatis maxime placuisse: Marium quidem Maximum, ut copiosa exemplorum varietate locupletem, & omnia Cæsarum historica uberrimis septenariis complexum; Juvenalem vero ut magistrum veteris disciplinæ ac totius vitæ humanæ censorem gravissimum, in arcana ipsa morum summo cum imperio penetrantem. Summum voce imperium excelsæ mentis sublimem stylum, quo se supra mortalium nobilissima erigit, & omnia illa tanquam puerorum pupas & crepundia despicit, ut solius virtutis rationem habendam esse commonstret: nam, ut ea mittamus quæ sunt publica & ob oculos omnium posita, puta impietatem, fastum, avaritiam, libidinem, iniqua tyrannicæ potestatis imperia, quæ totis satiris persequitur, si privata, ad quæ ipse quamvis in transcursu divertit, inspicere libet, comperiemus etiam in iis quæ præclara sapientibus videntur, nonnulla censoriæ severitatis judicio ac notatione haud immerito fuisse perstricta. Quid in universa humaniore litteratura

prius

prius aut antiquius Homero? & tamen pleraque in eo esse quæ defendi nisi antiquitate non possint, innuit satira septima: *Vs.* 38.

Ipse facit versus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos.

& satira sexta, mulierculas inducit Homerum cum Virgilio contendentes, cum ipse interea non solum dubiam faciat illius palmam, sed etiam huic adjudicet, *Vs.* 436.

Committit vates & comparat, inde Maronem;
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.

Etenim iis versibus plus ponderis & majestatis Virgilio tribui intelligunt, qui in trutinarum & examinum ratione leviora pondera a gravioribus suspendi attollique non ignorant. Verum hæc obliqua & subobscura. Illa recta & aperta, quibus Homeri fidem elevat, satira decima: *Vs.* 246.

Rex Pylius, magno si quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit a cornice secundæ.

& in decima tertia: *Vs.* 112.

Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis:
Vel potius quantum Gradivus Homericus.—

Satis insolens fuerat superjectio, Stentorem exclamasse quantum alii quinquaginta; illa vero multo audacior, Martem vociferatum esse, quantum decem millia prœliantium; tamen ferri poterat in persona dei, & quidem Martis; at deum, & Martem ob inflictum sibi a Diomede vulnus totum olympum tam impotenti boatu quatefecisse, quis alius poeta dixerit, & continuo non explodatur? quomodo enim Martem tantum clamorem, de lateribus adeo firmis ac divinis emisisse homines credent, qui ipsum non secus atque homuncionem vulnerari potuisse acceperint: aut Junonem iratam non vehementius clamasse quam Stentorem? Post Homerum effulsit clarissimum sidus Virgilii, quem & Juvenalis Homero tantum non anteponit, his versibus ex undecima: *Vs.* 178.

Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.

Attamen hujus quoque altiloquentiam in fabulis narrandis occupatam notare videtur in septima: *Vs.* 69.

Nam si Virgilio puer & tolerabile desit
Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri:

nempe γοργείην κεφαλὴν aut poetam ἐχίδναις καλάκομον videre quis putet, cum audit,

Arma virumque cano——

ac multo magis si hæc præcesserint,

—*At*

—At nunc horrentia Martis.

quæ tamen Veteres neglexiſſe patet ex Priſciano, qui verſuum duodecim Æneidos principalium principem citat *Arma virumque cano.* neque aliud operis eximii principium agnoverat Martialis in xiv.

Accipe facundi Culicem ſtudioſe Maronis,
Ne nugis poſitis Arma virumque canas.

Quod ſi quis componat cum illo Homeri

Μῆνιν ἄειδε θεὰ———

ſentiet cum Juvenale, aliquid eſſe in Virgiliano principio horrificum, & velut hydros poetæ crinibus intextos. Quemadmodum vero in Martis Homerici indecora vociferatione quædam, ſi ita loqui fas eſt, abſurditas, ita etiam in Virgilii Cyclope vanitas poetica reprehenditur. Deſcribit Virgilius Aen, iii. ingentem oculum Polyphemi, & fuiſſe ait

Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis inſtar.

Juvenalis noſter mendacium poeticum rhetorico mendacio repercuſſit, dixit enim adeo latam fuiſſe illius oculi aciem, ut per eam Ulyſſes evaſerit; atque hoc quam inopinate; eſt enim (ix. 63.) illic ſermo de importuno rogatore, quem dives aliquis increpat, &,

Improbus es cum poſcis, ait.——

ille autem obſtinatius urget: (ix. 63.)

—Sed penſio clamat,
Poſce, ſed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam ſolers evaſit Ulyſſes.

Cogor, inquit, improbe & pervicaciter poſcere, quia poſcit a me diaria puer, qui mihi ſolus eſt familia. Sed quid unico puero cum Polyphemi oculo? Nimirum, erat illi miſero puer unicus, ut unicus Polyphemo oculus; de quo mythologi tradiderunt alia, ſed hæc inprimis: unoculum fuiſſe Polyphemum, cum tamen tres haberet oculos; unum in fronte, quem Virgilius depingit ingentem inſtar Græci clypei aut diſci lunaris; alterum in animo, ſcilicet mentem acerrimam, quæ eſt in animo ſicut pupilla in oculo; tertium in Elpe unica filia, quam velut unicum oculum unice diligebat. Ergo Ulyſſis aſtu infeliciſſimus Polyphemus non ſtipite præuſto, ſed meri & amoris ignea vi tribus oculis una captus eſt; nam exhauſto incautius capaciore poculo ebrius, ſopori quaſi letho datus obdormivit, luminis & mentis vigore aliquantiſper mortuo: intereaque dum edormiret, dimotis antri repagulis Ulyſſes una cum ſuis evaſit; ii vero fugientes Elpen amoris œſtro percitam ſecum abduxerunt.

—Πυρὶ ἐρωτικῷ Ἔλπην τὴν θυγατέρα,
Ἣν εἶχε τρόπον ὀφθαλμοῦ, ἁρπάσαντες·

ut

ut eſt apud Joannem Tzetzem. Tres iſtos oculos intelligit Artemidorus libro primo ubi de eo qui paulo poſt quam tres oculos ſibi eſſe ſomniaſſet cæcus factus eſt, ὐχὶ διὰ τὸν Κύκλωπος μῦθον, ἀλλὰ διὰ τὸν τρίτον ὀφθαλμὸν, ὅς καὶ ἄλλυ φωτὸς ἐσήμαινε δεῖσθαι, διὰ τὸ μὴ αὐταρκες εἶναι τὸ οἰκεῖον. ſomnium interpretatur non per tres Cyclopis oculos, ſed per tertium oculum qui tertium & adſcititium lumen ſignificabat. Idem Artemidorus in diſciplina oneirocritica oculorum ſpecie filios & filias demonſtrari docet: ἐοίκασι γὰρ οἱ ὀφθαλμοὶ παισὶν, ὅτι καὶ ποθεινοὶ καὶ τῦ σώματος ὀδηγοὶ εἰσι καὶ ἡγεμόνες. neque filios filiaſve tantum, verum etiam ſervos cuſtodiæ præpoſitos, ut vigiles, quorum oculis ipſi videre dicimur. Ita igitur Juvenalis importuno & querulo aſſeclæ unicum fuiſſe ait puerum, ut Polyphemo per ſolum oculum. Atque hujus ſimilitudinis occaſione Virgilianæ hyberboles tranſcendentiam carpit. Eadem libertate omnes generatim poetas, qui carminum ſuorum exordiis Muſas invocant, eaſque canere jubent, vanitatis arguit in iv. 34.

Incipe Calliope, licet hic conſidere, non eſt
Cantandum, res vera agitur, narrate puellæ
Pierides.

Et in decima quarta, *Vſ.* 204.

—Lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet. illa tuo ſententia ſemper in ore
Verſetur, DIs *atque ipſo Jove digna, Poetæ.*

Deos & Jovem poetæ vocat principes viros, ipſumque Cæſarem, quos poeta quiſpiam, ut fecit alicubi Martialis, deos ſuos, Jovemque ſuum turpi aſſentatione nuncupaverat; aut, ſi mavis, Deos poeticos & Jovem poeticum dicit, quaſi vanum aliquod & ſine numine nomen; ut in xii. 23.

—Si quando poetica ſurgit
Tempeſtas—

id eſt, vana & commentia, quo ſenſu Lucianus in præceptis hiſtoricis ait, ποιητικῦ τινος ἀνέμυ ἐπυριάζοντος τὰ ἀκάτια. Tertium ab Jove, ſecundum a Cæſare Mœcenatem poetæ coluerunt. At noſter in prima, cenſoriam illi notam obiter inuſſit, quod otio ac mollitie pene ultra fœminam flueret: i. 64.

—Cum jam ſexta cervice feratur
Hinc atque inde patens, ac nuda pene cathedra,
Et multum referens de Mæcenate ſupino.

& in duodecima, *Vſ.* 39.

—Veſtem
Purpuream, teneris quoque Mæcenatibus aptam.

Ecce autem, & quis hoc expectabat? reus citatur etiam Quintilianus: qui tamen maxima nominis claritate ſummus juventutis

moderator audiebat & Romanæ togæ gloria: verum ob invidendas opes, ob eamque artem quam profitebatur & mire callebat, struendi ac destruendi versutia ancipitem, currente severioris satiræ stylo aliquoties perstrictus videtur, ut in sexta, *Vs.* 279.

Sed jacet in cervi complexibus, aut equitis: dic
Dic aliquem sodes hic Quintiliane colorem.

& in septima, *Vs.* 187.

——Res nulla minoris
Constabat patri quam filius. unde igitur tot
Quintilianus habet saltus?

nosti quæ sequuntur. Ac propterea forte nobilissimus rhetor, cum auctores satirarum censeret, laudato Persii libro, Juvenalem præteriit; aut per satiram laudatum cum aliis quos ipse claros tunc fuisse ait posteritati nominandum reliquit. Et ii quidem interciderunt; solus Juvenalis ætatem tulit; atque ut videtur integer: aut si quid ejus collapsum est, tanta id tamque vetere ruina accidit, ut nulla nunc rudera uspiam exstent; nihil enim a Servio, Prisciano, aliisve observatur, quod hic non appareat, ac totidem tributum libris: eaque librorum divisione comprehensum fuisse arbitror quantum una recitatione Juvenalis ediderat: ut libri quinque totidem indicent recitationes habitas non coram populo in auditorio, verum in cubiculo coram amicis. Sic enim plerique viri gravissimi scripta sua legere & recitare soliti erant advocatis familiaribus, ex quorum sententia de editione statuerent; itaque advocabant non auditores tantum, sed adjutores; ut jam magis magisque retinenda videatur hæc veterum librorum scriptura in Umbricio versibus extremis, iii. 321.

—Satirarum ego, ni pudet illas,
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

Maxime vero cum in Suetonii libro de illustribus Grammaticis mentio fiat Ateji philologi declamantium adjutoris atque præceptoris; & Crassitii cujusdam, qui initio circa scenam versabatur, & mimographos adjuvabat. Porro cum hosce libros summus satirarum artifex emendatissimique judicii censor, adhibita etiam recitationis lima poliverit, si quid transeuntes offendimus aut incurrimus in continuo proscribendum non est aut deturbandum: & quæ negligenti per incuriam excidisse credimus, ea si repetantur, appositissima esse reperiemus. Ejusmodi autem est desinentis Autumni descriptio in quarta, *Vs.* 56.

—Jam lethifero cedente pruinis
Autumno, jam quartanam sperantibus ægris
Stridebat deformis hiems.

hic enim existimet aliquis manifestam esse ἀκυρολογίαν, qualis est Æneide quarta,

—*Tantum*

—*Tantum sperare dolorem:*

cum tamen proprie dixerit Juvenalis, eos qui desinente autumno ægritudine tentari incipiunt, sperare quartanam: hoc est, non fore continui ardoris, sed tantum quadrini circuitus febrem, quæ, ut asserit Celsus, neminem jugulat. Ea vero febre φθινοπώρῳ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι ἁλίσκονται, inquit Hippocrates. In iis autem quæ satira secunda legimus, *Vs.* 89.

Solis ara Deæ maribus patet. ite profanæ,
Clamatur. nullo gemit hic tibicina cornu:

Si fœminam quæ cornu inflat, tibicinam vocasset, aut nihil præterea voluisset, sane plus quam negligentissimum fuisse faterer; sed ait Cotyttia sacra, Bonæ Deæ sacris omnino esse dissimilia, ad illa enim solos mares admitti; deinde addit, *Vs.* 90.

—*Nullo gemit hic tibicina cornu.*

quod scilicet Bonæ Deæ pulvinaribus acciderat, admisso Clodio, qui sub vestitu cultuque psaltriæ seu tibicinæ, cornu intulerat, nempe virum patrando stupri flagitio paratissimum, atque ut idem Juvenalis ait in sexta, *Vs.* 338.

Majorem, quam sunt duo Cæsaris Anticatones.

nam istud etiamsi prælicenter positum videatur, non tamen est inconcinnius ea similitudine, quam ex vetere comico notavit Longinus: ἀγρὸν ἔσχ' ἐλάττω γῆν ἐπιστολῆς Λακωνικῆς. Minime autem culpaverim quod eadem satira dixit, *Vs.* 423.

Ac summum dominæ femur exclamare coegit.

de alipta qui dominam unguendo fessus erat, ac tandem ut mitteretur, ψόφον καὶ πόππυσμα expresserat ab ea dominæ parte, quam in Galla ob consimile vitium Valerius Martialis nequissimo epigrammate *garrulam* & *clamosam* appellavit. Neque existimaverim ambitiose potius quam honeste & decore usurpata fuisse palpitandi & micturiendi vocabula, sicut & rimæ, cristæ, vesicæ, urinæ, ossæ; item urticæ, cornu, herniæ: per quæ alia minus speciosa dictu significantur. Et laudi potius quam vitio duxerim, rhombi spatium, pro rhombo tantæ latitudinis, ut esse videretur instar areæ καὶ ἐπιπέδου ῥομβοειδοῦς & navem minorem, pro navi quæ jactura facta pauperior evasit. Denique nunquam reprehenderim satiram verbis audacius translatis ferocientem, aut carpendorum vitiorum causa liberius evagantem; nam illud quidem severitati ac dignitati sermonis, sed hoc inprimis disquisitionis censoriæ libertati convenire censeo. Atque ut uno semel exemplo multa simul ostendam, observemus Juvenalem nostrum celeberrimam figuram, qua poetæ, cum aliquid difficillimum indicant, rerum omnem fidem exsuperantium comparationes acervatim congerunt, sed plerumque tam frivolas quam ingeniosas, ad seria sæpenumero transtulisse,

ftuliffe, complurium moribus pulchre notatis, ut in decima : *Vſ.* 218.

——Circumſilit agmine facto
Morborum omne genus, quorum ſi nomina quæras,
Promtius expediam quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno,
Quot Baſilus ſocios, quot circumſcripſerit Hirrus
Pupillos, &c.

Hæc vero non ſunt inania rhetoricæ purpuræ ſegmenta, verum exquiſitiſſimæ ſatirarum impenſæ, quibus adjici quidem ſemper aliquid poſſit ; adimi autem non ſecus quam de farcilibus aut lucanicis pulpæ, cerebella, glandulæ, nuclei, liquamen, piper, & hujuſmodi alia : quæ etſi omnino diſparata ſint, & ſaporum plurimum inter ſeſe differentium, tamen intrita ſimul & inferta optimam condiunt ſatiram, quæ ſi pauciora contineret, minus ſatira diceretur. Habes, illuſtriſſime Thuane, totam propoſitæ controverſiæ conſtitutionem, cui dirimendæ vindicias ſecundum Juvenalem dari abs te potiſſimum velim. Nam cum adoleſcens, ac pene potius puer, eam ſis adeptus gloriam, ut cunctis poeticæ laudibus quam maxime excelleres ; nunc autem poſt ampliſſimos honores integerrime geſtos, in arce Virtutis, extra omnem Satiræ petulantiam, velut extra teli jactum ſis collocatus ; partium proprie tuarum eſſe arbitror, de poetica morum cenſura, quam iſtæ Satiræ promittunt, deque ipſis Satirarum ſcriptoribus, judicare. Quòd ſi tibi operam calamo luſiſſe videar, hæc præterea me præſtitiſſe reponam, quod hæc legentem ab reipublicæ prope nullius triſtiſſima cogitatione pauliſper avocaverim, atque id mihi fuerit abunde pretii,

Si quid ego, Auguſte, adjûro, curamve levaſſo,
Quæ nunc te coquit & verſat ſub pectore fixa,

Index quorundam CODD. MSS. item EDITIONUM *Vulgatarum*, nec non VARIANTIUM quarundam in Satyris Juvenalis LECTIONUM.

Codices mſſ. Juvenalis.

NEMO, ut puto, neſcit, in illuſtribus Bibliothecis, quales ſunt Romanæ, Vaticana, Sereniſſimæ Reginæ Suecicæ, Barberina, Mediolanenſis ; in Germania Imperatoria Viennenſis, Guelpherbytana ; in Galliis Regiæ, item Colbertina, ſub qua & Thuanea intelligitur ; in Anglia, Oxonienſes ; aliiſque, etiam *Privatis*, exſtare Codd. mſſ. harum Satyrarum. In Notis ſubinde multorum fit mentio ; Nos hic eos tantum notabimus, quibuſcum commiſſæ Satyræ *Varias Lectiones* exhibuere. In illis itaque

A. notat Cod. ms. Bibliothecæ *Amſtelædamenſis*, quam cum noſtra Editione commiſit amiciſſimus noſter *Almeloveniųs*, V. Cl.

B. notat Cod. ms. Bibliothecæ *Baſilienſis*, cujus Varias Lectiones in nupera Variorum Editione dedit Wetſtenius.

St: notat Veterem Cod. ms. *Stephani*, cujus Variæ Lectiones habentur ad calcem Editionis *Rob. Stephani*, Lutet. 8. 1644.

J. eſt Hadriani *Junii* Cod. ms.

M. eſt Jacobi *Miggrodii* Cod. ms.

N. eſt *Noviomagenſis* liber ms. Collegii Catharinæ.

S. notat Jacobi *Saſſi* Cod. ms.

P. denique eſt Theodori *Pulmanni* ms. Cod. qui horum quinque Codd. Variantes Lectiones ſuæ Editioni olim ſubjecit. vide ejus in ſuas Notas Præfationem.

Editiones Juvenalis Vulgatæ.

Balbutire mihi in hiſce licebit cum Bibliopolis : Prodiit JUVENALIS Lipſiæ fol. 1504. 1507. Venet...., cum Perſii Satyris. .. 1518. Pariſ. 1543. Lugdun. 1537. adjectis Horatii Epiſtolis Lipſ. 1498. ex typogr. Regia Pariſiis fol. 1644. Venet. apud Manut. 8. 1501. 1535. 1538. 1549. Pariſ. apud Stephan. 8. 1496. 1544. 1549. Roſtoch. 8. 1599. Baſil. 8. 1522. Caſtratæ Satyræ in uſum Collegii S. J. Brunsbergenſis Colon. 8. 1610. Amſtelæd. 12. 1641. 1648. 1651. Lugdun. ap. Gryphium 16. 1576. 1603. Amſtelæd. 24. 1619. 1624. 1651. Antw. ap. Plantin. 1587. &cc. *Aſcenſii & Mancinelli*, Pariſ. fol. . . . . 4. 1505. *Britannici*, Venet. fol. 1515. 1548. *Britannici & Aliorum (cum Scholiis Vett.)* Brixiæ fol. 1501. Baſil. ap. Froben. cum Perſio fol. 1551. Pariſ. 4. 1603. *Sabini* ...... *Merulæ* fol. ...... *Mancinelli*, Lugdun. 4. 1498. & *Aliorum*

Venet.

Venet. f. 1493. Noriberg. 1497. *Calderini*, Romæ f. 1474. Venet. f. 1483. Parif. 4. 1614. *cum Gloff. Gramm. Vett.* & *Pithœi* notis Parif. ap. Patiffon. 8. 1585. 1590. Antwerp. 8. 1590. *Pulmanni*, 8, 1565. 16. 1566. cum *Paraphrafi Ceruti*, Veronæ, 4. 1597. Auguftæ, 4. 1599. *Pithœi*, Heidelberg. 8. 1590. cum *Indice Langii*, Friburg. Brifgoiæ 4. 1607. *Lubini*, Hanov. 4. 1603. 8. 1619. Roftocæ. 8. 1602. *Autumni* Parif. 4. 1614. & *cum Periphrafibus Cluverii* Parif. 8. 1607. *Grangæi*, Parif. 4. 1614. *Rigaltii*, Parif. 12. 1616. *Farnabii*, Londin. 8. 1612. Francofurt. 8. 1623. Parif. 12. 1614. Leid. 12. 1650. Amftelæd. 12. 1668. 1670. *Variorum*, ex edit. *Schrevelii* Leid. 8. 1648. 1658. 1664. Amftelæd. 8. 1684. *in ufum Sereniff. Delphini*, cum Perfio : additis notis & paraphrafi *Lud. Pratei*, Parif. 4. 1684.

Et hæ quidem funt *Vulgatæ Editiones*, quæ ad noftram venere memoriam. Forte Draudius in *Bibliothec. Claffic.* & Lipen. in *Bibliotb. Philofoph.* quafdam recenfent, quas Nos non habemus: & vice verfa, nos multas, imo plurimas illis intactas adnotamus. Crifin in plerafque Editiones adnotare tulerat animus, fed nec otii mei, nec feftinantis Bibliopolæ rationes illam admiferunt: rejicimus itaque illam in aliud tempus.

Ex hifce Editionibus cum noftra commiffæ funt

St, quod figlum notat Editionem *R. Stephani*. 1544. 8.

St, quod notat iteratam *R. Stephani* Editionem. 8. 1549. Priorem ego, alteram Almelovenius contulimus; ubi ambæ Editiones confpirant, hoc figlo utimur St,,,

G. notat *Grangæi* Editionem, Ejufdemque Variantes ad marginem relatas Lectiones.

Variæ Lectiones Notabiliores.

Habes benevole Lector, hic *Variantes Lectiones*; non omnes, fed tantum notabiliores; ex iis mff. & excufis excerptas, quorum fupra facta eft mentio.

Sat. I.

Vf. 6. In tergo necdum) B. *a tergo nondum.*

10. Furtivæ.) St, *furtive.*

22 Mæviæ) al. *Nævia.*

24 & 25.) defunt in A.

33 Poft) St, & *poft* al. *it poft.*

42 At fic) N. G. *inquit.*

47 Et.) St. *at.*

55 Si.) G. *fit.* B. *fed.*

57 Stertere.) A. *fternere.*

58 Sperare.) A. *fpectare,*

60 Citato.) B. *rotato.*

74 Aliquis.) al. *aliquid.*

90 Pofita.) N. *plena* (in interftitio)

100 Limen & ipfi) A. *Nomen & illi.*

106 Purpura major.) A. B. St, *majus.* G. J. *purpuræ amator.*

130 Arabarches.) B. *Arabates.* A. *aut Arabarges.*

134 Ho-

134 Homini.) St: *hominis*. it. *hominum*.
139 Erit.) G. *edit*.
153 Non.) G. *nunc*.
161 Verbum.) A. *verum*.

Sat. II.

Vſ. 7. *Pluteum*.) Edit. Noriberg. 1497. legit *Puteum*, ut Grævio & Valeſio VV. Cll. etiam video emendatum ex eruditis conjecturis.
38 Atque.) al. *Ad quem*.
57 Codice.) A. N. P. M. S. *cortice*.
64 Canentem.) A. *loquentem*.
68 Pollitas.) A. *Pollutas*.
81 Conſpecta.) al. *compacta*. Sariſber. *Contacta*.
94 Obliqua.) A. *Oblita*.
116 Abrumpere.) A. *abſcindere*.
139 Corpora.) al. *corpore*.
141) omittitur in Patiſſon. Edit.
146 Et Fabiis.) S. *atque Fabinis*.
160 Jubernæ.) G. St, *Juvernæ*. ſic etiam Mela iii. 6. B. *Vivernæ*, quod ex Græco Ι'έρνη effictum videtur.
167 Heic.) J. *Sic*.
170 Sic.) J. *Si*.

Sat. III.

Vſ. 36. Et verſo. p. v.) G. *converſo pollice vulgi*.
118 *Pinna*.) B. *penna*.
232 Illum.) B. *ipſis*.
246 Tignum.) B. *lignum*.
261 More.) B. *Morte*.
320 Helvinam.) A. Eleuſinam.
322 Adjutor.) G. *Auditor*.

Sat. IV.

Vſ. 1. Et eſt.) St: N. P. M. S. A. *adeſt*.
25 Precio.) B. A. *Precium*.
60 Suberant.) St, *ſuperant*.
63 Ut ceſſit.) B. *Exceſſit*.
64 Spectant.) B. *exſpectant*.
78 Atque.) St, B. *atque hic*
97 Cum.) A. *in*.
127 Excidet.) B. *Excidit*.
131 Alta.) G. *illa*.
150 Illa.) B. A. *ille*.

Sat. V.

Vſ. 5. Credere.) B. *reddere*.
12 Fige.) St, *finge*.
13 Solidam.) St, A. *ſolitam*.
16 Adhibere.) Al. *accire*.
26 Proludunt.) N. *Procedunt*.
41 Acutos.) J. *amicos*. al. *aduncos*.
42 Illi.) A. *illic*.
80 Diſtendat.) G. *diſtinguat*. N. P. *diſtentat*.
87 Adfertur.) al. *offertur*.
91] omittitur in Ed. Patiſſ.
111 Gloria.) B. *gratia*.
118 Alledius.] J. *Alichius*.
122 Dictata magiſtri.) B. *magiſter*. S. *mandata*.
136 Vobis h. p. h.] N. *Vos hunc præſtatis honorem*.
145 Ac.] St,,, *Ad*.
153 Mali.] *pomi*.
153 *Rodit*.) J. *prodit*.

Sat. VI.

Vſ. 41. Ulla] J. *illa*.
53 Vir.) al. *vix*.
98 Conjux.] S. Sponſus.
125.) in quibuſdam mſſ. & excuſis deeſt.
130 Necdum) *al.* ſed non.
200 Junctamque.) J. vinctamque.
218 Dictabitur.) B. *ditabitur*.
226 Advolat.) B. *Avolat*.

237 Arceſſitus.) ita legendum ex vulgato illo *ac ſecretus*, quod degeneravit ex *accerſitus*.
238 Silet.) al. *pavet*.
265 Cœcive.) J. *Creteive*.
274 Exſpectantibus.) B. *ipſis ſpectantibus*.
277 Quas.) A. B. *quot*.
288 Contingi p. ſinebant.) A. B. *conjungi p. ſinebat*
293 Ulciſcitur.) B. *ulciſcimur*.
332 Venit &.) A. *veniet*.
340.) in A. ſequitur poſt 337.
343 Numæ.) A. *Numen*.
365 Reputant.) A. B. *repetunt*.
378 Tondendum.) al. *tundendum*.
392 Pertulit.) al. *Protulit*.
401 Strictiſque.) N. P. J. B. *ſiccisque*.
408 Famam.) B. *flammam*.
410 Arva.] G. *arma*.
413 Quæ.) B. *quod*.
415 Exorata.] B. *exhortata*.
430 Auratæ.) A. *aut lata*.
459 Auribus e. m. c. e.) A. B. *extenſis magno committit elenchos*.
474 Precium curæ.) St,,, *operæ precium*.
483 Tranſverſa.) al. *tranſacta*.
497 Admotaque.] G. *amotaque*.
514 Rapta.) al. *rupta*.
521 Semel expiet.) A. *Simul*.J. *explicat*.
527 Calidaque.) A. B. *calidaſque*.
558. 559.] in quodam Vet. Cod. deſiderantur.
571 Menſis.) J. *menſes*.
587 Fulgura.) al. *fulmina*.
602 Sæpe.) B. *ſemper*.
609 Ridens.) B. A. *ſemper*.
632. 633.) G. ſunt addititii.
643 Tragicis.] J. *magicis*.
658 Inſulſam.) A. B. *Inviſam*.

Sat. VII.

Vſ. 8. Umbra.) al. *arca*.
25 Componis.) A. B. *Conſcribis*.
60 Mœſta.) A. B. *ſæva*. al. *ſana*.
62 Hevohe.) al. *Evoe*.
65 Veſtra.) A. *noſtra*.
117 Laſſo.) J. *laxo*.
124 Licet.) A. *petet*.
139 Fidimus eloquio.) al. *Ut redeant veteres*.
144 Gallus.) al. *Coſſus*.
153 Perferet.) St,,,, *Proferet*.
156 *Diverſæ forte)* A. *diverſa e parte*. B. *d. p.*
157 *Noſſe velint.)* St, *ſcire volunt*.
163 Fulmina.] B. *flumina*.
192 Adpoſitam.) J. *Oppoſitam*.
193 *Jaculator*.) A. *joculator*.
222 Hora.) A. *umbra*.
237 Ceu p. d.) B. *cum p. ducant*.
240. 241.) Quidam hos verſus non putant eſſe Juvenalis, ſed Servius tamen eos citat in iii. *Eclog*. G.

Sat. VIII.

Vſ. 1 Stemmata.) G. *Schemata*.
4 Humeroſque.) A. B. *naſumque*.
5 Corvinum & Galbam.) St,,, *Corvini* B. & *Gallum*.
17 Traducit.) N. M. A. B. *producit*.
47 Plebe.) B. *gente*.
49 Plebe.) A. J. *gente*.

66 Trito

66 Trito ducunt.) al. *tritoque trahunt.*
90 Exsucta.) St,,, *exhausta*, N. B. *exuta*. P. M. *exusta*.
96) in A. præcedit priorem. 95.
129 Et.) St,,, *nec*.
133 Ponas.) G. *pingas*.
135 Ambitio.) A. B. *ambitus*.
225 Cantu.) al. *saltu*.
256 Pube.) B. *plebe*.
266 Produxit.) A. B. N. P. S, *Eduxit*.
275 Illud.) al. *aliud*.

Sat. IX.

Vs. 14 Bruttia &c.) al. *Præst. c. circumlita fascia visci*. Patiss. *Pr. c. t. Bruscia, f. v.*
25 Scelerare.) B. G. *celebrare*.
43 Pronum.) J. *promtum*.
61 Conlusore.) St,,, cum lusore.
68 Puer aq.) al. *servorum mensæ*.
84 Libris actorum.) Serv. ad ii. *Georg.* legit *titulis*. A. B. *auctorum*.
106 Taceant.) al. *clament*.
110 *Carptores*.) J. *Raptores*. S. *Fartores*.
120 Pessima.) al. *maxima*.
137 Thure) A. *ære*.
138 Exorare.) al. *exornare*.
139 Figam.) B. *fingam*.

Sat. X.

Vs. 2 Dignoscere.) A. B. discernere.
30 Auctor.) al. *alter*.
78 Effudit.) A. B. S. *Effugit*.
136 Summo-arcu.) S. *summa-arce*.
149 Percussa.) al. *perfusa*.
160 Fugit.) A. J. abit.
189 Hoc &c.) J. B. *Hoc altus cælumque tuens, hoc p. o.*
198 Membra) al. *labra*.
201 Gnatisque.) A. *votisque*.
254 Socius.) A. B. *socio*.
263 Non.) A. B. *jam*.
310 I nunc &c.) A. B. *Nunc ergo speciem j. l.*
320 Exuet,) al. eruet.

Sat. XI.

Vs. 18 Oppositis.) A. *optatis*.
89 Erectum.) al. *Ereptum*.
91 Postrema.) A. *rigidique*.
106 Venientis.) al. *fulgentis*.
107 Ostenderet.) A. offenderet.
109) in A. præcedit versum. 108.
113 Oceani.) A. Oceano. S. occiduo.
124 Mittit.) B. *nutrit*.
128 Vires.) al. *bilis*.
144 Furtis.) al. *frustis*.
153 Notos.) B. *natos*.
191 Mappæ.) al. *palmæ*.
201. & 202.) desunt in St,,,

Sat. XII.

Vs. 3 Cædimus.) A. *ducimus*.
17 Fulguris ictum.) G. *Fulminis ictus*.
20 Percussum.) B. *pertusum*
27 Fama.) A. *templa*.
36 *Testiculorum.*) G. A. *Testiculi*......
54 Summitteret.) A. *succideret*.
73 Mirabile sumen.) G. *miserabile*. B. *numen*.
100 Tabellis.) A. B. N. P. J. *libellis*.
106 Servire paratum.) N. J. *parere*. B. *solebant*.
110 Turrem.] A. N. J. *turbam* St,,, *turmam*.

Sat. XIII.

Vs. 11 Gemitus.) A. *Questus*.
13 Malorum.) B. *laborum*.
62 Libellis.) al. *tabellis*.
114 Cum mittere.) St: *emittere*.
119 Vagelli.) B. *Bacilli*.

224 Majoribus.) J. *melioribus.*
142 Viles pulli.) A. B. *vilis populus.*
175 Abreptum-graviore.) B. *affectum.* A. *majore.*
195 Quatiente a. t.) J. *quatiens animum terrore.*
223 Fulgura.) P. J. *fulmina.*
226 Judicet.) A. B. *Vindicet.*
242 Ruborem.) St: P. J. *pudorem.*

Sat. XIV.

Vſ. 16 Præcipit atque.) B. *Præcipitat qui.*
33 Auctoribus) A. *doctoribus.*
45 Puer.] B. *pater.*
62 Læve.) al. *lavet.*
63 Furit.) A. B. *fremit.*
67 Emendat.) u. *emundat.*
110 Veſte.) N. *voce.*
112 Tutela.) J. *cautela.*
117 Modo.) J. *malo.*
124 Minimas.) M. J. *nimias.*
129 Medio.) A. *medici.*
147 Jumenta.) al. *armenta.*
176. Immodici.) al. Indomiti.
228 Producit B. *providit.*
241 Quorum.) *quarum.*
269 Ac vilis.) al. *a Siculis.*
287 Lacernis.] A. *lacertis.*
289 Unda.) G. St. *una.* al. *uda.*
293 Coemti.) al. *Coemtor.*
328 Crœſi.) J. *Roſci.*

Sat. XV.

Vſ. 25 Duxerat.) A. *deduxerat.*
29 Scelus.) N. *Scelera.*
40 Viſa inim.) A. *Viſaque majorum.*
45 Notavi.) A. *putavi.*
46 Turba.) A. B. P. M. *ripa.*
74 Pugnam inſtaurare.) N. *pugna inferre.*
93 Olim.) A. G. *uſi.*
95 Ultima.) B. *culmina.*
133 Optima.) G. *ultima.* al. *intima.*
163 Rabida.) St. *rapida.*
168 Extendere.) N. J. *extundere.* G. *excudere.*

Sat. XVI.

Vſ. 9.) deeſt in A.
12 Oculum-relictum.) al. *oculos relictos.*
29 Çum.) A. B. *quem.*
39 Patulo.) A. *vetulo,*
45 Tum f. p. lac.) A. *jam f. p. lucernas.*
46 Cædicio.) N. *Cæcilio.*

ISAACI

ISAACI CASAUBONI IN PERSIUM

PROLEGOMENA.

SATIRAM Romanam duo iſta præcipuè conſtituunt: doctrina moralis, urbanitas & ſales. cætera communia ſunt ejus poëtis, cum aliis multis: acumen differendi, eloquendi facultas, numerorum concinnitas: anima verò, ut ſic dicam, & ὅρος τῆς ὐσίας ejus carminis eſt, vitiorum inſectatio, & ad virtutem cohortatio: ad quæ perficienda ſalibus & jocis tanquam telo utitur. habet hoc Satira Romana cum ethico philoſopho commune, quod de moribus tractat: ſed tractationis proprius eſt modus. docet hic: illa plurimum caſtigat: naturam & cauſſas virtutum ac vitiorum ethicus inquirit: ſatiricus poëta vitioſos ferè objurgat: bonos parcius laudat & rarius. præterea cenſuræ ſuæ ſcommata, riſum, atque interdum etiam comicam & ἀγυρτικὴν βωμολοχίαν ſatiricus admiſcet: quo nihil alienius à ſeveritate philoſophica. nam cynicos & ſimilis petulantiæ magiſtros, præter habitum nihil quicquam philoſophorum habuiſſe certum. ἰδιαίτατον verò Satiræ, metri lex. Minus rectè ſentire eos, qui Romanam Satiram cum Græcorum Satyrica poëſi comparant, ut ab illa ortam, ſatis probavimus eo libro quem de utraque illa poëſi in gratiam nobiliſſimi doctiſſimíque viri, Johannis de Rieu Rutenorum præſidis, à nobis ſcriptum, Perſio comitem adjecimus. Cùm autem trium Romanæ Satiræ poëtarum, Horatii, Perſii, & Juvenalis, idem ſit propoſitum, idem ſcopus, quem antè diximus: magna tamen inter ipſos eſt differentia: quod breviter hic oſtendere conſtituimus: non eo quidem animo, ut alium alii ambitioſè anteponamus. ſic enim exiſtimamus: omnes eſſe eximios, omnes lectu digniſſimos, & qui diverſis virtutibus laudem prope parem ſint conſecuti. ſed quando neque hi, neque omnino quiſquam mortalium πάντα κατορθῦν πεφυκὼς ἐγένετο, munire viam juventuti volumus, ad æſtimandas ipſorum virtutes judicio recto: & ἀποτυχίας, ſiquæ illæ ſunt, animadvertendas. qua in re, cùm vel ſuaviſſimus ſtudiorum poſitus ſit fructus, difficultas ſine controverſia verſatur maxima. præclarè enim hoc Dionyſius Longinus, ut alia multa. ἡ τῶν λόγων, inquit, κρίσις, πολλῆς ἐστι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα. nos verò ut huic oneri ſubiremus, non humerorum fiducia, ſed publicæ utilitatis ſtudium compulit. Accedit huc, quod conſentientibus veterum ſuffragiis, qui poëtam noſtrum mirati ſunt: auctoritatem judicii

ſui

sui recentiorum non nemo opponere non dubitavit: at qui vir? tanti judicii, tantæ eruditionis, tam portentosi acuminis, ut & Persius magnum solatium habeat, quod Æneæ magni dextra cadit: & nos vel bonam caussam prodere, diu constitutum ac certum habuerimus, potius quàm cum illo Hercule in certamen descendere. Verùm de censura divini illius viri postea: nunc quas diximus differentias proponamus. Prima & omnium maxima est circa τὸ φιλοσοφικὸν μέρος; jam enim diximus non levem esse huic poësi cum morali philosophia affinitatem. quid enim philosophiæ proximum & affine, si hoc non est, de virtutibus & vitiis disputare? hic verò magnum inter hos discrimen, ut enim quisque fuerat educatus, ut erat doctus et moratus, ita versatus est in hac parte. Horatius libertinæ prosapiæ homo, & patre coactore natus, etsi magno parentis studio eductus, nihil spirat hic altum, sed ubique circa vulgatissima morum præcepta occupatur: quodque longè gravius est, & fatetur ipse de se, parum sibi constat, nec fidelem virtutis magistrum agit. passim enim in aliena transit castra, non tanquam explorator, sed tanquam transfuga. sæpe Stoicum dicas: sæpe Epicureum, aut Aristippeum: sæpe verò de Anyti & Meliti aut Aristophanis gente prognatum: adeò frequenter & acerbè Stoicos, penes quos solos illa ætate sapientiæ magisterium fuit, suggillat, & irridet: neque dubitandum est, qualem videmus in ipsius scriptis, talem fuisse in vita quoque inconstantiam; scripsit enim sicuti vixit. Juvenalis mores ignoramus: in Satiris quidem suis τὰ φιλοσοφούμενα sic tangit, ut facile appareat diuturniorem ipsum rhetori quàm philosopho operam dedisse. è rhetorum enim schola & declamationum exercitationibus ad satiram scribendam haud dubiè se contulit: unde illa acuta dicta, & ut vocabant sententiæ, quas in opere admirabili de poëtica tantopere Julius Scaliger est admiratus. Persius verò qui ad Satiræ scriptionem, ut testatur ipse, in quinta, ab eodem Cornuto fuerat institutus, à quo rerum Stoicarum cognitionem acceperat, (magnis enim opibus innutritus, ac felicissimè fuit educatus) & utroque φιλοσοφικώτερος est: & eo nomine Horatio longè melior, quod uni æquus virtuti, perpetuus ac constans vitiorum hostis, sui semper similis, instrumento graviorum artium poëticam locupletat: Stoïcam denique professionem nunquam obliviscitur, adeò exactè & doctè aliquando στωϊκίζων, ut ne Zeno quidem ipse aut Chrysippus, quod alibi dicebamus, porticum illam melius fuerit fulsurus. itaque cùm universæ hujus philosophiæ duæ sint partes à sapientibus proditæ, Decreta & Præcepta, sive ἡ δογματικὴ καὶ ἡ παραινετική. omnis Horatii & Juvenalis de virtute oratio ad præceptivam partem spectat: decreta seriò attingunt nunquam. Persius verò assurgit

altius,

altius, & Stoïcum de ultimo fine dogma ubique urget, ubique inculcat: gnarus præcipuum caput καὶ συνεκτικώτατον doctrinæ hujus eo contineri. qui igitur non ignoraret longum iter esse ad vitæ emendationem per præcepta; breve & efficax per dogmata: prudentissimo consilio utrumque instituit: quod nos suis locis diligenter observavimus. Scias verò cùm Persium legas, sentire illum quæ dicit, & quod Græci aiunt, πάνυ ἐκ διαθέσεως γράφειν, καὶ ἀπὸ τῶν δογμάτων, οὐκ ἀπὸ τῶν χειλῶν. didicerat nempe nobilissimus juvenis à Cornuto præceptore suo, viro juxta sapiente & docto, non magis de virtute loqui, quàm ex virtute vivere. quod enim probitatem quam in aliis exigebat ipse præstaret, testis est qui vitam ejus scripsit, auctor dubio procul antiquissimus. testis etiam est modestia illa divina quam ubique præ se fert in hoc libro. testis & illa consuetudo arctissima cum Thrasea Pæto, viro ad exemplum virtutis nato, & Arria Pæti conjuge, ipsius cognata, prioris illius Arriæ ἥσπερ κλέος οὐρανὸν ἥκει, filia, matri quàm simillima. testes denique & alii quorum amicitia usum legimus, Viri omnes gravissimi, & magna sui seculi ornamenta, Servilius Novianus, Lucanus, Seneca. Quamobrem omnium Persii laudem hanc primam & velut fundamentum cæterarum ponimus, quod ad præcipiendum de virtute, non ut aliquis è circo aretalogus, aut indoctus è trivio cynicus prosiluit: sed scientiarum plenus, & disciplinis philosophorum diu excultus, eò accessit; propter emendatos mores suscepto operi non minus aptus, quàm eloquendi facultate abunde instructus. Est & alia non contemnenda circa hanc partem inter hos poëtas differentia: nam Horatius, quod aliis ipse sapienter præcepit illo versu,

Denique sit quod vis simplex duntaxat & unum:

nunquam ipse, aut rarissimè in Satiris suis servavit. quamcunque enim materiam fuerit aggressus, eam mox deserit: nudas sæpe præceptiones congerens, non multò aliter ac vetustissimi illi, καὶ τῆς ἐγκατασκευῆς λόγου πάντη πάντως ὡς εἰπεῖν ἀμύητοι, Theognis, Phocylides, & his similes. itaque pars maxima Satirarum Horatianarum meram lancis illius saturæ & παγκάρπου imaginem exhibent. Longe aliter poëta noster: qui more philosophorum à proposita initio thesi vix digreditur, abit certè nunquam: ut non aliud ferè scribere satiram ei fuerit, quàm petitos è philosophia locos carminis legibus includere. Lucilium sine dubio imitatus est Horatius: Persius verò, primus omnium Romanam Satiram hujus generis, duplex enim fuit, hac observatione auxit, correxit, atque in melius mutavit. etsi enim ad priorum imitationem, maximè autem unius Horatii, totum se comparaverat: judicio tamen ubique usus est suo: ut etiam inferius sumus observaturi.

servaturi. Probavit Persii consilium Juvenalis: qui non per saturam, quod aiunt, varia argumenta eodem carmine complectitur: sed Persiano more cuique satiræ ἓν καὶ ἁπλοῦν ὑποκείμενον γένος ut plurimum addicit. Huc etiam pertinet quod in Persiana Horatii imitatione observabamus, de gravitate in disputationibus nonnullis Stoicorum explicandis, Persio servata, Horatio neglecta: cujus rei illustre est exemplum in Persii quinta, & Horatii Davo: ex quorum carminum comparatione ingenia utriusque poëtæ diversa, & discrepantes ideæ quas rhetores dicunt optimè queant dignosci. Differunt præterea hi poëtæ in salibus & illa urbanitate quam Satiræ Romanæ propriam diximus: necessitatem hujus partis in hoc poëseos genere docet Persius, cùm scribit de Horatio:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia ludit.

etiam in quinta cùm facit Cornutum hæc sibi dicere:

——*pallentes radere mores*
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.

quare non potest dubitari ipsum in Satiris scribendis id habuisse propositum, ut tristitiam argumenti & reprehensionum atrocitatem jocorum festivitate exhilararet. sed Persius jam tum in illa sua adolescentia gravis, totusque ad severitatem factus, Xenocrati quàm Menippo similior, Gratiis, meo judicio, raro litavit. longe enim hac laude & ab Horatio superatur, & à Juvenale: quorum uterque feliciſſimè est assecutus, quod voluit noster, nec potuit. excellunt igitur in eo Horatius & Juvenalis: etsi ratione diversa: nam illius sales τὴν ὀχλικὴν ἀναγωγίαν, & ut ita dicam, plebeium aliquid fere sapiunt: hujus omnes joci, quibus abundat, sic sunt urbani & salsi, ut acumen sæpe atque eruditionem præ se ferant, & ingenium longo declamandi usu probe subactum. In nostro verò loca non pauca sunt quæ palàm ostendunt non displicuisse illi jocos, sed non contigisse, quod de Demosthene Fabius scribit: velut in prima ubi disertè ait, ridere se malos poëtas: ille verò non σκώπτει solùm, sed etiam λοιδορεῖ. jocosa & non invenusta illa:

——*nunc non cinis ille poëta*
Felix?——

& quæ sequuntur, illud convitio propius:

Rancidulum quiddam balba de nare locutus:

item illa:

——*Nugaris cùm tibi calve*
Pinguis aqualiculus protenso sesquipede extet.

ista verò,

O Jane à tergo quem n.——

indignationem illius magis arguunt, quàm aptitudinem ad movendum risum. quin etiam, sicut in Demosthene observarunt veteres critici,

critici, nunquam adeò à ſeſe ipſum abire, quàm ubi facetus vult videri: ita nos de Perſio pronuntiare non vereamur, ſi qua ſunt in ejus libro frigidiuſcula dicta, ſi qua ex periculo petita, in ea ipſum incidiſſe, dum quærit jocos & vult ridere, quod per naturæ ſuæ temperamentum illi nequaquam licebat. fruſtra enim eſt cùm perſuadere vult nobis, fuiſſe ſe petulanti ſplene cachinnonem. ain' tu Perſi? σὺ δὲ ὦ ἀγαθὲ, ἵλεως εἴης, & nobis ignoſce, qui hoc tibi non credimus: quin potius exiſtimamus in te expetiiſſe, quod apis Attica de Perſa neſcio quo dixit: ὅτι ῥᾷον ἐστὶ πῦρ ἐκτρίψαι ἀπὸ σοῦ ἢ γέλωτα. Enimvero cum ſint loci plures è quibus ridicula dicta ducantur, Horatius & Juvenalis eos jocos non raro uſurparunt, quibus aliquid ineſſet obſcœni: qua impuritate cùm fere in totum Perſius abſtinuerit: non ambigent ſani judices, quin etiam in eo dicendus ſit vincere, in quo culpa ingenii vincitur. nimium enim riſus pretium eſt, ſi honeſtatis & probitatis impendio conſtat. Sed quæ ridere negavit Perſio natura, ingente dote defectum & ὑστέρημα iſtud penſavit, cùm illi vim dedit & acrimoniam, & illud quod magiſtri dicendi τὸ ἐναγώνιον πνεῦμα dicere conſuerunt: quam virtutem tanti facit criticus Halicarnaſſenſis, ut Iſocratis orationem, quòd ea careret, anima carere dicat. in Perſio verò qui ſpiritus? qui ardor? qui ſtimuli? nam libertas quidem tanta, ut ne mortis quidem metu adduci potuèrit, quò Neroni parceret. & tamen leniſſimorum fuiſſe morum accepimus: ſed acrem faciebat impreſſum ejus animo, altiſque nixum radicibus vitiorum odium. Quod igitur deſiderant ſapientes, contra vitia dici aſperè, contra pericula animosè, contra fortunam ſuperbè, contra ambitionem contumelioſè, ut ad Senecam ſuum ſcripſit olim Lucilius: id cùm noſter efficiat, illud ſimul ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος præſtat, quod antè dicebamus, ut liqueat tibi illum ſenſiſſe quæ ſcripſit. Atque hæ ſunt differentiæ præcipuæ quas in tribus hiſce poëtis circa illa deprehendimus, quæ Satiram Romanam propriè χαρακτηρίζουσι. ad reliquas verò quod attinet virtutes, τοῦ τε πραγματικοῦ καὶ τοῦ λεκτικοῦ τόπου, ne longum faciam, ita ſentio. puritate ſermonis, gratia narrationum & ἀφελείᾳ atque inexplicabili quodam, etiam extra jocos, lepore excellit Horatius: ubertate inventionis, copia exemplorum, tractandi dexteritate, τῷ περὶ τὰς νοήσεις ἀδρεπηβόλῳ, denique τῇ πομπικῇ καὶ ἀξιωματικῇ λέξει præſtat Juvenalis. Perſius inter hos duos interjectus, neque caſtitate ſermonis Juvenali cedit: & illa quam expoſuimus pugnacitate, celeritate, & γοργότητι Horatium ſuperat. character dicendi in Horatio humilior, in Perſio grandior, in Juvenale ut plurimum ſublimis. figurarum, quæ ſunt orationis

lumina,

lumina, beata apud Horatium & Juvenalem copia. noster illis potissimum quæ rebus addere pondus sunt idoneæ, & ἠθοποιΐα καὶ ἐνάργεια pene regnat. vel illas mihi considera hominis sordidè parci descriptiones, quas in quarta, in quinta, & in sexta duobus locis posuit. non poterant tenacium mores effingi majore cum evidentia: taceo de verborum tropis, quorum crebritatem apud Persium sola excusaverit Satiræ licentia: densitate enim sua orationi tenebras nonnunquam offundunt: de quo mox. Numerorum verò concinnitatem cùm apud Horatium nullam invenisset, nullum juncturæ studium: hanc securitatem Persius nequaquam probavit: sed numeris ita consuluit, ut ista laude eum quem sequebatur longo intervallo pone se reliquerit. quid enim hujus versibus numerosius? quid absque mollitie concinnius? neque electione est opus: omnes apti: omnes sonori: quidam verò ita magnifici, ut ad majestatem Maroniani carminis videantur aspirare: neque aliquis mihi illum objiciat,

——*Euge euge, omneis bene miræ eritis res.*

probavimus enim, ingeniosissimum poëtam arte & judicio usum viribus suis eo loci pepercisse. Exposuimus hactenus, ut erat noster captus, præcipua capita institutæ comparationis inter Romanæ satiræ clarissimos poëtas: ostendimus quæ singulorum propria essent κατατορθώματα, quæ ἐλαττώματα: clarissimeque, nisi fallor, demonstravimus, ex illis esse neminem, qui virtute quadam sibi peculiari reliquis non præstaret: neque rursus esse ullum, qui cæteris ratione aliqua non esset inferior. Persium verò adeo non esse indignum qui comparetur cum Horatio & Juvenale, ut vel de palma cum utrovis eorum jure suo possit contendere. etsi non sine aliqua ipsius injuria potest cum tantis ingeniis committi Persius: cui per brevitatem vitæ totum se palàm facere, & ingenii sui dotes maximas publicare non licuit. ut ex uno libello, atque eo imperfecto nec dum perpolito illum æstimare, hoc vero. sit leonem ex ungue, & quod apud Homerum faciunt proci, ἀπὸ τῆς ἐκ ῥακέων ἐπιγνώσεως τὸν ἄνδρα. Quid igitur de gravissimi illius Censoris judicio dicemus, qui tantum virum suffragiis privatum in Cæritum tabulas retulit? & quidem non censoria nota affectum, sed ignominiæ elogio miserè jugulatum. ineptum pronuntiat, indignum qui cum reliquis in comparationem veniat, ostentatorem eruditionis, obscurum denique, non secus atque alterum Heraclitum vel Cinnam. Pax! vir incomparabilis, ποῖόν σε ἔπος φύγων ἕρκος ὀδόντων; Persius ut sit ineptus? si ineptum diceret quem Græci ἀπίθανον ἐν τῷ γελοίῳ, concederem. ne nos quidem enim imus inficias facultatem hujus rei illi defuisse. sed ostentatorem eruditionis quod nominat, omninò haud persuadet.

ſuadet. fatemur eruditiſſimum poëtam eruditionem ubique oſtendere: uſquam oſtentare, negamus. illud doctiſſimi quique ſolent: quis autem uberius quàm σεβασμιώτατος hic Cenſor? cujus ſcripta omnia χρυσῦ χρυσότερα, ſi quis negat thyma veterum undique redolere, haud mecum ſentit. hoc ſolet vaniſſimus quiſque tantum, inſolentiſſimus καὶ ὀψιμαθέστατος: quorum nihil in ſplendidiſſimum hunc Romanum equitem cadit: de cujus ſingulari modeſtia, & liberali educatione ſub maximis præceptoribus, non autem cathedrariis ſophiſtis, & vitæ illius auctor meminit, & nos aliquid ſuprà attigimus. At obſcurus eſt, & dignus cui nomen indatur Scotino. mirari ſubiit non ſemel, de obſcuritate Perſii verba feciſſe illum virum, cui nihil erat obſcurum. certè aliud Quintilianus judicabat cùm vera laude dignum pronuntiaret: aliud Hieronymus, cùm diſertiſſimum Satiricum vocaret. mihi quoque non pauci hujus poëtæ verſus ita clari & λευκοὶ videntur, ut vel in ciſio à mediocriter doctis legi poſſint. quare non totus liber profectò eſt obſcurus: ſed loca tantùm nonnulla. quid? ſolus hic obſcurus? non etiam optimus quiſque attentiſſimum & πολυμαθέστατον requirit lectorem? non commemorabo Thucydidis τὰς περινοήσεις, τὰς ἐμπεριβολὰς, τὰ γλωσσηματικὰ καὶ ξένα, τὰ δυσακόλυθα & ſimilia multa, quibus obducta caligo ingens illius hiſtoriæ. ſilebo Platonis τὰς ἀκράτυς καὶ ἀπηνεῖς μεταφορὰς, de quibus Longinus. hoc ſolùm dicam, maximarum difficultatum ea potiſſimum ſcripta eſſe plena, quæ omnium ſeculorum docti homines maximè ſunt admirati. quis Pindarum intelligeret aut Ariſtophanem abſque eorum interpretibus foret? quis Græcis literis doctus choros tragicorum inoffenſo pede percurrit? Theocriti τὰ σκληρὰ notant veteres critici: neque indignantur. nos offendent Perſianæ difficultates? & quî laborioſas illius opilionis ineptias non gravamur: tam ſeverum hujus carmen ut intelligamus, operæ nos pœnitebit? Porrò obſcuritatis hujus diverſas afferre cauſſas poſſumus, eaſque certiſſimas. in auctore ſunt aliquæ, aliæ extra illum, quædam in interpretibus. Non negabo perobſcura quædam eſſe in quarta, prima quoque: ſed poëtæ facilè ignoſco, cùm cogito crudeliſſimi & φονικωτάτου tyranni, in quem illa erant, metu, de induſtria atramenti ſepiarum aliquid eſſe affuſum: neque dubito ſapientiſſimum præceptorem Cornutum ſcribenti adfuiſſe, qui vetus verbum crebrò illi inſuſurraret, Σκότισον. quod etſi diſertè Probus, ſive quicunque eſt vitæ ſcriptor, non dicit, ea tamen narrat, ex quibus hoc debeamus colligere. Jam cùm ſcribit idem βιογράφος, verecundiæ virginalis Partheniam noſtrum fuiſſe: aliud agens cauſſam nos docet cur ille locus tenebricosè fuerit tractatus, cui vix alius toto libro obſcuritate par, obſcœnitate ſimilis nullus. περικοπὴν illam dico è quarta, *At ſi unctus ceſſes.* Etiam

illud

illud ultrò concedimus, nonnulla Persii loca tropis parum usitatis & audacioribus esse offuscata. hujus quoque non culpam, sed caussam, ita enim dicere æquius, ingenio poëtæ assignamus: quod cùm esset magnum, magna sectabatur: dictiones autem tropicas magnitudinem natura sua habere, cùm alii docent τῶν περὶ τὰς λόγους tum affirmat hisce verbis ὁ τῶν πάλαι κριτικῶν κριτικώτατος Longinus: μεγάλαι, inquit, φύσει εἰσιν αἱ τροπικαὶ λέξεις, καὶ ὑψηλοποιὸν αἱ μεταφοραὶ, καὶ οἱ παθητικοὶ καὶ φραστικοὶ κατα τὸ πλεῖστον αὐταῖς χαίρουσι τόποι. hæ sunt illæ parum moderatæ & inclementes (id enim est ἀπηνεῖς) metaphoræ quas ait idem in Platone, quo nemo unquam facundior, notari solitas à dicendi artificibus nonnullis. etiam Demostheni quæ objiciebantur ab Æschine, tanto cum hiatu ut θαύματα diceret esse non ῥήματα, quid aliud fuêre, nisi paullò duriores translationes? adeò magnis quibusque ingeniis familiares hujusmodi excessus, & παρακεκινδυνευμέναι dictiones. Dionysio quidem Halicarnasseo si credimus τὴν ἀσάφειαν πολλαχοῦ δεινότητα εἶναι: non jam excusandus fuerit nobis Persius, verùm præconio εὐμουσίας clarandus. Fuit præterea Flaccus noster οὐ φιλομυθὸς πως, sed amans brevitatis: quæ res obscuriorem est ubi illum reddit. non alia caussa fuit, ut unum saltem exemplum afferam, cur hactenus non intelligeretur ille versus:

Inventus Chrysippe tui finitor acervi;

quem primi nos, absit verbo invidia, ex poëtæ mente sumus interpretati. Extra auctorem possunt multa afferri: ego pauca tantùm commemorabo. Quod igitur multa obscura hodie videntur, quæ cùm scribebantur pueris erant obvia: non penes auctorem culpa hæret, sed penes lectorem. quotus enim quisque Persium legentium saltem mediocrem morum veterum & historiæ antiquæ cognitionem sudore partam habet? Adde quod ipsa rerum natura, progressu temporum ita novam rebus humanis faciem inducit, ut ad intelligendos veteres scriptores, nihil persæpe hodiernæ vitæ comparatione nos juvante, velut in tenebris sit micandum, & fallacibus conjecturis ad veritatis indagationem insistendum. atque huic querelæ tum præsertim est locus, quando vel privati vel publici mores perstringuntur: in quo solo & comœdia & satira Romana versantur. Non prætermittam genus ipsum poëseos, natura sua difficilioris. nam ut alibi probamus, Satira hæc & genus & nomen est non plebeii poëmatis, sed carminis eruditi: & propter affinitatem quam habet cum dramaticorum fabulis, ipsa personarum mutatione perplexum. Interpretes verò diverso modo obscuritati de qua dicimus caussam præbuerunt: veteres, quia perierunt: quæ

fuit

fuit seculi barbari flagitiosa negligentia. recentiores, quia alia ὀυχ ἑρμηνεύσαντες, alia παρερμηνεύσαντες, lectores persæpe aut incertiores & indoctiores quam dudum aut malè doctos dimiserunt. Nemo in suam contumeliam dictum putet, quod de iis dicimus qui hanc provinciam ante nos administrarunt. nam & nos qui eorum diligentiæ succrevimus, tam meminimus homines esse, falli faciles, literis leviter tinctos, quàm scimus, ipsos quæ nesciverunt aut malè sciverunt, ignorasse vel probasse quia homines erant. hoc ingenuè profitemur nondum quenquam incidisse in manus nostras è tot poëtæ hujus interpretibus, cujus rationem & interpretandi viam possemus probare. unicum excipio Hadrianum Turnebum virum in hoc genere literarum eminentissimum. qui si ex professo Persium suscepisset enarrandum, nullo, ut arbitror, spicilegio nobis relicto, aliud scilicet curassemus. nunc cùm obiter tantùm quædam tractaverit, exemplo illius ad hoc quicquid est operis concinnandùm sumus excitati. Quoniam autem de libri hujus obscuritate multa docti indoctique passim loquuntur: ne quid omitteremus quod ad lucem illius posset desiderari, postquam semel interpretem professi eramus, Græcorum illud verbum χελώνης φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν censuimus nobis esse usurpandum. quò enim interpres, nisi ut obscura illustret, difficilia facilia reddat vel primas literas doctis? quod quidem dum pro virili nostra conamur, eò prolixiores facti sumus, quò brevior Persius. nam illorum fastidia quibus satis est magnos scriptores ὁλοσχερῶς περινοεῖν sapientissimo Imperatorum Marco reprehendi memineramus. Simul juvabat ejus auctoris explicationi immorari, cujus singula prope verba aliquid βιωφελὲς continere animadvertebam. Multa nos in tam erudito poëta observasse de quibus ne cogitarunt quidem alii, si dixerimus, fiducia veri sit, non inanis jactatio. quid autem præstiterimus, docti & candidi lectoris facimus arbitrium: nam etsi mediocris saltem diligentiæ sumus nobis conscii: scimus tamen, οὐ πάντως τῶν προσεχόντων εἶναι τὰ ἆθλα, ut dicebat olim B. Chrysostomus: ἀλλὰ δηλονότι τῦ ἄνωθεν βραβεύοντος.

De scriptis veterum emendandis observationes criticæ (1).

LICEATNE veterum scripta edenti, textus evidenter adulteratos ex propriis conjecturis emendare, juxtà quas leges hæc illi conficienda sit emendatio, & quibus ipsum dotibus præditum esse deceat; id ego nunc perpendere aggredior. Velim equidem, si fas est, certis tandem definire terminis rem arduam & maximi momenti, de quâ etiam nunc doctissimi viri dissentiunt; ejusmodi rem quæ considerata diligenter & optimè dilucidata, non modò quid sentiendum, sed quid agendum sit edoceat, præscribatque juxtà quam methodum veterum scripta in lucem edenda sint, ut majori cum fructu & voluptate perlegi queant.

Antequam res ipsas tractare suscipiam, mihi videntur objecta quædam refellenda, verborum aliquæ significationes indicandæ, ac proponendæ rerum nonnullæ distinctiones, quas ego arbitror maximè necessarias, quò, discussis omninò tenebris, veritas ità elucescat ut nemo vir sanæ mentis ipsi possit contradicere.

Contendunt sapientes quidam critici, lubricum esse & periculosum, veterum editoribus clarè & expresè dare facultatem textuum restituendorum, & mutandarum receptarum lectionum, quamvis nulla codicis manuscripti auctoritas suppetat. Verendum est, inquiunt, ne illis ea concedatur libertas quâ abutentur ipsi indubitanter. Esto, inquiunt iidem, exquirantur & proponantur optimæ emendationes, quin etiam aliquandò liceat eas in textum recipere; at cavendum est ne hoc verbis in medium proferatur, id nempè licere reipsâ exequi.

Verum isti & æquum dicerent, si concessa libertas non iis constringerentur regulis, quibus intrà debitos fines ità coerceatur ut in licentiam nunquam prorumpat. Is est homo ratione præditus, ut quidquid agat certis subjaceat legibus, queis vel impellatur ad gaendum, vel ab agendo repellatur. Quidni liceret has regulas perpendere diligentiùs? quidni liceret easdem in medium proferre? Quod si liceat repertas emendationes aliquandò recipere in textum, mihi videtur licere etiam evulgare eas regulas juxtà quas id peragere licet. At enim hoc non fecerunt nostri antecessores, viri peritissimi. At cur non id fieret quod nondùm factum est?

(1) Has observationes gallicè scriptas, & gallico nostro Lysiæ jam præmissas latinas nunc faciendas esse duximus, & hîc collocandas, cùm ut legendus à pluribus proponeretur libellus qui de re maximi momenti disputat; tùm ut nostra textuum emendandorum ratio, quantum in nobis est, doctis viris probaretur.

Incertis

Incertis quibusdam viis progrediuntur nascentes artes, & is ad earum fines propagandos maximè confert, qui eas statuit regulas juxtà quas certò possit res peragi, & medium teneri iter ab utrisque extremis æquè recedendo. Vir igitur humaniorum litterarum sincerus amator, qui eas gestit extendi quàm latissimè, firmo & constanti oculo intueri & rectâ mente statuere debet eas leges & normas quibus veterum editor in priscis edendis operibus dirigatur.

Nunc aliquot nomina explicabo quibus in decursu operis usus sum; dein aliquam distinctionem proponam, quæ mihi visa fuit huic quæstioni lucem datura maximam, ac præcipuos doctæ concertationis duces, eosque qui horum ductu militant, in castra eadem revocatura.

Lectionem primariam vel *primigeniam* appello eam qualem ipse scriptor vulgavit priusquam à librariis adulterata esset. *Veterem*, vel *receptam*, vel *vulgatam lectionem* nomino, eam quæ aut reipsâ corrupta fuit, aut habetur talis, & cui nova lectio subrogata est. *Lectionem* enim *novam* dicimus eam quæ receptæ lectionis loco proponitur.

Duplex distingui potest editorum genus, nempè editor codicis manuscripti, & editor ipsius scriptoris. Editor codicis manuscripti is est qui ex uno vel pluribus libris manuscriptis, nobis tradit fideli operâ & ad verbum id quod nobis ex scriptore aliquo temporum injuriæ reliquum fecerunt: editor scriptoris ipsius is est qui, scriptis illius diligenter perpensis, ea edit in lucem ab omnibus librariorum mendis & erratis, quantùm licet, expurgata.

Nimirùm codicis manuscripti editor non potest esse nimis diligens & accuratus ut illum nobis qualis existit repræsentet. Eò spectare debet ipsius labor, ut codicem manuscriptum typorum ope factum multiplicem, facili negotio transvehendum & perlegendum, quocunque terrarum dispergat. Non hîc expendam quibus viis percepturus sit qui sint optimæ notæ codices (quæ jam quæstio à plurimis doctis luculentè disputata fuit); hoc unum dico nunc, ipsum oportere, postquam elegerit codicem quem potuerit reperire optimum, postquam in id incubuerit ut, perspectis magnâ industriâ singulis caracteribus, eum penitùs cognoscat, eundem exscribere religiosiùs, & diligentem dare operam, ut ne unum quidem verbum, ne una quidem excidat syllaba dùm ille excuditur. Hinc tantùm pretii accedit editionibus Aldorum: quæ ideò magni fiunt, & habentur tanquam codicum manuscriptorum veræ & genuinæ imagines, quod illi religiosè exscriberent etiam menda & errata quæ sibi manuscripti codices exhibebant. Ii qui Aldis proximè successerunt editores, forsitan nimis festinanter textibus emendandis studuerunt. Debuissent forsitan variorum codicum lectiones colligere, eas admittere quæ sibi potiores videbantur, &

alias

alias ablegare inter variantes, eo codice diligenter notato cujus erant. Quantumvis felices essent emendationes à se repertæ, egissent forsitan sapientiùs, qui eas duntaxat proposuissent ad marginem aut infrà paginam; vel saltem, si earum aliquas voluissent in textum inducere, id officii sui ducere debuissent, ut veterem lectionem, quantumvis corrupta & horrida sibi videretur, aut reipsâ esset, ad marginem aut infrà paginam rejicerent protinùs aspiciendam. Possent igitur vituperari nonnihil, Henr. Stephanus, Hier. Volfius, & nonnulli alii editores sanè non contemnendi, quòd nempè emendationes suas, lectore non monito, textui immiserint (1.) Sciunt ii qui in hâc re versatissimi sunt, textum aliquem primò habitum fuisse adulteratum, at eundem consideratum accuratiùs, meliùs perspectis cùm scriptoris ingenio & sermone, tùm civitatis ex quâ ipse oriundus erat, historiâ, legibus & moribus, exhibuisse sensum nitidissimum, qui effugisset legentem si non apparuisset vetus lectio: sciunt illi ex ipsis emendationibus, attentiùs inspectis, per levissimam vocum & litterarum immutationem, sæpè emergere lectionem illam diu conquisitam, quam non dedissent emendationes quantumlibet ingeniosæ. Primorum igitur editorum hoc munus est, ut nobis tradant quod ex temporum injuriis elapsum est felicitèr, & eo modo tradant quali ad nos pervenit: at ejus qui primarum editionum textui emendando incumbit hoc est officium, ut nobis restituat, quantùm licet, quod injuriæ temporum scriptori eripuerant; ac præsertim quum ille ob menda plurima vix possit legi.

Codicum manuscriptorum historiam quantumvis leviter quis attigerit, scit videlicet amanuensium ignorantia aut scientia inanis, negligentia aut temeritas, improbitas aut credulitas, quanta damna veterum scriptis attulerint. Illorum plurimi quum prorsùs ignorarent aut malè callerent linguam ejus scriptoris quem exscribebant, mutilabant verba sæpiùs, id disjungebant quod conjungi, & conjungebant quod disjungi debuisset, intrudebant in textum quod ad marginem aut suprà lineas apparebat. Alii paulò eruditiores,

(1) Dùm inquiro cur Henr. Stephanus, Hier. Volfius, & alii editores, viri sanæ mentis, & optimè de litteris græcis meriti, textus adulteratos interdùm emendaverint, ex propriis conjecturis, lectore non monito, quum fidem plerumque tàm accuratè se gerant, ego mihi videor hujus rationis causas deprehendisse. Quum scilicet nihil adhuc certi statuissent de veterum editionibus, veriti ne textu à se apertiùs immutato, convicia exciperent aliquorum malè religiosorum; quum autem ipsos pigeret edere deformatos rebus absurdis & verbis horridis, quæ facilè tolli poterant, eos scriptores quos inprimis commendat rerum sanitas & verborum elegantia: furtìm, ut ità dicam, emendationes suas textui injecerunt, ut iis assueti lectores eas relinquerent, nec ægrè ferrent faciliores lectu effectas fuisse scriptiones satis jam per se difficiles. Et certè, nisi servandus sit & tradendus nobis codex aliquis

tiores, quum ea quæ ipsi non intelligebant corrupta esse arbitrarentur, id sæpè adulterabant quod sanum erat, tollebant ut supervacuum quod erat necessarium, quod faciebat ad vim sermonis aut venustatem, verisque interdùm mendis menda subrogabant multò graviora. Alii quibus ex scriptione quæstus erat, quorumque referebat multa scribere, dùm scriberent festinantiùs, litteras, syllabas, verba, lineas imò integras omittebant aut transponebant. Alii quorum immensa erat & multiplex eruditio, aliena scripta quasi sua essent non dubitabant ad libidinem emendare, conjecturis suis quibuslibet tanquam ipsâ veritate abutebantur, despectâque aliorum ignorantiâ, id tandem assequebantur multo labore multisque disquisitionibus, ut exemplaria evulgarent à vero multò magis aliena quàm ea quæ ipsi indocti exscripserant. Nonnulli denique, quum vellent persuadere aliis se codices possidere integriores, scripta edebant quibus addiderant è suo, quas additiones religiosè exscribebant viri quidam nimis creduli. Non loquor de iis quæ à multis exscribebantur uno dictante; nec difficile est excogitatu quanta & quam omnigena vel ex dictante vel ex scribentibus menda irrepserint.

Quum scripta aliquot vetera ob tàm diversas causas non nisi depravata, trunca, mutila, lacera, ad nos pervenerint, licetne dare operam ut ea pristino nitori restituantur ? licetne addita tollere, sublata addere, transposita in suum locum reponere ? Quæstionem in medium afferre, ut mihi videtur, eam solvere est ; & qui rogat utrùm edenda sint opera græca & latina, menda servando quæ irrepserunt, vel ea, ut par est, corrigendo, is rogat utrùm opus aliquod gallicum de integro edendum sit cum mendis typographicis ; is rogat utrùm errata amanuensis alicujus qui stylo & penicillo caracteres delineat, digniora sint quæ retineantur, quàm errata alicujus opificis qui mobiles ordinat litteras, ut indè lineæ & paginæ efformentur (1). Docti quidam benè cordati leges statuerunt & regulas quibus cognoscatur undè adulteratus sit textus aliquis, & undè possit emendari. Ad quid verò utiles essent hæ leges & regulæ, si his uti nunquam liceret ? At, inquient, non mutato textu, sed relicto qualis se habet, emendationes ad

aliquis manuscriptus, nullus unquam persuadebit homini sano & linguæ græcæ perito, ut eos auctores quos facit maximi edat mendis fœdatos & ab usitato sermone & à sensu communi alienissimis. Ipsi igitur liceat textus ægros aliquoties sanare ex propriâ conjecturâ, sed ità ut discat se continere intrà fines debitos, & veterem lectionem ponere ob oculos legentium, quò & illa non pereat, & legentes possint de repertis restitutionibus per se ipsi statuere.

(1) Is opifex qui in meis oratorum græcorum editionibus typos disponit, suæ artis alioqui peritissimus, sermonis græci & latini ignarus est omninò.

Menda

ad marginem sunt apponendæ : id est, relinquendum malum, & remedium extrà ponendum. Præterea, si textus omninò purus sit & nitidus, ac raræ duntaxat appareant adulterationes, tunc possunt, imò debent, ut plurimùm, emendationes apponi ad marginem, aut infrà paginam rejici. Verùm si, ut in omnibus ferè Lysiæ scriptis & in aliis aliquibus, singulæ fermè lineæ textum exhibeant miserè corruptum, tunc plurima diversaque & menda & signa annotationum tædium scripto importabunt, hujusque vim & elegantias prorsùs obruent. Carmina, orationes, & alia ejus generis scripta, uno tenore legi debent ut intelligantur ; atque ideò jacent neglectæ à plurimis, vel editiones illæ incondito eruditionis apparatu extumescentes, vel ea quæ ut annotationibus omninò vacuæ sunt, ità mendis quibus codices manuscripti scatent refertæ. Quæ tamen, licet per se vix legantur, adjumenti non parùm afferunt perito editori, undè eas conficiat editiones quæ facili negotio legi queant.

Neque dicant temeritatis esse emendationes immittere textui sine ullâ codicum manuscriptorum auctoritate. Nam primùm quidem libertate eâ quam temeritatem vocant & licentiam, usi sunt sæpiùs præstantissimi editores ; atque id unum ipsis, ut jam dixi, crimini datur, quòd, lectore non monito, correctiones suas in textum aliquoties injecerint. Deindè, si universi codices evidenter peccant, cur menda evidentia in textu relinquerentur ? Hîc iterùm adhibebo eam comparationem quam suprà attuli, quamque arbitror ad rem decidendam maximè conferre. Num, quæso, servarentur in gallicâ editione novâ ipsi errores typographici, quia universæ editiones quæ antecesserunt his erroribus laborarent ?

Mihi porrò referre liceat quod ipsemet expertus sum de quâdam epistolâ quam opinor esse Isocratis, etsi hæc in nulla exstat scriptorum illius editione. Epistolam hanc, scriptam ad Archidamum Lacedæmoniorum regem, Hœschelius in suam Photii editionem induxit, ut quæ allata fuisset ex Italiâ ab Andrea Schoto. Quum ego textûs plura loca emendavissem, & emendationes meas recepturus essem in textum ut evidentes, eas ferè omnes, non sine magno voluptatis sensu confirmatas reperi in duobus bibliothecæ regiæ manuscriptis codicibus. Qui duo codices si non exstitissent, num igitur in textu menda reliquissem, repugnante sensu & ratione ? num passus essem his veluti offendiculis lectorem impediri, quum

Menda quæ ipsi necessariò excidunt, quamvis attentus sit, nec mendosum codicem in manibus habeat, me singulis diebus edocent quomodo veterum scripta à scribentibus potuerint adulterari, & mihi sæpè textuum restituendorum vias aperuarunt Non à me postulat opifex ut ipsius erratorum rationem habeam, & mihi per ipsum licet ea emendare.

ipsi

ipsi possem offerre scriptionem puram, liquidam, & omnibus omninò salebris expeditam? "Græca dedi, inquit doctissimus Grotius, innumeris locis emendatiora, tùm quòd sensum, tum quòd carminum leges attinet, *partim ex conjecturâ meâ & amicorum qui in notis nominabuntur*, partim ex libris quos ex regiâ bibliothecâ comitate viri cl. & eruditissimi Nicol. Rigaltii nactus sum. Nam in ipsum textum emendationes recepi *quò minore cum offensâ legeretur*; ejus autem quæ antè apparebat lectionis, in notis feci mentionem(1)."

Habenda ratio est textûs, viri isti inquiunt aut timidioris aut pigrioris ingenii, qui textui corrupto tanquam rei sacræ parcendum existimat, aut qui facilius ducunt & commodius menda exscribere quàm eadem sanare. Habenda ratio est textûs. Ità sanè si purus ille & liquidus niteat; nam si evidenter adulteratus fuerit, habere rationem textûs nihil esset aliud quàm habere rationem damnorum quæ ab indoctis aut temerariis, ab improbis aut inattentis hominibus, textui illata sunt. Non, mehercule, textûs tunc habenda ratio est, sed scriptoris ipsius quem manus scribentium ità miserè deformârunt, atque omni ope est connitendum ut ipsi pristinus decor, quem abstulit temporum iniquitas, quâ licet, restituatur. Est tamen, fatebor ego, est quatenùs ratio haberi debeat ipsorum etiam mendorum quibus fœdantur scripta vetera; nempè si ea spectentur tanquam quæ primigeniæ lectionis vestigia contineant, quibus vestigiis ad illam adiri possit. Quicunque ista menda alio spectaret modo, is rationis sanæ documentis, simulque scientiarum & humaniorum litterarum progressibus adversaretur.

Clariori adhuc & invicto, si possimus, modo demonstremus posse aliquandò in textum induci eas etiam emendationes quas nullus suppeditat manuscriptus codex. Ut enim editori liceat textum aliquem immutare ex propriis conjecturis, oportet textum hunc evidenter esse corruptum. Quis porrò textus est evidenter corruptus? is nempè qui quum sermonem barbarum aut nullum omninò sensum exhibeat, declarat evidenter lectionem illam primariam evanuisse. Inventa autem restituendi ratio vel evidens est vel duntaxat probabilis. Si evidens fuerit, in dubium nequit revocari quin præponenda sit, ut in textum recipiatur, illa lectio quam liquet veram esse & genuinam scriptoris lectionem, huic quam omnes fatentur ab illâ esse prorsùs alienam. Jam si restituendi ratio fuerit tantùm probabilis, num, quæso, ea lectio præ-

(1) Dicta poetarum quæ apud Stobæum exstant. Parisiis, 1623, in 4°. in Prolegomenis E. Ceterùm solius Grotii hîc laudavi auctoritatem, quum potuerim etiam laudare Canterum, Scioppium, Hemsterhusium, Taylorum, Reiskium, & permultos alios, qui omnes opinantur textus corruptos aliquandò posse emendari ex ipsis editorum conjecturis; atque hîc vereor ne mihi exprobretur quòd magno apparatu id demonstrandum susceperim quod apud doctissimos quosque & optimè cordatos constat.

ferenda est quam constat non esse lectionem primariam, ei quam valdè verisimile est esse vulgatam ab ipso scriptore lectionem. Hinc patet primò licere emendationes immittere textui etiam duntaxat probabiles. Huc accedit quòd indè legentibus scriptio offeratur facilior simul & jucundior, in quâ grammaticæ leges non apertè violantur, in quâ sensus ubique occurrit nitidus & secum benè cohærens. Quilibet certè operis alicujus, vel scriptor, vel interpres, vel editor, nullum non laborem debet suscipere ut legentes non laborent. Pauci quippè sunt viri laboris patientes & amantes, qui magno animo in iis quæ legunt omnigenas rerum difficultates exhaurire non dubitant: reliqui autem, ii præsertim qui sublimi sunt & subtili ingenio, mox superbi fastidiunt & rejiciunt indignabundi opus, quodcunque sit, cujus lectio nimis operosa tædium movet & procreat. Quò enim scripta vetera digniora habentur quæ perlegamus, eò magis refert ea facilia lectu effici & jucunda. Jam si teneatur editor vulgatam & adulteratam lectionem ad marginem rejicere aut infrà paginam, servabitur jam quod est servandum & nihil detrimenti afferetur: atque hoc tertium est cur textum ægrum feliciter sananti omnis dematur scrupulus. Quartò denique auctoritas suppetit editorum aliquot egregiè cordatorum qui nos antecesserunt, quique emendationes marte proprio repertas in textum recipere non dubitaverunt. Num illis exprobrabimus quòd partem operis confecerint, nec totum ipsi opus animosè perficiemus? nonne operam dabimus ut nitidos & splendentes ostendamus eos campos quos illi feliciter incultos subegerunt? qùum apertum ab ipsis stadium ipsi primi ingressi fuerint, num regrediemur in eum locum ex quo illi sunt profecti, vel in eo loco consistemus ad quem illi pervenere, nec magis ac magis in eâ viâ progrediemur quam illi nobis tanto studio muniverunt?

Ac demùm id nunc quæram ab eo qui huic opinioni maximè adversatur. En aliquæ adulterationes & emendationes quas collegi apud Scioppium, qui de hâc eâdem re disputavit. Mihi visum est latina exempla fore & notiora & illustriora quàm græca. Legitur in codice manuscripto Petronii, *Trimalcionis copanta est*, pro *Trimalcionis sycophanta est*; in codice Cornelii Nepotis, *deindè celiam*, pro *deindè Deceliam*. Legitur quoque in Plauti manuscriptis codicibus, *nec reddant alteri*, pro *ne credant alteri*; *cum auris aurib*, pro *cum armis aureis*; in codicibus Symmachi, *ammortuo*, pro *animo tuo*; *tùm speratis*, pro *sumpseratis*; *sponsorem nititur*, pro *sponsore me nititur*; *sa temporis*, pro *sat temporis*; *expectatio ne vicissim*, pro *expectatione vicissim*; *Theodoro medi*, pro *Theodoro medico*. Quæram igitur à viro timido nimis & malè religioso qui vetat emendari textus adulteratos si non adsit codicum manuscriptorum auctoritas: idne religioni ducet barbaras

istas locutiones servare, nec eis subrogabit felices illas & certas emendationes quas ipsa ratio suppeditat? Quòd si has rejiciat pertinaciter, eum omnes ducent rationi maximè adversantem, eundemque sinent solum in *solæcismis* & *barbarismis* sibi complacere: sin arbitretur non posse quin eas in textum introducat, est igitur ubi possint adulterati textus emendari sine ullâ codicum manuscriptorum auctoritate; id igitur unum expendendum incumbit quandò illi & juxtà quas leges restitui debeant.

Jam satis demonstratum esse arbitror veterum scriptorum editori licere aliquandò emendare textus adulteratos, etiam sine ullâ codicum manuscriptorum auctoritate. Sed illum etiam atque etiam monemus ut sibi diffidat, ne forsan textum purum ipse corrumpat, aut adulteratum jam magis adhuc adulteret. Ostendemus igitur quæ ipsi leges & regulæ observandæ sint, ut nec in hoc malum incidat, nec scopo quem intendit adversetur.

Longius sanè esset hîc inquirere quali modo se haberent ab initio latina scripta, & quali ratione eò tandem perventum sit ut lector attentus ea facili negotio perlegat. Pateret nimirùm commentatores & criticos rude opus inchoasse; sed quum isti plerumque sint paulò fusiores, & in ipso opere vestigia & instrumenta sui laboris relinquant, post ipsos exstitisse viros aliquot exquisiti judicii, qui, sublatis critices ac velut ædificii construendi apparatibus, rejecerunt inutilia & optima elegerunt: pateret eos homines excellenti prudentiâ donatos, receptis in textum emendationibus certis & indubitatis, & expeditis locis difficilibus, ope brevium annotationum quibus rectà itur ad solutionem difficultatum, nec omnes viæ peragrantur quæ ad eam ducunt, nobis aperuisse thesauros illos antiquos qui priùs paucis tantummodò doctis patuerant. Non ità feliciter actum est cum scriptis græcis, quæ pleraque in manibus criticorum & commentatorum remanserunt. Non is sum profectò qui contemnam laborem virorum quorundam eruditorum, per quos nobis nunc contingit ut legamus Virgilium, Horatium, Tullium, ac multos alios ex quibus doctrinam petimus simul & voluptatem; verùm contendo illorum operam non sufficere. Hoc scilicet magnum est, imò maximum, agrum aliquem, incultum hactenùs, aratro domitum fuisse; sed quantum interest discriminis agrum inter vomere subactum duntaxat, & campum aut opulentâ messe fluctuantem, aut sylvâ superbum vastâ & magnificâ, aut amœnis multiplicis horti deliciis decoratum! Ut de solis iis scriptoribus græcis loquar qui mihi notissimi sunt, textus plerarumque orationum Isocratis & nonnullarum Demosthenis, purus vulgò satis est & liquidus: sed quàm multi existunt alii quorum textus plurimis in locis adulteratus, vel nullis omninò annotationibus illustratur, vel

longis impeditur commentariis quæ lectu sunt difficiliora quàm ipse textus !

Quidquid sit de his quæ modò diximus, editor eorum operum in quibus paucæ supersunt maculæ & adulterationes, sive sensus sive sermo spectetur, ab immutando textu debet inprimis abstinere, nec in ipsum inducere lectiones novas, nisi quandò menda sunt evidentia, & emendationes evidenter necessariæ, aut optimis codicibus vel manuscriptis vel impressis confirmatæ. Textus alicujus operis, quod in omnium manibus versatum facili negotio legitur, quod multis abhinc sæculis à plurimis hominibus etiam atque etiam perlectum est, non debet immutari nisi quum constat lectores omnes tali lectioni assuetos, factam immutationem ipsos approbaturos, firmissimis nempè momentis innixam. His exceptis, casibus qui rarissimi sunt, conjecturas suas extrà textum proponat editor, at ipsi textui parcat religiosus. Nemo magis quàm ego demiratur ingentem quæ in Reiskio suppetebat sermonum priscorum, præsertimque græci, peritiam, necnon artem & solertiam quibus ægro textui medetur & ea supplet quæ desunt. Illa præsertìm miror quæ confecit in emendandis scriptis eorum quos vocant oratores græcos minores, & mihi videtur plura profecisse solus quàm omnes simul qui ipsum antecessere. Sed quamvis singulari ergà ipsius memoriam veneratione afficiar, quamvis memorì animo recorder cùm honorificas quas mihi dedit, quum viveret, animi sui significationes, tùm non modicas utilitates quas ex ejusdem eruditis perquisitionibus percepi, fatebor tamen illum, in suis editionibus græcis, textum pluries immutasse, quum is sensum aliquem exhiberet, & fuisset satius eum talem aliis relinquere qualem ipse acceperat.

Itaque existimamus scriptoris antiqui textum, si vulgo purus sit & nitidus, & facili operâ evolvatur, non debere nisi rarissimè immutari. At quum scripta vetera non pervenerunt ad nos nisi ità mendosa & mutila, ut legatur cum molestiâ & fastidio id quod legi debebat cum fructu & voluptate, quid tunc agere suscipiet peritissimus editor ? nempè, textum restituere, verba malè ordinata ad debitum ordinem revocare, rejicere quod vitiosè abundat, adjicere quod deest, in suum locum reponere quod transpositum fuit, denique efficere ut id legatur uno tenore quod non poterat legi. Verùm etiam tunc editori concessa libertas non debet prorumpere in licentiam, & certæ sunt leges ac regulæ quæ ipsi servandæ sunt diligentiùs.

Ac primùm quidem receptam lectionem non deserat nisi ultimâ coactus necessitate ; & quum ex eâ nequit elici ullus sensus probabilis. Judicio magis quàm ingenio ductus, sedulò caveat ab istis restitutionibus, ut dicunt, ingeniosis ; ac si non possit sibi tem-

temperare ut eas prorsùs omittat, eas saltem collocet extrà textum, nec velit in textum per vim intrudere. At enim scriptor isto modo meliùs dixisset. Esto sanè, tuque linguam mortuam ita apprimè calleas ut possis certò statuere quid sit pejus aut melius; verùm scriptori meliùs dicere non libitum fuit. Ab immutando textu, quantùm potes, abstineto; ipsum multoties resumito, videto & inquirito num sit ratio aliqua ob quam debeat servari; veterem denique lectionem non ejicito nisi quum indè nullus omninò sensus aut sensus iis quæ præcedunt contrarius exsurgit; nisi quum scriptoris ingenium vehementer deformatur, sermonis regulæ evidenter violantur, historia manifestè contradicitur in aliquot factis vel chronologiæ articulis, & alioqui constat menda non potuisse nisi à librario proficisci. Nec emendatio tua temerè conficitor; eam componito ex ipsis adulterationis elementis, & ipsæ, ut ità dicam, textûs ruinæ tibi prosint ut textus à te mutilus reficiatur(1). Sæpiùs autem apud te maximo in pretio habetor ea lectio quæ maximè horrida est & barbara; hæc non raro lectioni primigeniæ proxima est & ad eam facillimè ducere poterit. Jam in scriptione fœdissimâ quærito lineamentum illud quod omissum aut adulteratum quasi primariam verbi effigiem deformavit. Ne verò variantes maximè vitiosas rejicito, eas perpendito & inter se comparato ut aliæ per alias corrigantur. Nihil à te negligitor: locus ipse corruptus, quem laudat aut vertit in alium sermonem scriptor aliquis sacer vel profanus, tibi aliquandò suppeditabit restitutionem quæsitam, vel saltem ad eam aditum patefaciet. Quòd si novam lectionem inducas, veterem ob oculos lectoris reponito quàm citissimè, non ad finem operis aut voluminis, sed ad marginem aut ad imam paginam. Imam ego paginam anteferrem, dummodò, textu nullis annotationum signis impedito, indicaretur tantùm linea ad quam singulæ annotationes pertinerent; quæ linea facilis inventu erit, si notæ arithmeticæ per singulas quinque lineas apponantur. Omninò equidem velim, in omni editione græcâ aut latinâ, omnes annotationes breves esse, difficultatem statim solventes,

(1) Ità ex reliquis pulchræ statuæ partibus, peritus artifex, juxtà regulas quasdam & proportiones, posset effingere statuam illi prorsùs similem quæ ex manu primi artificis educta fuit. Sed in mutilis textibus reparandis duplex existere commodum affirmaverim. Ac primùm quidem pars aliqua oris, verbi gratiâ, quæ in statuâ reparata fuerit, quantumvis doctè efficta, quantumvis peritè accommodata dicatur, non est tamen germana pars, neque illa quæ primùm extabat; dùm è contrà vera vox, quæ omissa aut corrupta, tandem reperta fuit, non minùs est ipsa vox auctoris quàm illa quæ ab ipso auctore fuit primùm delineata. Hoc verò alterum est commodum, & sanè præcipuum; nempè, si opifex indoctus & temerarius opus artis antiquum reparare susciperet, id unum efficeret suâ diligentiâ ut pretiosas reliquias perderet

ventes, & ità infrà paginam positas, ut nullis annotationum signis textus impediatur (1). Cupiam idem lectionem vulgatam quàm citissimè reponi ob oculos lectoris, quia, videlicet, quum is possit nitidissimum in eâ lectione sensum reperire in quâ tu nullum reperisti, aut quum ipsa adulteratio ipsi forsitan restitutionem suppeditatura sit feliciorem simul & certiorem, hoc illi commodum confestim afferre debes, nec illum cogere ut id è longiori accersat.

Hîc eam resumo objectionem, quam si non integram, at ejus certè partem refelli. Statìm atque editores sibi licere existimabunt propria ipsorum inventa ei lectioni subrogare quam judicabunt esse vitiosam, limitibus jam sublatis, nullus erit licentiæ terminus: suas unusquisque conjecturas pro ipsâ veritate habebit; textus quoslibet singuli deformabunt magis ac magis & adulterabunt dùm ipsos credent sanari à se & emendari, & pro scriptis antiquis scripta tandem recentiora accipiemus.

Ad hæc respondebo libertatem editoribus concessam, si legibus & regulis modò expositis coerceatur, non perniciosam fore & detrimentosam; at etiamsi eâ libertate abuterentur lævæ mentis homines, non ideò prohibendos esse viros egregiè cordatos quominùs eâdem utantur ad bonarum litterarum utilitatem. Præterea, si editor temerarius in nimiam prorumpat licentiam, si alienis non parcat, & illa invertat tanquam sua essent, eæ quæ præcesserunt editiones remanebunt semper inconcussæ, dùm imprudentis ingenii opus ruet merito silentio & debitâ oblivione consepultum. Denique, Henr. Stephanus, Hier. Volfius, & nonnulli alii editores, magnâ doctrinâ & optimo judicio præditi, sæpius textum emendârunt ex propriis conjecturis, nec indè aliud contigit incommodi, quàm quòd elucidatus sit locus difficilis, & corruptæ lectioni subrogata sit lectio primigenia.

Illi verò objectioni non respondendum esse arbitror, scilicet ab editore quovis textum emendante textum haberi evidenter corruptum, huncque ob eam causam ab ipso emendari. Equidem fateor falsâ evidentiæ specie posse illudi aliquos, ideóque etiam atque

deret omninò & corrumperet, nec nova damna quæ superba ipsius attulisset ignorantia, ab ullo jam alio possent resarciri. At non eadem est textuum adulteratorum ratio. Nam quantumvis inscitè eos restituat editor imperitus, semper remanent veteres lectiones; ac post eum alter potest quærere & reperire feliciores restitutiones, quæ à sano quoque homine statìm comprobentur.

(1) Adeò non dedignor, ut & multi faciam disputationes historicas & criticas de textu veterum auctorum; sed arbitror eas seponendas esse extrà textum, ità ut eis textus non impediatur. Editoris hoc munus est, meo quidem

atque etiam moneo textum non temerè esse deserendum. Sed quod apud omnes viros sanos evidens est, id teneri debet ut evidens; atque ut contemnitur stultus iste qui sibi congratulatur solus ob evidentiam menti suæ, ut putat, affulgentem; ità laudatur ab omnibus & comprobatur sapientis viri industria, qui, re perpensâ diligenter, id admittere non dubitat quod ipsi recta ratio tanquam certum & indubitatum exhibet.

Antequam loquar de dotibus queis donatum esse deceat veterum editorem, distincto duplici genere editionum ut duplex editorum genus distinxi, hæc sentio & dico. Illas maximi omnium faciam, in quibus aliquis excellentis judicii, intrà debitos fines se continens, sanæ critices face præeunte, operam dederit ut suus veteribus scriptis nitor restituatur. Sed adeò non contemnam, ut & prorsùs necessarias habiturus sim eas in quibus vir eruditus, perlectis patienter & solerter perspectis optimis codicibus, nobis diligenter tradet pretiosas veterum scriptorum reliquias. Eæ solæ rejiciendæ erunt editiones, in quibus temerarius editor, lectionibus obscuris aut vitiosis ad libidinem non ad rationis normam correctis, intrudet in textum fortuitas & ineptas emendationes quæ publicâ mox infamiâ inurentur.

Non is sum qui editoris laudes exaggerare aggrediar quia veteres edere suscepi; sed id verè possum affirmare non omnium esse hoc munus exequi. De operibus græcis duntaxat loquar, cùm ut in unâ re legentium attentio consistat, tùm quòd pleraque illorum mendosa maximè & mutila ad nos pervenerunt. Oportet sanè scriptorum græcorum editorem linguæ græcæ mentem & ingenium, idiotismos, regulas & exceptiones, radices verborum & significationes diversas, & cetera quæ ad eam penitùs intelligendam pertinent optimè callere; eundem oportet cognoscere res gestas, mores & usus nationis græcæ, ac presertìm populi Atheniensis, si scriptor esset Atheniensis: ità sanè illum oportet horum omnium esse consultissimum; verùm hæc ipsa non sufficiunt. Nunquam ille rem ad felicem exitum perducet, nisi forti animo præditus sit, qui multis crebrisque difficultatibus excitetur magis, nedùm deterreatur; nisi etiam invictâ donatus sit tolerantiâ quâ velit eadem sæpiùs inculcare, ut caliginosa omnia elucidentur, mutila reparentur, aspera complanentur, impedita expediantur, curæ priores corrigantur curis posterioribus; nisi insuper acerrimum & sagacissimum sortitus sit ingenium, quo verum loci alicujus sensum deprehendat, inter se pugnantia conciliet, repleat vacua & hiulca, connexionem perspiciat sententiarum & probationum, interruptum orationis filum

quidem judicio, textum purum, nitidum, lectuque facilem efficere brevioribus notis quæ ipsam difficultatem statim solvant, rejectis scilicet qualibuscunque ab hâc re alienis disputationibus.

resumat,

resumat, veritatis facem per omnia ferat ut omnes discutiantur caligines; nisi denique recto & certo instructus sit critices acumine, quo doceatur quandò textus servari debeat, quandò possit deseri, quo intelligat quid verè sit scriptoris aut non sit, quo ipsas auctoris hallucinationes à librarii erratis discernat, quo demùm loca corrupta sic restituat, ut pariter absit à timiditate ignavâ & ab audaci temeritate. Nec satis; penè dicam hunc eodem aut saltem simili ingenio donari oportere atque illum cujus scripta in lucem edere suscipit. Aristotelis editor versatissimus esse deberet in dialecticâ illâ subtili simul & sublimi, quâ philosophus ille omnes omninò scientiarum, humaniorum litterarum & artium partes menti suæ addicebat. Platonis editor deberet intelligere penitùs causas & fines philosophiæ platonicæ, & infinitam sermonum illius varietatem, quâ ad omnia dicendi genera, ad omnes scribendi modos, facilis & multiplex se accommodabat.

Non loquar de historicis & poetis, quantis nempè dotibus instructum esse oporteat editorem Thucydidis, Herodoti, Æschyli, Sophoclis, Euripidis, Aristophanis, & aliorum, quorum scripta ad nos pervenerunt plus minúsve adulterata. Pauca duntaxat dicam de oratoribus atticis circà quos ego versor præcipuè. Qui scilicet apprimè cognoverit veros illos & à naturâ datos affectus, firmam illam & subtilem arguendi methodum, venustam illam & sale conditam simplicitatem, vim illam sermonis quæ res exhibet quasi in scenâ agerentur, concentum illum verborum demulcentem aures suaviter, quæ omnia illis omnibus erant communia; is mihi videtur maximè omnium posse emendare in textu quod peccat, rejicere aut adjicere quod illorum ingenio congruum est aut contrarium.

Equidem arbitror, & hoc ultimum animadverto, fore ut is qui alicui operi in alium sermonem vertendo dedit operam, faciliùs possit & feliciùs huic eidem operi edendo incumbere. Nullâ scilicet aliâ tutiori viâ corrupti textus sanari queunt, quàm si id primum omnium pro certo teneatur quid scriptor in animo habuerit dicere, ut certiùs cognoscatur quid reipsâ dixerit. Porrò is qui accuratè opus aliquod in alium sermonem vertere studuit, id debuit intendere ut reperiret omnes sensus veros, ut series rerum & connexio, & quidquid in affectibus & sententiis limatius est & subtilius, ipsum non effugeret.

Has observationes criticas concludent expositæ aliquot regulæ & normæ quæ ad actum pertinent, & ex his consequuntur. Si opus aliquod in lucem typis editur primùm, non potest esse accuratus nimis & religiosus ut codicem manuscriptum talem repræsentet qualis ad nos pervenit; & huic uni studere debet ut apprimè legat manuscriptum exemplar, & nihil omninò excidat dùm excuditur.

Quòd

Quòd si plures codices ipsi licet consulere, tunc ipsum oportet ex diversis lectionibus eas seligere quas putat esse optimas, & inter variantes rejicere eas omnes quas deserit. Hæc egomet ità persuasa habeo, ut, si opus aliquod hactenùs ineditum evulgare susciperem, id mei ducerem esse officii, evidentissimas licet reperissem emendationes, illud edere omnibus & linguæ & sensûs mendis fœdatum quæ in codice manuscripto apparerent (1). Sed statìm atque dedissem operam ut servaretur codex & typis multiplex fieret, tunc arbitrarer me posse pro jure meo idem opus publicum facere ab omnibus, quâ fas est, amanuensium erratis expurgatum. Optandum esset ut primis temporibus in diversis locis exstitissent plures editores non minùs accurati & religiosi quàm Aldi fuerunt, plures nunc haberemus editiones quibus ipsi nobis codices manuscripti exhiberentur. Quidquid sit, ipse primus gratulabor viro illi erudito, qui, quum ipse cordi habeat ut plures sint editiones accuratæ, aut eas evulgare quæ sint accuratiores, ex integro consulet codices manuscriptos, & suâ diligentiâ arguet priorum editorum operam non satis diligentem. Sed ipse quoque, adeò non rixas movere debet, ut etiam debeat animos addere sincero veterum amatori, qui, quum ægerrimè ferat illorum aliquos omnigenis mendis deturpatos esse & deformatos, omni ope contendit ut suum ipsis nitorem restituat, quantùm licet, & textus mutilos reficiat, ità tamen, iterùm atque iterùm dicam, ut sibi debitos fines nunquam transiliendos, & veteres lectiones ob legentium oculos semper reponendas, arbitretur.

Ex editione Lysiæ ab Auger in 8vo. Ann. 1783.

(1) Hîc mihi aliquis objiciat editionem ejusmodi futuram esse utilem doctis aliquibus viris qui textibus emendandis incumbunt, sed quum ea non possit prodesse nisi paucis hominibus, non sumtus eam compensaturam ad opus conficiendum necessarios. Hanc ego objectionem firmissimam esse fateor, & dico laudandum esse & maximo plausu excipiendum fortem gnavumque privatorum quorundam animum, qui pro humaniorum litterarum commodis sua ipsi bona profundere non dubitant; sed hoc onus fore subeundum civitatibus & principibus, & ipsorum impensis suscipiendas fore editiones quasdam non minore emolumento quàm sumtu excudendas. Gratulati sunt viri eruditi clarissimo de Villoison, regiæ Inscriptionum & Humaniorum Litterarum Academiæ socio, in regionem peregrinam proficiscenti ut illîc opera græca ederet hactenùs inedita; nec sciunt utrùm magis admirari oporteat, aut ardorem inclytum adolescentis academici, qui suæ se familiæ & novæ sponsæ amplexibus eripuit, ut procul à patriâ incognitas opes colligeret, aut utile gallici imperii studium, quod cœptum illud magnanimum fovere amat & tueri. Ceterùm hoc quod mihi reipsâ objectum est, declarat quàm necesse sit menda corrigere quæ apud codices manuscriptos occurrunt, ut editio aliqua possit diffundi latius, & lectoribus non paucis probari.

DE UNDEVIGINTI GENERIBUS METRORUM HORATII,

Tractatus Aldi Manutii.

PRIMUM genus :

UT Ode 1, lib. 1, quæ est monocolos. Sunt enim omnes versus Choriambici Asclepiadei tetrametri acatalectici : qui constant è spondeo, & duobus choriambis, & pyrrhichio vel iambo : hoc modo,

Mæce - - nas atavis - v v - edite re - v v - gibus v v
O et - - præsidium et - vv - dulce decus - vv - meum v v
- - - vv - - vv - vv
- - - vv - - vv - vv

Primi generis Odæ 3.

Lib. 1. Ode 1. Mæcenas atavis edite regibus.
Lib. 3. 30. Exegi monimentum ære perennius.
4. 8. Donarem pateras, grataque commodis.

SECUNDUM genus :

UT Ode 2, quæ est dicolos tetrastrophos. Primi quique tres versus sunt hendecasyllabi Sapphici pentametri acatalectici : qui constant è trochæo, spondeo, dactylo, & duobus trochæis : vel spondeo ultimo : sic,

Jam sa - v tis ter - - ris nivis - v v atque - v diræ - -
Grandi - v nis mi - - sit pater - v v & ru - v bente - v
Dexte - v ra sa - - cras jacu - v v latus - v arces - -

Quartus autem quisque est Adonius dimeter catalecticus, ex dactylo & spondeo vel trochæo : sic,

Terruit - vv urbem - v
- v - - - vv - v - -
- v - - - vv - v - v
- v - - - vv - v - -
- vv - v

Secundi

Secundi generis Odæ 26.

1. 2. Jam ſatis terris nivis atque diræ.
1. 10. Mercuri, facunde nepos Atlantis.
1. 12. Quem virum, aut heroa lyra, vel acri.
1. 20. Vile potabis modicis Sabinum.
1. 22. Integer vitæ ſceleriſque purus.
1. 25. Parcius junctas quatiunt feneſtras.
1. 30. O Venus, regina Cnidi Paphique.
1. 32. Poſcimus ſi quid vacui ſub umbra.
1. 38. Perſicos odi, puer, apparatus.
2. 2. Nullus argento color eſt avaris.
2. 4. Ne ſit ancillæ tibi amor pudori.
2. 6. Septimi Gades aditure mecum.
2. 8. Ulla ſi juris tibi pejerati.
2. 10. Rectius vives, Licini, neque altum.
2. 16. Otium divos rogat in patenti.
3. 8. Martiis cœlebs quid agam calendis.
3. 11. Mercuri, nam te docilis magiſtro.
3. 14. Herculis ritu modo dictus, o plebs.
3. 18. Faune nympharum fugientum amator.
3. 20. Non vides quanto moveas periclo.
3. 22. Montium cuſtos nemorumque virgo
3. 27. Impios parræ recinentis omen.
4. 2. Pindarum quiſquis ſtudet æmulari.
4. 6. Dive, quem proles Niobea magnæ.
4. 11. Eſt mihi nonum ſuperantis annum.
5. 18. Phœbe, ſylvarumque potens Diana.

TERTIUM genus:

UT Ode 3, quæ eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus eſt Choriambicus Glyconius, trimeter, acatalecticus: conſtans è ſpondeo, choriambo & pyrrichio, vel iambo: ſic,

Sic te - - diva potens - *vv* - Cypri *v*-

Secundus vero quiſque Choriambicus, Aſclepiadeus tetrameter acatalecticus: è ſpondeo, duobus choriambis, & pyrrhichio, vel iambo: ſic,

Sic fra - - tres Helenæ - *v v* - lucida ſi - *v v* - dera *vv*

-- -*v v*- *v*-

-- -*v v*- -*v v*- *v v*

Tertii generis Odæ 12.

1. 3. Sic te, diva potens Cypri.
1. 13. Cum tu, Lydia, Telephi.
1. 19. Mater sæva cupidinum.
1. 36. Et thure & fidibus juvat.
3. 9. Donec gratus eram tibi.
3. 15. Uxor pauperis Ibyci.
3. 19. Quantum distat ab Inacho.
3. 24. Intactis opulentior.
3. 28. Festo quid potius die.
4. 1. Intermissa, Venus, diu.
4. 3. Quem tu Melpomene.

QUARTUM genus:

UT Ode 4, quæ est dicolos distrophos. Primus quisque versus est Dactylicus, Archilochius, heptameter, acatalectus: constans è quatuor primis pedibus spondeis, vel dactylis indifferenter, ut in versu Heroico: deinde è tribus trochæis, vel spondeo ultimo: sic,

Solvitur-vv acris hy-vv ems gra--ta vice-vv veris-v & Fa-v voni--

Secundus verò quisque est Archilochius, constans ex penthemimeri iambica. id est, ex iambo vel spondeo, iambo, & syllaba. Deinde è tribus trochæis, vel spondeo ultimo: sic,

Trahunt v - que sic v - cas - machi - v næ ca - v rinas --
-vv -vv -- -vv -v -v --
v- v- - -v -v --

Quarti generis Ode una.

1. 4. Solvitur acris hyems grata vice veris & Favoni.

QUINTUM genus:

UT Ode 5, quæ est tricolos tetrastrophos. Primi quique duo versus sunt Asclepiadei, qualis ille, Mæcenas atavis edite regibus. Scanduntur enim sic,

Quis

Quis mul - - ta gracilis-*vv*-te puer in-*vv*-rosa *v*-
Perfu--sus liquidis-*vv*-urget odo-*vv*-ribus *vv*

Tertius autem quisque est Pherecratius, Heroicus trimeter, acatalecticus: constans è spondeo, dactylo & spondeo, sic,

Grato--Pyrrha sub -*vv* antro --

Quartus verò quisque est Glyconius: qualis ille, Sic te diva potens Cypri. Scanditur enim hoc modo,

Cui fla--vam religas - *vv* - comam *vv*

-- -*vv*- -*vv*- *v*-
-- -*vv*- -*vv*- *vv*
-- -*vv* --
-- -*vv*- *vv*

Quinti generis Odæ 7.

1. 5. Quis multa gracilis te puer in rosa.
1. 14. O navis, referent in mare te novi.
1. 21. Dianam teneræ dicite virgines.
1. 23. Vitas hinnuleo me similis, Chloe.
3. 7. Quid fles, Asterie, quem tibi candidi.
3. 13. O fons Blandusiæ, splendidior vitro.
4. 13. Audivere, Lyce, dii mea vota.

SEXTUM genus:

UT Ode 6, quæ est dicolos tetrastrophos. Primi quique tres versus sunt Asclepiadei, qualis ille, Mæcenas atavis edite regibus. Scanduntur enim hoc modo,

Scribe--ris Vario-*vv*-fortis & ho-*vv*-stium *vv*
Victor--Mæonii-*vv*-carminis a -*vv*-lite *vv*
Quam rem--cunque ferox-*vv*-navibus aut-*vv*-equis *v*-

Quartus autem Glyconius, qualis, Sic te diva potens Cypri. Scanditur autem sic,

Miles - - te duce gef - *vv* - ferit *vv*

-- -*vv*- -*vv*- *vv*
-- -*vv*- -*vv*- *vv*
-- -*vv*- -*vv*- *v*-
-- -*vv*- *vv*

Sexti

Sexti generis Odæ 9.

1. 6. Scriberis Vario fortis, & hostium.
1. 15. Pastor cum traheret per freta navibus.
1. 24. Quis desiderio sit pudor, aut modus.
1. 33. Albi, ne doleas plus nimio memor.
2. 12. Nolis longa feræ bella Numantiæ.
3. 10. Extremum Tanaim si biberes, Lyce.
3. 16. Inclusam Danaen turris ahenea.
4. 5. Divis orte bonis, optime Romulæ.
4. 12. Jam veris comites, quæ mare temperant.

SEPTIMUM genus:

UT Ode 7, quæ est dicolos distrophos. Primus quisque versus est Heroicus, hexameter, catalecticus in duas syllabas: constans è sex pedibus, dactylo & spondeo indifferenter in omnibus locis, quamquam in quinto aliquando spondeus ponitur, & in sexto dactylus: ubi etiam sæpe pro spondeo trochæus admittitur. Sed de versu heroico multa diximus in institutionibus nostris grammaticis. Scanditur autem sic,

Lauda -- bunt ali -*v v* i cla - - ramRhodon -*vv* autMity -*vv* lenen --

Secundus autem quisque est dactylicus, Alcmanius, tetrameter, catalecticus: habens quatuor ultimos pedes heroici versus, sic,

Aut Ephe - *vv* sum bima -*vv* risve Co -*vv* rinthi - -

-- -*vv* -- -*vv* -*vv* --
-*vv* -*vv* -*vv* --

Septimi generis Odæ 3.

1. 7. Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen.
1. 28. Te maris & terræ, numeroque carentis arenæ.
5. 12. Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris.

OCTAVUM genus:

UT Ode 8. l. 1, quæ est dicolos distrophos. Primus quisque versus est Aristophanius dimeter acatalecticus: constans è choriambo, & bacchio, sive amphimacro: hoc modo,

Lydia dic -*vv*- per omnes *v*--

Secundus autem quisque est Choriambicus Alcaicus tetrameter acat-

acatalecticus: constans ex epitrito secundo, duobus choriambis, & bacchio, sive amphibracho: hoc modo,

Te deos o -v -- ro Sybarim -vv- cur properes -vv-amando v--

-vv- v--

-v-- -vv- -vv- v--

Octavi generis Ode unica.

1. 8. Lydia dic, per omnes.

NONUM genus:

UT Ode 9, quæ est tricolos tetrastrophos. Primi quique duo versus sunt Dactylici Alcaici acatalectici: qui constant ex penthemimeri iambica, id est, ex iambo vel spondeo, iambo & syllaba, quæ dicitur cæsura: deinde è duobus dactylis, vel ultimo amphimacro: hoc modo,

Vides v-ut al v-ta- stet nive -vv candidum -vv
Sora v-cte, nec v-jam- sustine -vv aut onus -vv

Tertius autem quisque est Iambicus Archilochius dimeter hypercatalectus: constans quatuor pedibus: primo & tertio, iambo, vel spondeo: secundo & quarto, iambo duntaxat, deinde superest syllaba, hoc modo,

Sylvæ - - labo v- rantes - - gelu v- que v

Quartus autem quisque est Dactylicus Alcaicus acatalecticus: constans ex dimetro Heroïco, & dimetro Trochaico. id est, è duobus dactylis, & duobus trochæis: vel ultimo spondeo, hoc modo,

Flumina -vv constite-vv rint a -v cuto - -

v- v- - -vv -vv

v- v- - -vv -vv

-- v- -- v- v

-vv -vv -v --

Noni generis Odæ 37.

1. 9. Vides, ut alta stet nive candidum
1. 16. O matre pulchra filia pulchrior
1. 17. Velox amœnum sæpe Lucretilem
1. 26. Musis amicus, tristitiam & metus
1. 27. Natis in usum lætitiæ scyphis
1. 29. Icci, beatis nunc Arabum invides

1. 31. Quid

1. 31. Quid dedicatum poscit Apollinem
1. 34. Parcus deorum cultor & infrequens
1. 35. O diva gratum quæ regis Antium
1. 37. Nunc est bibendum, nunc pede libero
2. 1. Motum ex Metello consule civicum
2. 3. Æquam memento rebus in arduis
2. 5. Nondum subacta ferre jugum valet
2. 7. O sæpe mecum tempus in ultimum
2. 9. Non semper imbres nubibus hispidos
2. 11. Quid bellicosus Cantaber, & Scythes
2. 13. Ille & nefasto te posuit die
2. 14. Eheu! fugaces, Posthume, Posthume
2. 15. Jam pauca aratro jugera regiæ
2. 17. Cur me querelis exanimas tuis
2. 19. Bacchum in remotis carmina rupibus
2. 20. Non usitata, nec tenui ferar
3. 1. Odi profanum vulgus, & arceo
3. 2. Angustam, amici, pauperiem pati
3. 3. Justum & tenacem propositi virum
3. 4. Descende cœlo, & dic age tibia
3. 5. Cœlo tonantem credidimus Jovem
3. 6. Delicta majorum immeritus lues
3. 17. Æli, vetusto nobilis ab Lamo
3. 21. O nata mecum consule Manlio
3. 23. Cœlo supinas si tuleris manus
3. 26. Vixi puellis nuper idoneus
3. 29. Tyrrhena regum progenies, tibi
4. 4. Qualem ministrum fulminis alitem
4. 9. Ne forte credas interitura, quæ
4. 14. Quæ cura patrum, quæve Quiritium
4. 15. Phœbus volentem prœlia me loqui.

Decimum genus:

UT Ode 11, quæ est monocolos. Sunt enim omnes versus Choriambici Alcaici pentametri acatalectici: qui constant è spondeo, tribus choriambis, & pyrrhichio, vel iambo, hoc modo,

Tu ne--quæsieris-*vv*-scire nefas-*vv*-quem mihi quem-*vv*-tibi *v v*
Finem--dî dederint-*vv*-Leuconoe-*vv*-nec Babylo-*vv*-nios *v*-
-- -*vv*- -*vv*- -*vv*- *vv*
-- *vv*- -*vv*- -*vv*- *v*-

Decimi

Decimi generis Odæ 3.

1. 11. Tu ne quæſieris ſcire (nefas) quem mihi, quem tibi
1. 18. Nullam, Vare, ſacra vite prius ſeveris arborem
4. 10. O crudelis adhuc, & Veneris muneribus potens

UNDECIMUM genus:

UT Ode 18, libri ſecundi, quæ eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus eſt iambicus Archilochius dimeter acatalectus: conſtans amphimacro & duobus iambis, vel ultimo pyrrhichio: hoc modo,

Non ebur-*v*- nequ' au *v*- reum *vv*

Secundus quiſque verſus eſt Iambicus Archilochius trimeter catalecticus: conſtans è quinque iambis & ſyllaba: recepto tamen in locis imparibus etiam ſpondeo: hoc modo,

Mea *v*-reni *v*-det in *v*- domo *v*-lacu *v*-nar *v*

-*v*- *v*- *vv*

v- *v*- *v*- *v*- *v*- *v*

Undecimi generis Ode una.

2. 18. Non ebur, neque aureum.

DUODECIMUM genus:

UT Ode 12, libri tertii, quæ eſt dicolos triſtrophos. Primi quique duo verſus ſunt Ionici à minore, Sapphici, trimetri acatalecti: qui conſtant è tribus Ionicis à minore, vel ultimo pæone tertio: hoc modo,

Miſerar' eſt *vv*- -nequ'amori *vv*--dare ludum *vv*-*v*
Neque dulci *vv*- -mala vino *vv*--laver'aut ex *vv*--

Tertius item verſus eſt Ionicus à minore, Sapphicus acatalecticus, ſed tetrameter: conſtans è quatuor Ionicis à minore: hoc modo,

animari *vv*- - metuentes *vv*--patriæ ver *vv*--bera linguæ *vv* --

vv-- *vv*-- *vv*-*v*

vv-- *vv*-- *vv*--

vv-- *vv*-- *vv*-- *vv*--

Duodecimi generis Ode una.

3. 12. Miserarum est neque amori dare ludum.

DECIMUMTERTIUM genus:

UT Ode 7, libri quarti, quæ est dicolos distrophos. Primus quisque versus est Heroicus hexameter catalecticus: qualis, Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen. hoc modo,

Diffu--gere ni-*vv* ves rede-*vv* unt jam--gramina-*vv* campis--

Secundus quisque est Dactylicus Archilochius dimeter hypercatalecticus: constans duobus dactylis & syllaba: hoc modo,

arbori-*vv* busque co-*vv* mæ -

-- -*vv* -*vv* -- -*vv* --
-*vv* -*vv* -

Decimitertii generis Ode una.

4. 7. Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,

DECIMUMQUARTUM genus:

UT lib. 5, Ode 1, quæ est dicolos distrophos. Primus quisque versus est iambicus Hipponacteus trimeter acatalectus: constans è sex iambis: recepto tamen in locis imparibus etiam spondeo: hoc modo,

Ibis-- Libur *v*- nis in -- ter al *v*- ta na *v*- vium *vv*

Secundus quisque est Iambicus Archilochius dimeter acatalecticus: constans è quatuor iambis: recepto tamen in locis imparibus etiam spondeo: hoc modo,

Ami *v*- ce pro *v*-pugna--cula *vv*

-- *v*- -- *v*- *v*- *vv*
v- *v*- -- *vv*

Decimiquarti generis Odæ 10.

5. 1. Ibis Liburnis inter alta navium
5. 2. Beatus ille, qui procul negotiis
5. 3. Parentis olim siquis impia manu
5. 4. Lupis & agnis quanta sortito obtigit
5. 5. At ô deorum quisquis in cœlo regis
5. 6. Quid immerentes hospites vexas, canis
5. 7. Quò quò scelesti ruitis? aut cur dexteris

5. 8. Ro-

5. 8. Rogare longo putidam te ſæculo
5. 9. Quando repoſtum cæcubum ad feſtas dapes
5. 10. Mala ſoluta navis exit alite.

Decimumquintum genus:

UT Ode 11, quæ eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus eſt Iambicus Hipponacteus trimeter acatalectus: qualis ille, Ibis liburnis inter alta navium: hoc modo,

Pecti--nihil *v*- me ſi--cut an *v*-tea *v*- juvat *vv*

Secundus vero quiſque eſt Sapphicus: conſtans penthemimeri heroica, & dimetro iambico, id eſt, è duobus dactylis, & ſyllaba, deinde è quatuor iambis: recepto tamen in locis imparibus etiam ſpondeo: hoc modo,

Scribere -*vv* verſicu -*vv* los- amo *v*-re per *v*- culſum -- gravi *v*-

-- *v*- -- *v*- *v*- *vv*

-*vv* -*vv* - *v*- *v*- -- *v*-

Decimiquinti generis Ode una.

5. 11. Pecti, nihil me, ſicut antea, juvat

Decimumsextum genus:

UT Ode 13, quæ eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus eſt Heroicus hexameter catalecticus: qualis ille, Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mityleneen: hoc modo,

Horrida -*v v* tempe--ſtas cœ--lum con--traxit & - *vv* imbres--

Secundus verò quiſque eſt Archilochius, conſtans dimetro iambico & penthemimeri heroica. id eſt, è quatuor iambis: recepto tamen in locis imparibus etiam ſpondeo. Deinde è duobus Dactylis, & ſyllaba: hoc modo,

Niveſ *v*- que de *v*- ducunt -- Jovem *v*- nunc mare -*vv* nunc ſylu -*vv* æ-

-*vv* -- -- -- -*vv* --

v- *v*- -- *v*- -*vv* -*vv* -

Decimiſexti generis Ode una.

5. 13. Horrida tempeſtas cœlum contraxit, & imbres.

Deci-

DECIMUMSEPTIMUM genus:

UT Ode 14, quæ eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus eſt, qualis, Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen: hoc modo,

Mollis in -vv ertia -vv cur tan--tam dif--fuderit -vv imis --

Secundus autem quiſque eſt Iambicus Archilochius dimeter acatalectus: qualis ille, Amice propugnacula: hoc modo,

Obli -- vio v - nem ſen--ſibus vv

-vv -vv, -- -- -vv --

-- v- -- vv

Decimiſeptimi generis Ode 2.

5. 14. Mollis inertia cur tantam diffuderit imis

6. 15. Nox erat, & cœlo fulgebat luna ſereno.

DECIMUMOCTAVUM genus

UT Ode 16, quæ eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus eſt Heroicus hexameter: hoc modo,

Altera-vv jam teri-vv tur bel -- lis ci--vilibus -vv ætas--

Secundus verò quiſque eſt Iambicus Hipponacteus trimeter: qualis ille, Ibis liburnis inter alta navium. Quamquam in hac oda ſecundus quiſque verſus conſtat è ſolis iambis: quod ſemel tantùm legitur feciſſe Horatius. Quamobrem verſus ille, Eamus omnes execrata civitas, ſic eſt legendus, Eamus omnis execrata civitas. Quod & Porphyrioni placet, ut ſit figurata locutio, Eamus omnis civitas execrata hæc, & quæ poterunt reditus abſcindere dulces. Sunt enim omnes iambi: hoc modo,

Suis v- & ip v- ſa Ro v-ma vi v-ribus v-ruit v v

-vv -vv -- -- -vv --

v- v- v- v- v- vv

Decimioctavi generis Ode una.

5. 16. Altera jam teritur bellis civilibus ætas

UNDEVIGESIMUM genus:

UT Ode 17, quæ eſt monocolos. Sunt enim omnes verſus Iambici Hipponactei trimetri acatalecti: qualis ille, Ibis Liburnis inter alta navium. hoc modo,

Jam i'ef--fica v-ci do--manus v- ſcien v-tiæ v-

Supplex--& o v-ro re--gna per v-Proſer--pinæ v-

-- v- -- v- v- v-

-- v- -- v- -- v-

Undevigeſimi generis Ode una.

5. 17. Jam jam efficaci do manus ſcientiæ.

F I N I S.

ADDENDA

DE

METRIS HORATIANIS.

METRA HORATIANA.

Ch. Wase Ambrosio Bonwicke *S. S.*

AMissos tot magni inter Græcos nominis Lyricæ Poësios autores, unus nobis Horatius facit, ut enius desideremus. Placuit igitur seculis ingenii felix, numeris curiosus. Horatiana certe metra Diomedes & Marius Victorinus, præter Plocium & Atilium Fortunatianum, ex professo posteris explicata reliquerunt. Specimen eorundem in brevem tabellam conjectum continenti carmine Petronius, quisquis is fuit, (nam alios ejusdem nominis alia ætas tulit) in vulgus edidit. Ad istud exemplum magistri, quorum disciplinæ origo mihi tecum communis fuit, quot septimanis mutato titulo, nos tirones ad multijugam Lyræ Latinæ modulationem exercuerunt. Ita velim hoc nomini tuo inscriptum accipias, ita tuearis, non tanquam aliquod magnum aut novum, sed ut indignum quod in desuetudinem abeat, cum in se tantum habeat compendii. Tuum erit vicem Pasiphaes *substituere,* Daphnen, Phaethonta, Cadmum. *Quantum argumenti veri aut fabulosi eminet, materiam suppeditabit; modo ne desit afflatus: Vltro rapiet ad se generosam urbanæ juventutis indolem, ni fallor, artifex pagina; quo rectius ad Dithyrambum contendant.* Vale.

PASI-

PASIPHAE.

Notæ Marginales. D. *Dactylus.* S. *Spondeus.* T. *Trochæus.* I. *Iambus.* J. *Ionicus a minori.*

DS	1	Filia Solis
DD-	2	Æstuat igne novo ;
SDS	3	Et per prata juvencum
SDD	4	Mentem perdita quæritat.
SDDS	5	Non illam thalami pudor arcet,
SDSSDS	6	Non regalis honos, nec magni cura mariti.
TST-	7	Optat in formam bovis
SISI	8	Convertier vultus suos :
SISI-	9	Et Prœtidas dicit beatas,
IISII-	10	Ioque laudat, non quod Isis alta est,
SISISI	11	Sed quod juvencæ cornua in fronte erigit.
SD-DD	12	Siquando miseræ copia suppetit
TSDTT	13	Brachiis ambit fera colla Tauri,
SI-DD	14	Floresque vernos cornibus illigat,
DDTT	15	Oraque jungere quærit ori.
SD-D-DD	16	Audaces animos efficiunt tela Cupidinis
DTT	17	Illicitisque gaudet
TSD-DTT	18	Corpus includi stabulis se faciens juvencam.
JJJ	19	Et amoris pudibundi malesuadis
DSSDTTT	20	Obsequitur votis, & procreat, heu nefas ! bimembrem.
DD-SISI	21	Cecropides juvenis quem perculit fractum manu,
SISIDD	22	Filo resolvens Gnossiæ tristia tecta domus.

1. *Adonium, Adonidium* ; Plocius adducit in exemplum Ὦ τὸν Ἄδωνιν. Dicitur Epodos quia subjicitur Sapphicis, apud Horatium, ternis : Anapæstis apud Senecam, quotenos res tulerit. Heroici Κόμμα ληκτικὸν vel τελικόν. *Dimetrum ex inferiori parte Hexametri.* Diomedes Metr. Horat. l. 1. O. 10. nominari perhibet *nicen celicon climeteon* ; corrupte, quantum auguror, ex ἐπικὴν τελικὴν Διμοιρίαν. *remoto* Hexametri *besse, reliquum trientem. Nota.* Versus certis pedibus alligati, qui *Monoschematisti* audiunt, per syllabas numerari patiuntur : unde *Sapphicum pentasyllabum* vocatur. Musicis Choriambicum monometrum hypercatalectum.

 2. *Arbilochium*

2. *Archilochium heptasyllabum* constat ex *basi* vel *Dipodia Dactylica* cum semipede. Dimetrum Dactylicum hypercatalectum. *Cæsurâ ex superiori parte Hexametri Penthemimeres.* Subnectitur Hexametro. Carm. l. 4. Ode 7.

3. *Pherecratium* ab inventore. Pherecrates in Coriano.

Ἄνδρες πρόσχετε τὸν νοῦν.
Ἐξευρήματι καινῷ
Συμπτύκτοις ἀναπαίστοις.

Plocius *Monoschematistum* vocat: habet enim pedes in eodem situ invariabiles; ut qui juxta Grammaticos duobus hinc inde Spondeis Dactylum semper interjiciat medium: unde & *Heptasyllabum* fieri necesse est. Quod addit idem alios *Sympiyston*, alios *Anapæsticum* dicere, vereor ut alterutri quid sibi velint, satis intellexerint: nec enim Pherecratis verba de *pede Anapæsto* ceperim: cum Hephæstion *Maritus* Pherecratium *Hephthemimeres Antispastico* generi vindicet, ita scilicet partitur ut Epitritum quartum complicat, cum Epitrito primo cujus ultima deficit. Ἀκατάληκτον vocat & ἀσυνάρτητον κατ' ἀντιπάθειαν quia *Trochaicam protomen* claudit *Iambica catalexis*: cum hæ *conjugationes* sibi mutuo *adversentur*. *Sesquiseptenaria* clausula dicitur quod tribus dissyllabis pedibus bissectis accedat semipes. Ἀνάπαισις hic id valere videtur quod in Ionicis Ἀνάκλασις. Pes enim septem temporum cum pede quinque temporum simul sumpti puncta conficiunt duodecim: ut *Dimetrum*, quamvis syllaba deficiat, tamen per hanc *Epiplocen* velut ex repercussione justos absolvat numeros. Post Asclepiadea bina ponitur sequente Glyconio. L. 1. Od. 5. 14. 21. 23. & L. 3. Od. 7. 13.

4. *Glyconium Octasyllabum*; duobus Dactylis Spondeum præjacit. Locum sortitur apud Horat, vel ante singula Asclepiadea, vel post bina cum Pherecratio, vel denique post terna. *Hemiepes* dicitur. Animadvertas licet *Glyconium Pherecratio præmissum conficere Priapeium*, quomodo Catullus.

Hunc lucum t[illegible] dedico consecroque, Priape. Virgil.
Qui non dictus Hylas puer & Latonia Delos?

5. *Tetrametrum Dactylicum*. Si desinit in Spondeum, *Archilochium*: sin in Dactylum, *Alcmanium*. Hexametri Κόμμα ἀρχικόν, ex parte superiore versus, δίμοιρον ἔπους, Bes Hexametri. *Bucolica tome*;

tome; in Tetrametrum Alcmanium Pastorale carmen Theocrito, quam Virgilio frequentius cæditur. Postponitur Hexametro. L. 1. Od. 7. 28. Epod. 12.

6. *Heroicum*; *Epos*. L. 1. O. 7. 28. Præmittitur Tetrametro Heroico. Epod. 12. Penthemimeri Dactylico. L. 4. O. 7. Iambico Dimetro. Epod. 14, 15. Trimetro puro. Epod. 16. Horatiano seu Archilochio composito ex Iambico Dimetro & Penthemimeri Dactylico. Epod. 13.

7. *Trochaicum* vel Choricum *Dimetrum Catalecticum*. Ἀνκύθιον Euripidium. *Complementum Penthemimeris Iamb. ad Trimetrum*, Præponitur Iambico Trimetro Catalectico. Carm. L. 2. O. 18.

8. *Dimetrum Iambicum*. Succinitur Trimetris. unde Epodi nomen inprimis. Epod. a. 1. ad 10. item Hexametris, Epod. 14, 15, Nota. *Dimetrum Trochaicum Catalecticum* si connectas cum *Dimetro Iambico Acatalecto*, exibit *Septenarius Trochaicus*, qui est versus *Comicis* perquam familiaris.

9. *Alcaicum. Iambicum Dimetrum Hypercatalectum.* Enneasyllabum in Alcaico carmine tricolo tetrastropho tertiam sedem semper obtinet.

10. *Iambicum trimetrum catalecticum Hendecasyllabum* bis apud Horatium reperitur. L. 1. O. 4. Subjunctum versui composito ex Bucolico & Ithyphallico: L. 2. O. 18. Trochaico Dimetro Catalectico pariter subjectum.

11. *Archilochium Iambicum Trimetrum Acatalectum.* Iambus per se facit canticum ad Canidiam & Palinodiam; alibi Trimeter Dimetro præmittitur, Epod. a. 1. ad 10. aut Heroo purus subjungitur, Epod. 16. aut denique prætenditur Horatiano seu Archilochio composito ex Penthemimeri Dactylico & Iambico Dimetro, Epod. 11.

12. *Asclepiadeum Dodecasyllabum*; ipsum cantilenam absolvit, L. 1. O. 1. Glyconium subsequitur. L. 1. O. 3. &c. terna præcedunt Glyconium, L. 1. O. 6. &c. bina sibi aggregant Pherecratium cum Glyconio, L. 1. O. 5. & sæpius.

13. *Sapphicum Hendecasyllabum*: unius omnino figuræ quarto clauditur Adonio: passim.

14. *Alcaicum Hendecasyllabum*: ubique sibi par constat ex Penthemimere Iambica & basi dactylica. Prima combinatio est sex septemve temporum. Bina Hendecasyllaba ducunt. Enneemimeres Iambica sequitur.

15. *Alcaicum Decasyllabum* cogit agmen. Hanc carminis complexionem Horatius inprimis celebravit.

16. *Phalæcium Antispasticum Tetrametrum.* Ratio cur hoc nomine insigniatur est ex Canone. Epitritus 4. Antispast. Antispast, Dijambus,

Dijambus. Nos autem id agimus ut, quod fieri potest, intra trisyllabos pedes subsistamus; quare *versum heccædecasyllabum* per duas Cæsuras Penthemimere & Triemimere carpimus, donec in Basin Dactylicam deponatur. Lib. 1. Od. 11. L. 4. O. 10.

17. *Alcaicum* vel Anacreontium *Dimetrum Heptasyllabum*. Quodcunque metrum constat ex Dactylis & Trochæis, *Logaœdicon*, id est, *Prosometrum* appellatur; eo fortassis quod Asiatici Oratores orbem verborum ditrochæo libenter claudebant: alias ex Choriambo & Bacchio. Lib 1. O. 8.

18. *Sapphicum Hephthemimeres* cum suprapoſito *Alcaico Dimetro*. Superior versus cum hoc sic conjungitur apud Horatium, Verior metiendi ratio est per Epitritum, vel Hippium secundum, duos Choriambos & Bacchium. *Alcaicum Pentecædecasyllabum* dicitur. L. 1. O. 8.

19. *Ionicum a minori Trirrhythmum Acatalectum* binis trirrhythmis subjungitur tetrarrhythmum. L. 3. O. 12.

20. *Archilochium* compositum ex *tome Bucolica* quod est *tetrametrum Dactylicum*, & *Trochaico Dimetro Brachycatalecto*, quod *Ithyphallicum* dicitur. Subjectum sibi habet Iambum trimetrum catalecticum. L. 1. O. 4.

21. *Archilochium* compositum ex Penthemimeri Epico, & Iambico Dimetro. Observatu dignum Metra quæ Dactylicis Iambos apponunt, *Encomiologica* dici. Postponitur Iambo trimetro. *Elegiambus* appellatus Epod. 11.

22. *Archilochium* compositum ex Iambico Dimetro & Penthemimeri Epico. Sequitur Hexametrum. *Iambelegos*. Epod. 13.

Excerpt. ex Edit. Horat. à W. Baxter Ann. 1725.

LONDINI,
Typis excudebant W. Browne & J. Warren.

Errata in prima Parte.

Tractat. 1. pag.	2. lin.	26. *Lege* μείζωσι
Ib.	6.	38. *Dele* hyphen *post* bellum
2.	2.	30. Lege *ducenta*
8.	3.	7. *Lege* 38,910,050
13.	1.	5. *Lege* Imperatoribus
18.	5.	6. *Lege* numerum
18.	5.	21. *Pro* pita, *Lege* capita
26.	4.	18. *Lege* Fuit, & *dele* hyphen *post* in
28.	2.	1. *Lege* conditæ & *dele* hyphen
29.	3.	3. Lege IVLIVS
32.	2.	34. *Lege* Vespasiano
34.	35.	36. *Dele* pag.
40.	2.	30. *Lege* dextrâ
44.	2.	19. *Pro* (t) in Alexant, *pone* hyphen
Ib.	3.	14. *Lege* prope
Ib.	Ib.	26. *Lege* subiit

Errata in secunda Parte.

Pag. 29. lin.	27.	*Lege* dehortari
52.	30.	*Lege* agendum
56.	42.	*Lege* aperuerunt et *pone* periodum
72.	ult.	In 2do. loco *pone* (-vv-)
78.	5.	Lege *levius*

In INDICE 1mo. Pone *Tractat.* 2. * " *De Fenore & Usura apud Romanos,*" atque ERRATA in hoc tractatu sic corrige.

Pag. 1. lin. 9. *Lege* procem.

Ib. 32. *Lege* δανείζειν

